37005

CHRISTIANI THEOPHILI SELLII

LIBER

DE

CURANDIS HOMINUM MORBIS.

SEPTIMUM VERNACULA EDITUM LATINE

INTERPRETATUS EST

CURTIUS SPRENGELIUS.

BEROLINI,

IMPENSIS CHRISTIANI FRIDERICI HIMBURGII.

M. DCC. XCVIII.

WELLCOME HISTORICAL MEDICAL LIBRARY

LECTURIS CURTIUS SPRENGELIUS.

Non defuturos eſſe vereor, qui, me huius quidem libri interpretem eſſe, vel mirentur, vel etiam indignentur. Etenim noſtris potiſſimum temporibus maiori ſtudio agitata haec disciplina, ad id a nonnullis evecta iamiam habetur, ut ſapientiae potius pars cenſeri, atque, niſi corporum rerumque ratione comperta, non ſatis potens eius uſus eſſe poſſit.

Alii vero, qui aliquanto magis a me ipſo eſſe exсultam hancce doctrinam crediderint,

maxime alienum a me forte ducent, interpretari librum, commentis eum quidem atque ratiociniis abundantem, quae ipſe iamdiu exploſerim.

Igitur cauſſas patefacere opus eſt, quae ad ſuscipiendum eum laborem me moverint. Earum autem prima fuit, me fidem, quam bibliopolae dederam, fallere nec voluiſſe nec potuiſſe. Vir enim, in cuius libraria venit hic liber, nullum unquam erga me officii genus aut ſtudii, nullam omnino rem, quae vel ad utilitatem meam vel ad laudem ſpectaret, praetermiſit: eius autem precibus victus, cum ſperaret, fore ut liber, in patria paucis annis toties editus, apud exteros etiam facile distrahatur, tandem promiſi, operam meam huic libro tribuere velle.

Deinde hiſtorico ſtudio iamdiu animum aſſuefeci ac fere cogi, ut conciperet atque comprehenderet non ea tantummodo, quae ſecunda eſſent, ſed etiam quae adverſa meae opinioni: ideoque nihil prorſus negotii fuit, quiete fideque interpretari ea, quae contraria omnino meae arbitror ſententiae. Atque exiſtimo, opiniones auctoris quamvis controverſiam omnino recipiant, utilia tamen plerumque eſſe eius conſilia, cum a certis potius atque exploratis artis petat praeſidia quam ab obſcuris rebus atque abditis. De quibus qui diverſa ſentiunt, dum ab experimentis medendi vias trahere conſuerunt, ad eamdem tamen ſanitatem homines perducunt.

Tandem perfunctus hoc labore perſpicio, alium ex eo me etiam fructum cepiſſe. Id

enim egi, ut temporibus noſtris, quibus attrita eſt latinitas ac paene ſepulta, defaecatum atque purum antiquorum morem loquendi exprimeret mea interpretatio. Quem ſi finem non attigerim, ſtudium tamen meum, caſtum purumque romanum eligendi ſermonem, utile mihi fuiſſe ſentio, iuvenibusque, quibus hunc legere contigerit librum, utile fore ſpero.

Ex horto botanico academiae Halenſis, cIↃIↃccxcviii. Kalend. Martiis.

INDEX.

MEDICINA CLINICA . . . Pag. 1

MORBORUM EXPOSITIO ET PATHOLOGICA ET THERAPEUTICA . 5

De febribus 7

De febribus continentibus 18

Febris inflammatoria ſimplex . . . 20

Febris putrida 24

De febribus remittentibus 28

Febris biliosa 30

— — inflammatoria . . . 33

— — putrida . . . . ib.

Febris pituitoſa 35

De febribus atypicis 36

Febris acuta nervoſa 38

Febris lenta nervoſa 40

De febribus intermittentibus 42

— — a ſola irritabilitate . . 47

— — bilioſa . . . . ib.

— — bilioſo-inflammatoria . . 48

— — bilioſo-putrida . . . ib.

— — maligna . . . . ib.

— — diuturna 49

De febrium ſymptomatibus . . .	Pag. 50
Calor	51
Frigus	52
Sitio	54
Cibi faſtidium	55
Nauſea et vomitus	56
Flatus	57
Obſtructio alvi	59
Diarrhoea	60
Haemorrhagiae	61
Sudor	62
Debilitas febrilis	63
Pervigilium	64
Stupor	65
Delirium	66
Sopor	69
Convulſiones	70
Anxietates	72
Dolor	73
De inflammationibus	74
Angina	79
Peripneumonia	82
Pleuritis	87
Pleuroperipneumonia	88
Inflammatio diaphragmatis . . .	89
Hepatitis	90
Gaſtritis	93
Enteritis	95
Nephritis	97
Cyſtitis	99
Metritis	100
Febris eryſipelacea	ib.
Carbunculus	101
De exanthematibus	102
Peſtis	103

Variolae . . . . . . Pag. 104
Variolae ſpuriae 119
Morbilli . . . . ib.
Rubeolae 122
Febris ſcarlatina . . . . . ib.
— urticata 123
— miliaris 124
— bulloſa 127
Aphthae 128
Petechiae . . . . ib.

De rheumatiſmis 130

De affectibus arthriticis . . . 135
Arthritis 136
Podagra 139

De catarrhis 140
Coryza 142
Angina catarrhalis 143
Tuſſis catarrhalis 144
Peripneumonia notha . . . . ib.

De dyſenteria 145

De cholera 153

De haemorrhagiis 154
Stomacace 158
Haemorrhagiae narium 159
Haemoptyſis . . . . . . ib.
Vomitus cruentus 164

De menſtruorum vitiis 165
Defectus menſtruorum . . . . ib.
De ſanguinis profuſionibus e pudendis muliebribus 169

De haemorrhoidum adfectibus . . 171

De vermibus . . . . . Pag. 176
Icterus 184
De morbis venereis 189
Lues venerea 197
Carolus 199
Blennorrhoea venerea 200
Fluor albus venereus 209
Bubo 211
Teſticulus venereus 212
Phimoſis et paraphimoſis 213
Proſtata venerea . . . . . ib.
Condylomata 214
Maculae et verrucae venereae . . . ib.
Morbi oſſium venerei 215
Scorbutus 216
Scrofulae 220
Rachitis 223
Paedarthrocace 225
De exanthematibus diuturnis . . 226
Cruſta lactea 227
Achores 229
Favus . . . . ib.
Tinea capitis . . . . . . ib.
Plica polonica 230
Herpes 231
Scabies 233
Lepra 235
Elephantiaſis 236
De ulceribus diuturnis . . . 237
Carcinoma 247
Caries 250
Sphacelus 252

De tumoribus . . . . . . Pag. 255
Tumores albidi, seu lymphatici . . . ib.
Rheumaticus articulorum tumor . . ib.
Tumor articulorum ſcrofuloſus . . 256
Caries vertebrarum 257
Hydropes 259
Spina biſida 273
Emphyſemata 274
Tympanites 276

De maciebus 278
Atrophiae 279
Phthiſis nervoſa 281
Tabes dorſalis 282
Maraſmus ſenilis . . . . ib.
De febribus hecticis 283
De febribus phthiſicis 287

De morbis nervorum 304
Antipathia . . . . ib.
Malum hypochondriacum 305
De animi morbis 310
Melancholia 311
De convulſionibus 316
Epilepſia 318
Raphania 323
Tetanus 325
Tremor 328
Contractura 329
Vertigo 330
Animae defectio 332
Agrypnia 337
Sopor 338
Paralyſis 340
Apoplexia 344
Ecſtaſis 353

Catalepſis . . . . Pag. 353
Catochus 354
Somnambuliſmus . . . . ib.
Hydrophobia 356

De ſingulorum partium affectibus . 366
De morbis cutaneis . . . . . . ib.
Ephelis et lentigo 367
Gutta roſaceà . . . . ib.
Erythema . . . . ib.
Lichen . . . . ib.
Naevus maternus . . . . . . ib.
Therminthus 368
Epinyctis . . . . ib.
Varus . . . . ib.
Malum mortuum 369
Intertrigo . . . . ib.
Comeedones . . . . ib.
Phthiriaſis 371

De capitis affectibus 372
Cephalalgia . . . . ib.
Meningum inflammatio 376

De oculorum morbis 383
Ophthalmia . . . . ib.
Maculae corneae 387
Pterygium 388
Staphyloma 389
Ophthalmoptoſis . . . . . . ib.
Hydrophthalmia . . . . . . ib.
Trichiaſis et diſtichiaſis 390
Ectropium et entropium 391
Blepharoptoſis . . . . ib.
Lagophthalmus 392
Epiphora et lippitudo . . . . . ib.
Catarrhactes 394

Glaucoma . . . . . Pag. 395
Mydriaſis . . . . ib.
Amauroſis 396
Amblyopia 397
Hemeralopia et nyctalopia . ib.
Dittopia 398
De aurium morbis . . . . ib.
Otitis . . . . . ib.
De dentium morbis 402
Dentitio . . . . . ib.
Odontalgia 404
De adfectibus colli . . . 406
Bronchocele . . . . ib.
Raucitas 407
De pectoris morbis . . . 408
Tuſſis , ... ib.
Aſthma 412
Sternutatio 416
Singultus 417
Incubus 418
Palpitatio cordis . . . ib.
De primarum viarum affectibus . 420
Deglutitio difficilis . . . ib.
Anorexia 422
Ardor ventriculi . . . 424
Cardialgia 425
Colicus dolor 427
Nauſea et vomitus . . . 438
Diarrhoea 440
Fluxus coeliacus . . . 443
Lienteria . . . . ib.
Morbus niger 445
De affectibus renum et veſicae . 447
Dolores ex calculo orti . . ib.

Urinae difficultas . . . Pag. 453
Mictus cruentus . . . 457
Urinae incontinentia . . . 458
Diabetes . . . . ib.

De verendarum partium adfectibus 460
Blennorrhoea benigna et fluor albus ib.
Satyriaſis et priapiſmus . . 461
Nymphomania . . . 462
Molae . . . . . ib.
Uterus ſcirrhoſus . . . 463

De gravidarum morbis . . 464
Adfectus nervorum . . . ib.
Sanguinis abundantia . . . 465
Alvus compreſſa et urinae difficultas 466
Oedema pedum et hydrops ἀνὰ σάρκα ib.
Aquae profuſio . . . 467
Sanguinis profuſiones . . . ib.
Abortus 469
Graviditatis cum aliis morbis connubium 471

De affectibus parturientium, puerperarum et lactantium . . . 472
Dolores ſpurii . . . . ib.
Partus difficilis . . . 473
Dolores poſt partum . . . 475
Lochiorum fluor . . . 476
Secretio lactis 479
Metaſtaſes lactis 481
Febris puerperarum . . . 488
Inflammatio uteri . . . 498
— pulmonum . . 500
Febris eryſipelacea . . . 501
Eclampſia 502
Melancholia et mania . . 503

DELECTUS MEDICAMENTORUM P. 505

Acetum vini P 509
— bezoardicum 510
— ſcilliticum 511
Acidum tartari eſſentiale ib.
Acidum vitrioli 512
Aër dephlogiſticatus ib.
— fixus 514
Aethiops antimonialis 517
Aloë 518
Alumen ib
Antimonium 519
Aqua benedicta Rulandi ib
Aqua calcis vivae 520
— florum chamomillae 521
Aqua cinnamomi ib.
— foeniculi 522
— menthae ib.
— mineralis ib.
— ophthalmica confortans 525
Aqua ophthalmica reſolvens ib
Aqua phagedaenica 526
— florum ſambuci ib.
— Thedenii ſclopetaria ib.
Arſenicum 527
Baccae iuniperi 528
Balnea ib.
Balſamus copaivae 529
— ſulfuris ib.
Borax 530
Butyrum antimonii 531
Camfora ib.
Cantharides 532
Caſtoreum ib.
Conchae praeparatae ib.
Conſerva antiſcorbutica 533
Cortex caſcarillae ib.
— peruvianus 534
— cinnamomi 536
— Mezerei 537
— Simarubae ib.
Cremor tartari ib.
Crocus 538
— metallorum ib.
Electricitas 539
Elixirium antiſcorbuticum 541
Elixirium reſolvens 542
— roborans 543
Emplaſtrum veſicatorium perpetuum 544
Emplaſtrum e cicuta ib.
— reſolvens foetidum ib.

Emplaſtrum veſicatorium P. 545
Eſſentia aloës ib.
— angelicae 546
— aſae foetidae ib.
— corticum aurantiorum ib.
Eſſentia caſtorei ib.
— pimpinellae albae ib.
Eſſentia valerianae ib.
Extractum apſynthii aquoſi 547
Extractum ligni Campechiani aquoſi ib.
Extractum caſcarillae aquoſum ib.
Extractum centaurii minoris aquoſum 548
Extractum florum chamomillae aquoſum ib.
Extractum corticis peruviani aquoſum ib.
Extractum cicutae ib.
— fumariae aquoſum 549
Extractum gentianae rubrae aquoſum ib.
Extractum graminis aquoſum ib.
Extractum Hellebori nigri aquoſum ib.
Extractum quaſſiae aquoſum P. 549
Extractum ſaturni 550
Extractum taraxaci ib.
— trifolii fibrini ib.
Extractum fel tauri inſpiſſatum ib.
Folia belladonnae 551
Flores ſalis ammoniaci martiales ib.
Flores arnicae ib.
— chamomillae 552
— ſambuci ib.
— ſulfuris ib.
— zinci 553
Gargariſma adſtringens 553
Gargariſma reſolvens 554
Globuli martiales ib.
Gummis ammoniaca ib.
— arabica ib.
— aſae foetidae 555
— euphorbii ib.
— galbani ib.
— guaiaci nativa 556
— guttae ib.
— myrrhae ib.
Hepar ſulfuris 557
Herba ariſtolochiae rotundae 558

Herba

Herba boni henrici P. 558
— centaurii minoris ib.
Herba cicutae ib.
— cochleariae 559
— malvae ib.
— meliloti ib.
— menthae 560
— millefolii ib.
— nicotianae ib.
— ſabinae ib.
— trifolii fibrini ib.
— uvae urſi 561
Kermes minerale ib.
Lapides cancrorum 562
Laudanum liquidum Sydenhami ib.
Lichen caninus 563
— islandicus ib.
Lignum campecheuſe 564
Lignum iuniperi ib.
— guaiaci ib.
— quaſſiae 565
Limatura martis ib.
Linimentum antiſpaſticum 566
Liquamen myrrhae ib.
Liquor anodynus ib.
— cornu cervi ſuccinatus 568
Liquor terrae foliatae tartari P. 568
Magiſterium ſaturni 570
Magneſia ſalis ſedlizenſis ib.
Manna 571
Mel ib.
Mercurius currens ib.
— dulcis 572
— gummoſus 573
— nitro 574
— praecipitatus albus 576
Mercurius praecipitatus ruber ib.
Mercurius ſublimatus ib.
— tartariſatus 577
Millepedes ib.
Mixtura acida ib.
— diaphoretica 578
— refrigerans ib.
— reſolvens 579
— ſolvens 580
— temperans 581
Moſchus ib.
Nitrum antimoniatum 582
Nitrum depuratum 583
Oleum animale Dippelii 584
Oleum aniſi ib.

Oleum caieput P. 585
— caryophyllorum ib.
Oleum chamomillae deſtillatum ib.
Oleum foeniculi ib.
— baccarum iuniperi ib.
Oleum baccarum lauri deſtillatum 586
Oleum lini ib.
— menthae deſtillatum ib.
Oleum millefolii ib.
— petrae ib.
— ricini ib.
— terebinthinae 587
Opium 588
Oxymel ſimplex 590
— ſcilliticum ib.
Pilulae antihyſtericae ib.
— balſamicae 591
— hydragogae Ianini ib.
Pilulae purgantes 593
— purgantes anthelminthicae ib.
Pilulae reſolventes ib.
Potio alexipharmaca prima 594
Potio alexipharmaca ſecunda P. 595
Potio alexipharmaca communis ib.
Potio antilyſſa 596
— laxans ib.
Pulpa tamarindorum 597
Pulvis anthelminthicus ib.
Pulvis antifebrilis 598
— ecphracticus ib.
— pectoralis 599
Radix althaeae ib.
— angelicae ib.
— apii ib.
— armoraciae 600
— belladonnae ib.
— colombo ib.
— conſolidae maioris ib.
Radix gentianae rubrae 601
Radix graminis ib.
— hellebori nigri ib.
— ialappae ib.
— ipecacuanhae ib.
— glycyrrhizae 602
— raphani nigri ib.
— rhei 603
— rubiae tinctorum ib.

Radix ſarſaparilae P. 604
— ſenegae ib.
— ſcillae ib.
— taraxaci 605
— valerianae ib.
Reſina ialappae 606
Roob iuniperi ib.
— ſambuci ib.
— ſorborum ib.
Sal ammoniacus ib.
— cornu cervi 607
— mirabilis Glauberi ib.
Sal ſodae et ſal tartari ib.
Sapo hiſpanicus 608
Scarabaei maiales ib.
Semen cynae 609
— foeniculi ib.
— foeni graeci ib.
— lini ib.
— ſabadilli ib.
— ſinapis ib.
Sinapiſmus 610
Species pro cataplaſmate ib.
Species pectorales demulcentes 611
Species pectorales reſolventes P. 611
Species purificantes ib.
Spiritus cornu cervi 612
Spiritus Mindereri ib.
— ſalis ammoniaci 613
Spiritus ſulfuris ib.
— vini camforatus 614
Spiritus vitrioli ib.
Spongia marina ib.
Succus citri ib.
— glycyrrhizae ib.
Sulfur antimonii ib.
Syrupus ex acido citri 615
Syrupus de althaea 616
— pectoralis demulcens ib.
Syrupus pectoralis reſolvens ib.
Tartarus emeticus 617
— tartariſatus 618
Terebinthina veneta ib.
Tinctura antimonii Iacobi 619

Tinctura cantharidum P. 620
— guaiaci volatilis ib.
Tinctura martis adſtringens Ludovici 621
Tinctura martis aperitiva ib.
Tinctura rhei aquoſa ib.
Unguentum ex althaea 622
— mercuriale rubrum ib.
Unguentum neapolitanum P. 622
Unguentum nervinum 623
— ophthalmicum ib.
Unguentum ad ſcabiem 624
Vinum 625
Vitriolum album ib.
— martis ib.
— veneris ib.

MEDICINA CLINICA.

Singulorum morborum cognitionem, iudicium et medelam quae docet diſciplina, *medicina clinica* vocatur. Ea itaque complectitur uſum et applicationem omnium ſingulorumque, quae et pathologia et therapia tradit, praeceptorum coram aegrotorum lectis.

Quae dignoſcit ſingulos adfectus ars, *diagnoſtica* dicta, in eo verſatur, ut non diſcernere tantum morbos a ſe invicem, ſed ut et cauſſas et cauſſarum cum morbo ipſo nexum inveſtigare poſſis atque exponere. Quae quidem res ſummum ſaltem faſtigium artis huius habenda eſt, ad quod, licet attingi non ſemper poſſit, omnes tamen ingenii nervos intendere docet.

Iudicium, quod medicus de exitu morbi fert, *prognoſis* dicitur. Ad quam quidem inſtituendam doctrina de ſignis, *ſemiotice* appellata, ſicut viam commonſtrat, ita acies ingenii et iudicii ipſius medici idoneum facit.

Artis praeceptis accommodato medicamentorum uſui nititur tertia diſciplinae pars, *curatio.*

Res itaque, in quibus medicina clinica verſatur, ſunt morbi ſinguli, ut vere occurrunt. Qui vero ſibi ſimiles eſſe nequeunt, quum ab individua aegrorum natura et indole ſuos quivis modos accipiat, atque nulla fere res alteri omnino ſimilis eſſe poſſit. Ad haec etiam ſuſcipi in diſciplinam quivis individuus morbus nequit, tum quod differitas haec individua eodem modo limites effugit, ac generis humani abundantia fere infinita, tum quod eadem adeo ſubtilis eſt, ut nec ſignari nec enumerari verbis poſſit. Moremur itaque hic in ſpecierum expoſitione, modos autem et varietates ad aegrotorum lectulos ipſos addiſcamus. Et in eo quidem poſitum eſt diſcrimen theoriae medicae atque praxeos: illa nimirum, ſeu ſcientia ipſa in abſtractis verſatur: haec autem, ſive ars ipſa complectitur individuos caſus.

Modorum ſingulorum, quos morbi accipiunt, cognitio, ſenſui nititur, cuius nec informatio effici, nec ſigna dilucide poſſunt explicari. Et hanc quidem habeto artem et diſciplinae noſtrae partem practicam. Si quis itaque ſenſu ipſo quaſi interno morborum indolem ac decurſum ex cauſſis ſaepius obſcuris et indefinitis percipere ac dignoſcere poſſit, is

ſicut pathologica bene inſtructus eſt doctrina, ita boni medici prae ſe fert ſpeciem.

Quum medicinae practicae theoria admodum rudis adhuc ſit, individuorum morborum cognitio magis in eo verſatur, ut caſus ſinguli ad leges pathologiae et therapiae generalis reſtringantur, quam in definiendis cauſſis individuis et remediis. Adverſus nonnullos duntaxat morbos expedire *ſpecifica* ſic dicta remedia, experientia conſtat, ubi vero etiamnum nos abdicare omni theoria debemus, ut empirica via unica ſit, quam rationem ſequens medicus munitiſſimam inveniet, quaque tuto decedere poterit. Artis potius nomine quam ſcientiae inſignienda praxis medica indolem requirit atque vires et mentis et animi plane ſingulares, niſi damni plus quam emolumenti parare generi humano debuerit.

Quodſi in dividendis morborum claſſibus naturalem ſequi germanitatem licuerit, easdem et hic formare claſſes naturales poſſemus, quas alio iam loco expoſui. *) Qui vero ordo cum problema ſiſtat, haudquaquam adhuc ſolutum, ad febres tantummodo a me applicari etiamnum potuit. **) Chronicorum vero morborum exſtant plures, quorum nec cauſſae dilucide exponi, nec ordo naturalis poteſt

*) Iſagoge in ſcientiam naturalem et medicam, p. 266.

**) Rudimenta pyretologiae et methodicae.

definiri. Artificiali itaque in hoc libro utendum eſt ordine, eo quidem, qui differentia morborum externa ſiſtitur, ſigna tamen praebet et ſecura et quae ſub ſenſus cadunt, ut cognoſci morbi poſſint atque diiudicari.

In curatione exponenda duo potiſſimum requiruntur:

1. Ea, quae indicant curationem, accurate definienda ſunt, atque ad eadem curationis modus, quantum fieri poteſt, tuto eſt ſignandus.

2. E remediis indicatis ea maxime eligenda ſunt, quae aegroti ſtatui congrua eſſe videntur.

Hoc quidem poſterius complectitur notitiam peculiarem et remediorum et mixtionis aptae et effectuum variorum, ſecundum varias, quibus exhibentur, doſes. Quod autem cum in ſingulis caſibus indigitare nimis longum foret, in duas protinus abit partes omnis haec tractatio, alteram, quae id omne exponit, quod cognitionem morborum et pathologicam et therapeuticam continet, alteram vero, quae remedia propius atque curatius tradit.

MORBORUM

EXPOSITIO

ET PATHOLOGICA ET THERAPEUTICA.

MORBORUM
EXPOSITIO
ET PATHOLOGICA ET THERAPEUTICA,

DE FEBRIBUS.

Quodſi adfectum quempiam ab initio frigus, tum calor praeternaturalis, et pulſus morboſe alienatus tanquam continua atque peculiaria comitantur ſymptomata, is morbus *febris* nomine inſignitur.

Ut naturalem efficiant febres claſſem tantum abeſt, ut potius plures exiſtant morbi, qui ſignis praedictis carent, neque tamen eo minus, ſive cauſſas ſpectes ſive curationem, cum iis congruunt. Ita periodici exiſtunt morbi, v. g. epilepſia, quorum et cauſſae et curatio febribus intermittentibus admodum ſimiles ſunt. Neque deſunt obſervationes febrium topicarum, ubi ad certas quasdam corporis partes finitus erat motus ſanguinis febrilis.

Plerique autem motus febriles eum finem habere videntur, ut alienum quid e corpore emoliantur: aut, ſi malueris, alienae res ſtimulo ſuo eos produ-

cunt motus, quibus natura ad eliminandas eas incitatur. Nec tamen ſemper ſatis viget naturae vis, ut haec atque his ſimilia emoliatur.

Quodſi omnino humor aliquis excretus morbum vel tollit vel minuit, ſolutio ea morbi *criſis* vocatur. Humor is, qui excernitur, *materia cocta* appellatur.

Si vero id quod excernitur, nullo modo adiuvat laborantem, ſignum eſt, eum humorem vel nimis abundare vel nondum paratum eſſe ut excernatur. Utrobique *materiei crudae* nomen is humor ferre ſolet. Eiectio vero *ſymptomatica* vocatur.

Lentiori autem modo atque non ſatis ſub ſenſus cadente excreti humores *lyſin* conſtituunt.

Atque ſi humor coctus ex ſanguine ſecretus, haudquaquam tamen e corpore ſecedit, ſed alienis partibus, cum levamento, incumbit, *metaſtaſis* oritur *critica*.

Decubitus vero humoris in partes, ubi alienum prodit morbum, quo itaque aeger nullo modo adiuvatur, *metaſtaſin malam* efficit.

Subinde fit, cum vires defecerint, ut nihil plane excernatur.

Sudoribus autem pótiſſimum et lotio, quandoque vomitibus et alvo, rarius ſanguinis profluviis, rariſſime cutis exanthematibus profunduntur humores cocti.

In variolis et febribus bilioſis, quibuscum ſcorbutica adeſt humorum tenuitas, ſalivae quandoque profluvium oritur, non omnino criticum, quod tamen reprimi non debet.

In omnibus vero febribus vel motus ſanguinis progreſſivus acceleratur, quod pulſibus frequentibus cognoſcimus, vel motus internus humorum intenditur, quod ex calore aucto divinamus. Plerumque utrumque motuum genus adeſt. Communitas itaque febrium verſatur in motu ſanguinis aucto.

Cauſſa febrium proxima complecti videtur humorem nervos incitantem. Et, quamvis ſaepius incitata ſolummodo nervorum vis ſufficere videtur ad febrem producendam, a vero tamen propius abeſt, tunc etiam adfuiſſe iam humorem corruptum, qui ſtimulis iam ad motus alienos incitatur.

Sanguini vero inhaerere humorem, qui febres excitat, ex excretis humoribus efficitur.

Quod vero etiam nervorum ſingularis quaedam irritabilitas producendae febri inſerviat, inde patere videtur, quod, ubi humor, qui febrem excitare poſſet, certo non deficit, nulla tamen febris oriatur, debilitantes contra atque irritantes cauſſae facillime febrem excitent, e. g. vulnera, animi adfectus, acria purgantia etc. Ad haec etiam populi rudes et a cultu alieni rarius febribus corripiuntur,

quae nimirum ſyſtematis nervorum debilitatem fere ſemper agnoſcant.

Humor ipſe, qui febres excitat, facilius videtur putreſcere poſſe: quod ſequentibus praeprimis argumentis eluceſcit:

1. Omnia fere remedia, quae febrientes adiuvant, antiſeptica eſſe videntur, e. g. ſalia, imprimis acida, camphora, cortex peruvianus.

2. Carnes fere ſemper nocere ſolent.

3. Humor, qui excernitur, putris eſſe plerumque ſolet.

4. Humores putres facile febribus producendis pares ſunt, velut ſudor putris, ulcera putreſcentia etc.

5. Calor multo vehementior eſt in febribus putridis quam in aliis, atque poſt mortem etiam pergere ſolet.

Nihilominus ſyſtema nervoſum tamen officit id omne, quod febrim excitat, eaque ratione motus alienos producit. Quo non obſtante redimus tamen ad alienos, corruptos, eosque humores, qui facile putreſcunt, qui neceſſario adeſſe debent, antequam diatheſis partium ſolidarum in ipſam febrim transeat.

Cauſſae, quae remotius agunt, complectuntur *vel* rerum ſex non naturalium uſum perverſum, *vel* id quod plures ſimul homines afficit, velut fames

atque egeſtas populi, victus prava indoles, aërisque corruptela atque aliena qualitas. Illae quidem *ſporadicas*, hae vero *epidemicas* gignunt febres.

Quodſi praeſagire eventum febrium cupiveris, bonus tunc febrium finis exſpectandus eſt, quum naturae vires ad perficiendam et coctionem et criſin ſuffecerint. Ubi autem vires fractae fuerint, aut cauſſa nimis laborantem infeſtat, timendum eſt, fore ut natura ſuccumbat conatibus.

Praerogativae autem, quae ſequuntur, praeſagia firmant:

1) Dum vires valent, bonum eſt. Expedit quoque, ſi nihil prius excernitur, quam humor coctus eſt, quod ante quartum diem rarius, plerumque vero diebus quinto, ſeptimo, nono, undecimo, decimo tertio, decimo quinto, decimo ſeptimo, undevigeſimo, vigeſimo primo, vigeſimo ſeptimo et trigeſimo primo contingere ſolet, qui dies *critici* dicuntur. Plurimarum autem febrium acceſſiones typo adſtrictae ſunt tertiano, unde criticorum eorumdem dierum ordo explicari poteſt. Quodſi quotidie vel quarto quovis die febres recrudeſcunt, alius inde dierum criticorum ordo elucet, atque medicorum controverſiae circa hanc doctrinam explanandae erunt. Quum veteres nonniſi ſeptimum, decimum quartum, vigeſimum, vigeſimum ſeptimum, trigeſimum quartum et quadrageſimum diem

criticis accenſere ſolerent, quumque obſervaſſent, excerni id quod coctum ſit, quarto demum die, *dies indices* appellarunt eos, quibus ſigna adſunt coctionis, e. g. nubecula lotii etc. Quod ſupereſt, eo minus perfecte atque minus certo ſolvitur morbus his eiectionibus, quo magis complicatae ſunt febres, quove plus turbatur natura perverſo atque nimis frequenti remediorum uſu.

Coctionem eſſe peractam inde efficitur, dum ſpaſticus ſtatus remittit, dum id quod excernitur, ad naturalem indolem propius accedit. Quodſi itaque congeſtionibus, pulſui contracto, aridae cuti, lotio tenui ſubſtituuntur motus humorum magis ordinatus, pulſus mollior ac plus elevatus, urina magis ſaturata, alvusque neque tenuis neque viridis, proximo die critico ſolutio expectari poteſt.

2. Ubicunque vero ſatis non valent vires, ſymptomata ſolent verſus diem criticum increſcere, unde nomen *perturbationis criticae* eluceſcit, quae vero metuenda non eſt, ſi modo vires aequi quadantenus parari poſſunt humoribus egerendis, atque humor iam coctione paratus eſt. Atque ea quidem ratione pulſus intermittens, ſanguinis profuſiones, vomitus, vertigo etc. praecurrunt criſin, ut etiam febrium intermittentium ultimus acceſſus ſit fere ceteris fortior, ut febre continua laborans ultima acceſſione ad mortem praecipitari videatur.

Solviſſe morbum id quod excernitur, inde divinamus, ſi ſymptomata poſtea remittunt, ſi pulſus naturali propior atque magis congruus cum viribus, ſi reſpiratio liberior fit, ſatisque ſomni accedit. Ubicunque autem partim tantum hoc contingit, criſis adfuit imperfecta, cuius finis optatus ex viribus ſuperſtitibus aeſtimatur.

3. Quodſi autem arida cutis in longum porrigitur, anhelatio ſemper ſupereſt brevis et laborioſa, pulſus continua celeritate accreſcit, id autem quod excernitur putre quidpiam olet, anceps eſt praeſagium. Etiam in exitium ſaepius praecipitat inaequalitas et defectus rationis ſymptomatum: e. g. ſitis nulla cum arida tenſaque lingua, acidorum horror in febribus putridis, pulſus debilis cum calore enormi et motu ſanguinis nimis accelerato.

Curatio febrium complectitur tria potiſſimum capita:

1. Quantum fieri poteſt, coctio promovenda. Tollendum, quidquid cauſſas auget febris propiores: nihil negligatur, quod cauſſam ipſam minuere aut tollere valet. Ut brevius me expediam, febris indoles ſedulo inveſtiganda ſatisque omnibus indicationibus faciendum. Ubicunque e. g. ſtimulus urget externus, tollere eum; ubi ſordes adſunt bilioſae, vomitu egerendae. Ubicunque ſanguinis urget ab-

undantia, ſanguis e vena mittendus. Si quis acris adeſt humor, potibus mollientibus et attenuantibus adiuvandus aeger. Ubi facile aeger ſtaſes ſubit inflammatorias, ſales ſunt exhibendi medii, qui ſolvere poſſunt ſtagnantes humores. Ubi ex irritabilitate hyſterica ſpaſmus adeſt, opium adhibeatur. Et in eo quidem omnino vires ſunt ad coctionem ſufficientes reſpiciendae.

2. Criſis eſt promovenda, nullum ei ſaltem obſtaculum ullum opponendum. Promoveri autem criſis tantummodo debet, quoties viribus, quae ad eam requiruntur, non ſatis viget aeger, quotiesque ex certis efficere ſignis poſſumus, quo potiſſimum vergat natura, aut quae maxime via ſit congrua. Pulſus enim dum ſit mollior et magis elevatus, expedit ſudores leniter prolicere. Nihil autem naturam plus officit, quam remediorum praepoſterus et nimius uſus. Totius vero curationis caput complectitur victus rationem congruam, qua veteres quidem univerſam ſaepius medelam perfecerunt. Amplo conclavi tenendus eſt aeger, quo multum trahere et purum aërem poſſit, neque tamen venti forma perflet aër, neque ultra ſeptuageſimum Fahrenheitiani thermometri gradum calidus fiat. Cibus potusque ſint tenues, frigidi, neque nimium nutriant, neque ingurgitandi abundanter, neque omnino detrahendi.

3. Quum criſis iam contigerit, febris autem ſiluerit, refocillandae ſunt vires iis quae nutriunt et firmant corpus, ne iterum in morbum relabatur.

4. Ubicunque metaſtaſis facta eſt, febris quidem porrigitur, mutata tamen forma, atque variam requirit medelam. Ita metaſtaſium ope febris maligna in inflammatoriam transit.

Diſpertiuntur autem vario modo febres, prout indoles variat, ad quam conſilium transfertur.

Prima proficiſcitur diviſio a mora febrium atque diuturnitate. Quae quidem febris ſeptem diebus finitur, *acutiſſima*, quae quatuordecim, *peracuta*, quae viginti aut triginta, *acuta*, quae ultra quadraginta porrigitur, neque intermittit, *febris lenta* appellatur.

Alia diviſio nititur temporis et loci differentia:

1. *Epidemicae* febres ſunt, quae ſimul per regionem quamdam graſſantur. Multum vero intereſt, quonam anni tempore morbus hicce dominatur, quamvis peculiaris eiusdem cauſſa aëris minus viciſſitudinibus quam ſingulari cuidam miaſmati merito tribuatur.

2. *Sporadicae* febres, quae ſingulos duntaxat corripiunt homines.

3. *Endemicae* ſunt, quae peculiares quasdam regiones infeſtant, e. g. febris flava Americana.

4. Febres *ſtationariae* et *intercurrentes*. Ita pleuritide quandoque graſſante febris poteſt bilioſam tenere indolem. Subinde tunc variolae intercurrunt, quae plerumque eodem tempore bilioſum ſervant characterem, ut adeo pleuritis ſit *ſtationaria* febris, variolae vero *intercurrens;* quarum quidem indoles, generatim ſpectata, congruere cum ſtationariae febris indole ſolet: atque ſuprema medici lex eſto, obſervare graſſantium morborum genium, ſingulorumque morborum intercurrentium medelam huic genio accommodare.

Diſpenſantur deinde febres iuxta ſymptomata earum praevalentia: ſiquidem ſudoribus iunctae vocantur *helodes*.

Aliud diſcrimen a periculi ratione deſumitur, ut in *malignas* et *benignas* abeant.

Contagioſae febres vocantur, quas alter alteri participat. Diſtinguuntur itaque ea ratione ab epidemicis, quod hae nonniſi aëre et cauſſis externis propagantur. Febres pleraeque contagioſae ſimul epidemicae eſſe ſolent, neque tamen epidemicae febres contagium ſemper ſupponunt.

Aliud porro eſt diſcrimen febrium *primariarum* et *ſecundariarum* ſeu *ſymptomaticarum*, quod quidem rite diiudicari ubique nequit, ſummaque curationis verſatur in removenda totius morbi cauſſa materiali.

Diſpe-

Diſpeſci conſuerunt febres ratione cauſſarum ſpecificarum 1. in *inflammatorias*, quae partis cuiusdam inflammationem, 2. in *exanthematicas*, quae exanthemata, 3. in *catarrhales*, quae ſeroſas ſtagnationes iunctas habent.

Ad haec demum praeteriri nequit diviſio febrium:

1. *continentium*, quae uno tenore perſiſtunt, neque aggravantur, neque remittunt;

2. *remittentium*, quarum acceſſiones certis quibusdam temporibus remittunt, neque tamen unquam penitus ſilent;

3. *irregularium*, quarum impetus et remiſſiones quidem adſunt, citra certum tamen ordinem;

4. *intermittentium*, quae intervallis iunctae ſunt, ubi nullum febris veſtigium adeſt, integrumque omnino corpus eſſe ſolet.

Quod poſterius quidem diſcrimen nullo modo contrarium eſt morbi indoli, ſed ſequitur ex comparatis inter ſe germanitate quadam naturali iunctis febribus. In ſingulas ſpecies itaque, iuxta hanc diviſionem, ita deſcendam, ut eos tantummodo morbos febriles huc traham, qui expertes ſunt locali affectu, quique nomine febrium ſimplicium inſigniuntur.

Quod ſupereſt, quum naturalem ex praedicta ratione methodum ſequi nolimus, monendum, ſpe-

cies plerasque, ſi ad nominalem reſpiciatur definitionem, haudquaquam naturales eſſe.

Denique naturae maxime congruae ſpecies febrium etiamnum haudquaquam individui morbi habentor, quales vere occurrunt: hi enim rariſſime ſimplices ita ſunt atque puri, ut nulla oboriatur complicatio. Hinc immerito accuſantur medici, theoriam ipſorum longe alienam eſſe a praxi, quum theoretica individuorum morborum finitio nullum fere terminum agnoſcat.

DE FEBRIBUS CONTINENTIBUS.

Febres eo facilius ſine remiſſione intendi ac demum ſolvi, quo magis ſanguis ipſe continet cauſſam febris proximam, experientia docuit. Ubicunque vero humor febrim excitans originem ex ſanguine non duxit, ſed introducitur tantummodo in ſyſtema ſanguiferum, facilius remittunt et intenduntur febres. Quae ex acribus primarum viarum humoribus, ſive ex ulcere atque obſtructionibus gignuntur, nunquam fere continentes eſſe ſolent.

Noſtrae vero aetatis homines hoc febrium genere rarius multo laborat, quam priſca gens mortalium, ſiquidem noſtri victus ratione adeo infractae

ſunt ſtomachi et inteſtinorum vires, ut fere ſemper officinam humorum febrim excitantium praebeant, aut febrium ſaltem indolem alienent. Nihilominus concipi tamen atque intellectu efformari poteſt hoc febrium genus, niſi curatio vulgarium febrium labare debeat.

Harum autem febrium bonum praeſagium nititur fere virium ſola ratione. Solvuntur plerumque et ſudoribus et urina. Rarius contingit ut humores peccantes ex ſanguine in primas vias depoſiti vomitu aut alvo evacuentur.

Ea itaque remedia omnino officiunt, quae et vomitus et alvum ciere conſuerunt. Magnique momenti inſtar habet praeceptum, eo cautius agendum iis omnibus, quae humores emoliuntur, quo magis continentem naturam ſervat febris.

Exiſtunt quidem continentes febres, remittentium pediſſequae, dum humores in primis viis ſtabulantes in ſanguinem abeunt, atque humorem producunt, qui eodem tenore febrim ſuſtinet. Rarius tamen et hic expediunt ea, quae vomitum alvumve ducunt, quum vires adeo labefactari ſoleant, ut his excretionibus pares haudquaquam eſſe videantur.

Naturales duae ſunt huius generis ſpecies: *inflammatoria* et *putrida*.

Febris inflammatoria ſimplex.

Auctoribus nomine *ſynochi ſimplicis* aut *imputris* nota, melius illo modo vocatur.

Praevalentes potiſſimum atque ſenſu exquiſito praeditos homines corripit, dum tempeſtas frigida, hiemalis adeſt. Refrigerium, ſubinde vero ſtimulos externos, vulnera ſequitur, vel venae ſectiones neglectas, vel ſanguinis fluxus conſuetos, qui ſupprimebantur. Subito autem ingruit, absque praecurrentibus ſymptomatibus. Pulſus eſt durus, plenus, celer ac regularis. Lingua pura, aut tenui duntaxat muco albido obducta, ſapor naturalis. Urina praerubra. Deſunt putreſcentium humorum et ſordium gaſtricarum ſigna. Subinde quidem vomitus adeſt aut alvus cita, a primo tamen ſtimulo hoc pendet, aut ab humoribus, quos ſanguis deponit. Sanguis e vena ſecta miſſus firmus, plerumque corio tenaci albido tectus, quod iccirco *cruſtae inflammatoriae* nomen recepit. Febris ſymptomata ratione quadam ſecum cohaerent; ſitis congruit cum ardore, ardor cum pulſu.

Quae febris, cum rite curatur, nullum habet periculum. Praeter ſudorem et lotium ſolvitur etiam ſanguinis profuſionibus, ſputis, rarius alvo. Criticum inſtare ſudorem, cognoſcitur tum ex tarda lotii ſeceſſione, tum ex molli ac pruriente cute, tum etiam ex undoſo pulſu. E naribus ſtillaturum

eſſe ſanguinem critico modo, efficitur ex oculorum rubore, temporum gravitate, et doloribus capitis. Si praeceps exitium ſequitur, fit hoc ſuppurationis univerſalis ſpecie quadam. Poſt mortem tandem obſervantur viſcera fere omnia purulentis humoribus obducta, qui e vaſis ſanguiferis eo ferebantur.

Curatio autem eiusdem febris requirit:

1. ut humores quantum fieri poteſt diluantur,

2. ut partium ſolidarum irritatio minuatur,

3. ut cutis ſpiracula aperiantur et lotii excretio promoveatur.

Quod ut fiat, primum eſto medici conſilium, minui debere humorum maſſam, ut, quidquid ſupereſt, eo facilius dilui atque ſolvi poſſit, utque in ſumma effectibus medicaminum ſpatium praebeatur, caveantur autem detrimenta, quae inde ſequi poſſunt. Venam quidem protinus ab initio ſecari optime convenit. Sanguinis vero copia emittendi febris magnitudini et virium ratio congrua eſto.

Quodſi ad ſenſus aegri tantum atque ad pulſum vires aeſtimantur, fractae ſaepius adeo eſſe videntur, ut venae ſectio impediatur. Habitu autem corporis bene ceteroquin valente, neque praegreſſis cauſſis debilitantibus, et conſtitutione epidemica ad inflammationes vergente, vires non vere deficere, ſed oppreſſas duntaxat eſſe, credibile eſt, unicaque

ſectione venae cuiusdam optime poteſt virium ratio reſtitui.

Quod reliquum eſt, ſufficiunt ſaepius potus copioſi ex avena cocti, cum oxymelle ſimplici temperati, quibus et cutis ſpiracula aperiuntur, et ardor minuitur. Victus itaque eſto tenuis, aërem trahat purum aeger, modiceque calidum, modiceque calidis incumbat ſtratis.

Ubi haec autem non valent praeſidia, ad nitrum confugitur, quotidie drachmis duabus aut unica dimidia, cum aqua pura miſcendum. Vid. *mixtura temperans.*

Quodſi ſtimulus adeſt iuſto vehementior, neque cutis madorem quemdam recipit, congeruntur autem humores verſus ſuperiora, experiendum eſt, requiraturne etiamnum ſanguinis miſſio, quod pulſu pleno, forti et celeri probatur. Tum *mixtura diaphoretica* propinatur, quae, ſi cutis madorem non prolicit, cedat camphorae, quae ad aliquot grana quotidie exhibetur, ſimul quoque fovenda ſunt extrema corporis et ipſum abdomen.

Quae denique praeſidia ubi nondum ſufficere videntur, veſicatoria imponenda ſunt ſuris, quo facto aut febris indoles mutata aliam requirit medelam, aut ſuppuratio univerſalis ſequitur, aut humoribus critico modo excretis aeger ſine magno negotio ſaneſcit.

Conſulto autem cauſſas huius febris reticui, donec medelam indigitaviſſem, ſiquidem ex hac ad cauſſarum indolem argumentandum ſaepius eſſe videbatur.

Quaeritur nimirum, ſitne humorum nimia tenacitas id, quod morbum hunc gignat. Quod quidem efficere aliqui voluerunt tum ex cruſta ſanguinis inflammatoria, tum ex ſecretionibus interceptis. Fatendum tamen, ſecretiones pari modo ſtimulis poſſe impediri, ſanguinem quoque, quoties corpus permanat, nullum inertiae veſtigium prodere, atque ideo motum eius nullo modo offici, corium deinde pleuriticum fortuito ſaepius oriri, quandoque deficere, nonniſi vigente morbo progigni, aut in ſanis aeque ac in aliis morbis apparere, qui contrariam antiphlogiſticae curationi methodum requirunt. Opinio itaque illa paullo magis a ſimilitudine veri recedit, quam antea ſervabat. Ad haec experimenta recentiora docere videntur, cruſtam illam ab ipſa oriri ſanguinis nimia tenuitate, qua ſanguinis globuli citius iuſto fundum petunt, et lympha in coagulum abitura ſuperficiem occupat.

Ab hac quidem lympha in coagulum prona, quae in morbis inflammatoriis abundat, atque ſecedit a cruore et ſero, pendere cruſtam inflammatoriam, experimenta recentiora docuerunt. Neque tamen ea lympha velut cauſſa febrium conſideranda eſt, quum paullatim tantum tan-

quam effectus eius morbi oriatur atque debitam, dum in corpore circumit, ſervat fluiditatem.

Quodſi porro ſanguinis tenacitas in inflammationibus accuſanda eſſet, ii potiſſimum homines his morbis laborare deberent, qui tenuium humorum profluvia copioſa paſſi ſunt, quod experientiae tamen contrarium eſſe videtur.

Quae cum ita ſint, haud procul a veritate abeſſe videtur, qui febrium harum rationem in acribus humoribus quaeſiverit, ad celeriores motus vaſa ſanguifera irritantibus, ſecretiones impedientibus ac lymphae in coagulum abiturae copioſiorem ſecretionem producentibus. Fortaſſe itaque acres iidem humores in ſyſtemate vaſorum abſorbentium producuntur, aut ſaltem in id praecipue agunt.

Rariſſime tamen, qualis hic deſcribitur, haec febris obſervatur. Plerumque ad bilioſam febrem plus minusve accedit, aut connubium init cum inflammationibus partium ſingularum, rheumatiſmis, catarrhis, dyſenteriis et exanthematibus.

Febris putrida.

Quae et *ſynochus putris*, et, licet immerito, *febris maligna* dicitur. Plerique autem noſtrae aetatis auctores omnibus iis febribus, quae ſordes putridas primarum viarum, putreſcentem ſanguinem

atque nervorum ſyſtema inordinatis motibus concitatum adiunctum habent, nomen *febris putridae* commune tribuunt. Hic vero eam tantum febris ſpeciem volo, quae cum ſignis putreſcentium humorum extra primas vias iuncta eſt.

Oritur autem eadem, quoties infractae ſunt partium ſolidarum vires, humores vero acres atque ſoluti ſunt. Effluvia putrida dum tempus eſt aridum calidumque, atque dum homines animali veſcuntur eoque corrupto cibo, merito ſaepius accuſantur. Excipit vero nonnunquam etiam alias febres, male tractatas. Dum ſummum nacta eſt vigorem, pulſus fit celer et ſpaſticus, calor vero adeo vehemens, ut mordax tangenti manui videatur; lingua pura, ſubarida; ſanguis forte e vena miſſus non facile in coagulum abit, ſaepius cuticula obtegitur verſicolore; humores ſecreti cadaveroſum quid ſpirant, facile ſanguinis fluxus promanant atque efflореſcunt maculae. Ubi ad extrema ventum eſt, oculi hebetes fiunt et aridi, lingua atra atque dura, pulſus viresque infirmantur, nervoſae partes malis ſymptomatibus vexantur, exitiumque fit praeceps.

Cauſſa vero huius febris acris humor eſſe videtur, putredinem attrahens, qui tamen a ſcorbutica corruptione omnino differt.

Notatu quoque dignum, quod experientia mea in noſodochio noſtro inſtituta quotidie confirmatur,

eiusmodi aegros melius tolerare aërem incluſum, quam purum multis ventis agitatum. Multo minor eſt eorum numerus, qui in noſodochiis febre putrida enecantur, quam quis ex parum faventibus, quibus aeger in noſodochium apportatur, conditionibus coniicere poſſit. Etenim praeter malam plerumque antegreſſam curationem, eiusmodi ſolent eſſe aegri, ut nullam fere morbi praegreſſi hiſtoriam referre poſſint: nihilominus vero ſaneſcunt in noſtro noſodochio qui in aedibus regiis vix ac ne vix quidem convaluerint.

Utplurimum et lotio et ſudoribus terminantur hae febres. Rariſſime vero maculae criticae ſunt, maxime dum non rubrae, ſed lividae apparent, ubi humorum omnium diſſolutionem indigitant. Infractio virium, pulſibus debilibus ſignata aegros praecipitat.

Quum ſanguis hic cauſſam morbi contineat, aeque ac in febre inflammatoria continenti obſunt remedia, quae evacuant ſordes primarum viarum. Neque fortuiti alvi fluxus cogere nos debent, ut arte alvum cieamus, quum vires potiſſimum ſint in hac febre conſervandae.

Vena quoque nonniſi in initio febris ſecanda, maximeque, dum ſanguis vere abundat.

Emetica proderunt ineunte morbo, et ad eliminandas ſordes et ad cutis madorem proliciendum:

quod quidem natura ipſa quandoque molitur, praeprimis, ubi contagio propagatur morbus.

Expedit autem, protinus ab initio propinare acidula diaphoretica, cui perquam aptum eſt oxymel. Quodſi vero contagium ſuſpicamur, quod nervos infeſtaverit, diu poſt emeticum exhibitum, diaphoreſis ſervanda eſt iis remediis, quae huic fini accommodantur.

Dum viget febris, acida mineralia exhibeantur cum vino, aſſiduoque ſpiracula cutis aperta ſervanda.

Ubicunque cutis arida eſt, ac ſudor ſpaſmis cutis reprimitur, balnea tepida optime proſunt. Vulgus utatur iisdem ſub initio morbi ac fere ubique et ad molliendam cutem et ad purgandam eamdem.

Simulac pulſus viresque labefactari videris, horis matutinis cortex cum vino, poſt meridiem vero alexipharmaca propinanda, quorum praeclariſſima fere ſunt valeriana et angelica. Vid. *potio alexipharmaca.*

In hoc quoque morbi ſtadio veſicatoria proſunt ſtimulis additis, qui vitandi erant in primo, ubi nimis attenuant ſimul humores, quod licet in ultimo etiam ſtadio fiat, haudquaquam tantopere nocebit ob irritationem multo validiorem. Experiendum eſt itaque prius, num ſinapiſmi vel fomenta ex armoracia iuvent.

Quod ſupereſt, eadem febris cum ſymptomatibus praevalentibus atque peculiaribus iuncta occurrit, de quibus deinde tanquam de ſpeciebus ſingularibus ſermo erit.

DE FEBRIBUS REMITTENTIBUS.

Vocantur hae febres quoque *συνεχεῖς*, ſive *continuae*, atque poſt acceſſus ſuos iterum remittere ſolent. Deceſſiones eae oriuntur, cum aliquid critici excretum eſt, impetus vero febris quandoque frigus, nonnunquam vero ſtatim auctum invehunt calorem. Circuitus hi iam ordinem quemdam ſervant, ut tertio quovis aut quarto die impetus recurrant, et in his quidem curioſius agendum, ſi excretiones movendae videntur. Nonnunquam autem ordo is haud facile animadvertitur.

Quum vel acutae ſint vel chronicae, hic quidem illas duntaxat tractamus, quippe quarum indoles apprime differt.

Cauſſa vero proxima earum in ſanguine generata non videtur, ſed ex primis viis eo deponi, quod quidem tum ex ſymptomatibus tum ex curatione probabili coniectura conſequimur. Hinc a variis auctoribus febrium gaſtricarum nomine inſigniuntur.

Quae ſordes primarum viarum quo copioſius humoribus admiſcentur, eo minus impetus et deceſſiones febris diſtingui poſſunt, eoque magis febres ad indolem continentium vergunt. Quod quidem in febrium putrido-bilioſarum ultimo ſtadio contingit, ubi protinus ab initio evacuationes negligebantur. Quo vero manifeſtiores atque longiores remiſſiones, eo propius accedunt ad intermittentium indolem, eoque magis requirunt corticis peruviani uſum, quem aqua infuſum ac ſalibus aperientibus nuptum propinare convenit.

Maxime vulgarem hanc febrium claſſem, deſpectam ab auctorum variorum ratiociniis, in dignum ſuum locum iterum reſtituit obſervatio. Inficiandum tamen haudquaquam, aeque nocuiſſe evacuantium abuſum, quam deſpectionem. Summa rerum et hic eſt, ſicut ubique, caute formare cauteque perficere indicationes. Immerito enim ex deceſſionibus febrium manifeſtis efficitur neceſſitas remediorum evacuantium, cum ſordes plerumque prius praeparandae ſint, cum virium defectus saepius diſerte contradicat promovendis deiectionibus, cum denique iis nonnunquam remediis, quae partes ſolidas mutant, humorum peccantium generatio arceri poſſit.

In his autem febribus obſervatur in primis viis, vel *bilioſarum* ſordium, vel *pituitoſarum* col-

luvies, unde duplici hoc potiſſimum reſpectu tractandae ſunt.

DE FEBRIBUS BILIOSIS.

Bilioſae vocantur febres, quae omnino et ubique cum abundantia bilis iunctae ſunt. Duplicem autem ſedem habet haec copioſa bilis. Namque vel humoribus corporis vario modo admiſcetur, ſine primarum viarum illuvie, vel in ipſo ventriculi et inteſtinorum tractu accumulatur. Dum illud contingit, amarum quidquid aeger ſapit, cuius tamen lingua pura eſt, urina flammeum ſervat colorem, ſerum ſanguinis e vena miſſi amarae et flavicundae eſt indolis, quandoque etiam cutis arcuati morbi ſpeciem prae ſe fert.

Dum in tractu inteſtinorum ſordes bilioſae accumulatae ſunt, amarus adeſt ſapor, lingua muco flavido obtegitur, appetitus deficit, urina turbida eſt et craſſa, alvusque ordinem naturalem non ſervat. Utrobique nervoſae partes infeſtantur, quod neque inflammationi verae, neque putredini, neque nervorum dibilitati tribuendum eſt.

Acris autem fit bilis, dum cholerica adeſt diatheſis poſt animi adfectus violentos. Maxime vero miaſmata quaedam aut contagia videntur in bilem agere eiusque organa ſecretoria, ut et, quidquid organorum abdominalium affert ſpaſmum, cauſſis

febrium bilioſarum occaſionalibus adnumerandum eſſe videtur. Quamvis conſtat, has febres tolli non poſſe, niſi abundans haec bilis eliminetur, ambigitur tamen merito, utrum haec bilis cauſſa an effectus potius ſit febris. Atque a veritate alienum omnino non eſt, utrumque ſtatui poſſe, absque mutata ideo medela. Forte etiam tertia quaedam cauſſa adeſt, quae niſi ſublata ipſa bile corrupta, tamen poſt eamdem vinci poteſt.

Periculi autem expertes ſunt hae febres, dum rite curantur: poſſunt tamen malignitatem adipiſci, ſi non probe dignoſcuntur. Vomitu ſolvuntur et alvo: et quemadmodum coctum vocamus in aliis febribus humorem peccantem, ita hic *turgere* dicitur, ſi depoſitus in tractum inteſtinorum ibi movetur ac ad evacuationem idoneus ſit. Turget autem vel ſurſum vel deorſum. Surſum turgere elucet ex ſoluta muci linguam obducentis indole, qui non ſatis linguae adhaeret, ex malo animae odore, ex nauſea, ſputatione ac vomituritione, ex preſſionis ſenſu in hypochondriis, ex frigore extremitatum, ex capitis dolore, aurium ſuſurru, labii inferioris tremore, vertigine et anxietate. Deorſum vero turgere cognoſcitur ex gravitatis ſenſu in femoribus et genubus, ex pulſu intermittente, ex abdominis inflatione, torminibus ventris et flatibus, ac inde, quod deponere alvum ubique aeger cogitur.

Medelae ratio ſequitur naturae praecepta. Humores peccantes conamur derivare ex ſanguinis maſſa ad inteſtina atque ad turgorem diſponere, quo facto emolimur eosdem. Prima quidem pars curationis efficitur ſolventibus, antiſpaſticis et diluentibus. Expediunt autem optime ſal Glauberi, oxymel ſimplex et vomitoria tam parce exhibita, ut nullum plane excitent vomitum. Vid. *mixtura ſolvens.* Quae remedia ubi nimis citum ducunt alvum, eorum loco adhibendum eſt vel alcali acido citri ſaturatum vel ſal ammoniacus ſolutus. Vid. *liquor terrae ſol. tartari* et *mixtura reſolvens.* Ubi ſpaſmi pervicaces bilem in ſanguinis maſſam reducunt, ſubinde opiata lenia exhibeantur iungenda alvum ducentibus. Ceteris fere praeſtant balnea tepida, maxime, dum cutis et lingua arida fit. Simul ac vero turgoris ſigna accedunt, vel vomitus cietur, vel alvus laxatur ope tamarindorum aut cremoris tartari, prout natura et ſtatus aegri aut morbi ipſius tempora id requirere videntur. Vid. *potio laxans.*

Sicut temporis ratio in ſumma conſideranda eſt, ita quoque emoliendi ſunt humores nonniſi in deceſſionibus. Maxime vero lente feſtinanda alvi ductio, quae ſaltem criticis diebus nequidquam movenda eſt. Veterum optimum fuit conſilium, diluentia ſolummodo et reſolventia eſſe propinanda.

Neque

Neque ambigendum, quod quae alvum nimis ac praepoſtere ducunt, magis officiant quam proſint.

Genus conſtituunt febres bilioſae in ſyſtemate naturali, quod duas complectitur ſpecies, vel *inflammatoriam* vel *putridam*.

Febris bilioſa inflammatoria.

Verno tempore eiusmodi febres epidemice graſſantur, licet ſingulae etiam occurrant. Signis iunctae ſunt diatheſeos phlogiſticae ac colluviei bilioſae: graviores itaque ſunt iis, quae vel ſolam ſanguinis inflammatoriam indolem vel bilis corruptionem absque ſanguinis mutata indole ſecum vehunt.

Curatio itaque ſimplicis febris utriusque complectitur.

Protinus ab initio ſanguis e vena mittendus eſt, tum ob conſtitutionem inflammatoriam, tum ut eo facilius humores turgere poſſint, atque ut impediantur et congeſtiones et inflammationes, quas alioquin reſolventia et evacuantia facile gignent. Tunc vero, quae iam laudavimus, ſolventia et diluentia, poſtea evacuantia atque diaphoretica lenia adhibeantur.

Febris bilioſa putrida.

Confunditur ſaepius haec febris vel cum febre continenti putrida, vel cum febre maligna, vel ha-

betur etiam eadem cum utroque febrium genere. Ab illa tamen dignoſcitur colluvie bilioſa, ab hac vero ita, ut ſymptomata adfectorum nervorum ex bilis acris ſtimulis oriri atque evacuata illa etiam tolli videantur. Oritur autem aeſtivo tempore et autumno, cum effluvia putrida in aëre humido et calido, aut miaſmata peculiaria et contagia corpus afficiunt. Et bilis et putredinis ſigna hic inveniuntur, unde multo citius praecipitatur aeger quam in febre bilioſa inflammatoria. Vena aut raro aut nunquam ſecanda, niſi ſanguis mire abundaverit, niſique nullus ſubfuerit putredinis metus, quod in primordiis morbi duntaxat contingit.

Ut diluantur et excernantur humores, utimur acidis vegetabilibus, maxime pulpa tamarindorum et cremore tartari. Vid. *potio laxans*. Acida enim mineralia facile impediunt initio ſolutionem et excretionem, multo plus iuvant in ultimo ſtadio.

Vomitoria ſtatim poſt primum morbi impetum adhibenda ſunt, cum in decurſu facilius alvo ducta noceant.

Veſicatoria tunc tantummodo proſunt, cum nimis cita alvus inflammationem inteſtinorum facile excitare poteſt, aut dum inteſtina nimis laxa ſunt. In utroque caſu abdomini optime imponuntur.

Excretione perfecta, cutis mollitur camphora, eaque iunctis remediis.

Cum ad ultima ventum eſt, ubi nihil emoliri debemus, eadem curationis ratio obtinet ac in febre continenti putrida.

DE FEBRIBUS PITUITOSIS.

Id maxime diſcrimen inter prius et hoc febrium genus adeſt, quod hic potius muci copia quam bilis in primis viis turgeat, quae putredini favet, et nervorum vires debilitat.

Primus fere Sarconius egregie id genus febrium explicavit et obſervationibus ſuis illuſtravit. Nomine *febris lentae nervoſae* apud nonnullos venit, ubi nervorum potius affectus quam diſſolutio humorum adeſt. Magni tamen haudquaquam momenti inſtar habet hoc nomen, ubi muci tam manifeſta adſunt ſymptomata. Poteſt quidem colluvies mucoſa adeſſe in febre lenta nervoſa, neque tamen diſcrimen facit morbi, ſicut febris, quam hic tractamus. Neque enim ſuccus tantum gaſtricus, ſed ſanguis quoque tanta inundatur muci copia, ut et veſicatoria mucum illum ſecernant atque viſcera pene omnia poſt mortem muco obducta reperiantur. Dum tempeſtas frigida eſt et humida, dum fames et victus pravus populum infeſtat, praeprimis haec febris oritur.

Tenaci muco obducitur lingua. Sanguinis e vena miſſi cruor ſolutus apparet, et tenaci corio mu-

coſo obductus. Urina tenuis et aquoſa, pulſus debilis et intermittens, febris non ſatis valida eſt.

Multo maius ineſt his febribus periculum, quam ceteris, quum naturae vires non ſatis vigeant.

Venae ſectio fere nunquam admittenda. Ut prius ſolvatur mucus ac diluatur, neque temporis ratio neque virium permittit, eliminandus itaque protinus eſt, quod vomitu optime fit. Qui ubi prohibetur, rhabarbarina cum ſale ammoniaco adhibenda ſunt, quum illa nequaquam vires infringant, ſed tonum augeant, ſal autem ammoniacus non ſolum reſolvat ſed et putredini reſiſtat. Vid. *mixtura reſolvens.*

Veſicatoria inſerviunt viribus ſuſcitandis et cum malignitas urget, balnea tepida et frictiones in uſum trahantur, ut circuitus humorum acceleretur et ſtaſes reſolvantur.

Simulac muci copia ſublata eſt, cutis mollienda alexipharmacis. Vid. *potio alexipharmaca.*

Ad haec victu utatur aeger pleniori et qui vires conſervat, carnis iuſculis cum acido citrorum et vino.

DE FEBRIBUS ATYPICIS.

Quam hic complector, febrium claſſis, haud totum eſt genus id, quod auctores *febres erraticas* vocant. Eas tantum comprehendo, quarum impe-

tus et deceſſus neque manifeſti ſunt neque ordinati, neque veram faciunt intermiſſionem. Eo quidem febres intermittentes atypicas ab hac claſſe ſegrego. Praeterea id adeſt harum febrium diſcrimen, quod debilitas ſingularis et morboſa irritabilitas pateat, quodque phaenomena neque ſecum neque cum cauſſis manifeſtis congruant.

Aegri laborant animi peculiari infractione et deſponſione, quavis occaſione exitium metuunt, aut cum praeceps periculum eſt, nihil id curant. Somno nullo recreantur, licet neque doloribus neque ardore vexentur. Pulſus eſt vel naturalis, cum ancipiti ſtatu, vel peſſimus, cum cetera ſymptomata non tantum indicant periculum. Cum lingua arida non ſitiunt, cum ore humido nimium bibunt. Quae indicata eſſe videntur remedia, perverſo modo agunt. Criſeos ſigna praecedunt coctionem etc.

Quodſi febris malignae nomen retinetur, hae quidem febres ob latentem indolem et praeceps periculum potiſſimum malignarum nomen merentur. Magis vero congruum ac ſignificantius nomen *febris nervoſae* eſſe videtur.

Cauſſa primaria complecti videtur acre virus contagioſum, quod nervorum ſyſtema afficit, aut debilitatem eam ac morboſam inducit irritabilitatem, ut occaſiones quaecunque leviores incitare valeant eius-

modi febrem. Simul quidem exiſtunt diatheſis inflammatoria, putredo, ſordesque et bilioſae et mucoſae, ſed cauſſam febris ſufficientem non comprehendunt, cum earundem remotio febrim non tollat, ſaepius quoque non adlevet ſed aggravet.

Summa rerum verſatur in virium ratione, quibus itaque parcere debemus, quantum poſſumus. Quo maiorem agnoſcunt debilitatem ſymptomata, quoque minorem febris vehementiam, eo magis meretur morbus febris nervoſae nomen.

Prout differunt cauſſae praedictae, diſtinguitur in febrem *acutam* et *lentam nervoſam.*

Febris acuta nervoſa.

Orditur autem morbus ſomnolentia vel agrypnia continua, dumque remittit febris, deſponſio animi aut nimia alacritas obſervatur. Pulſus eſt parvus, duriusculus, inaequalis: lingua alba, arida, ſcabra et tremula. Vomituritio adeſt absque turgentis humoris indiciis. Evomit aeger bilem atram vel praſinam. Adſiduo micturire ſolent, qui hoc morbo laborant: lotium excernunt vel turbidum, bruneum, male olens, vel tenue et aquoſum. Oculi obtutum ſtupidum in rem quamdam figunt, aut titubant, atque acie nimis vivida laborant. Deliria facile et convulſiones oriuntur. Maxime vero contraria ſibi ſymptomata ſignant hoc febrium genus.

Cauſſa febrium harum contagium plerumque eſſe ſolet, quamquam ſporadicae quandoque ſint.

Praecipitare ſolent aegros in exitium, curioſius itaque in curatione agendum.

Quae obſervatur haec febrium ſpecies, putreſcentes plerumque adiunctos habet humores in primis et ſecundis viis ſtabulantes. Curatio itaque verſatur in rite adhibendis remediis, quae evacuant, putredinem arcent, et virus expellunt.

Protinus a primordiis morbi omnia vitanda ſunt, quae infringere vires valent. Sanguis non mittendus, niſi ubi eius copia urget, atque ubi aeger iis aſſuevit evacuationibus, nunquam vero ubi iam porrigitur morbus in plures dies.

Purgantia omnino fugienda, quorum loco vomitoria initio morbi opponenda, ut crudi non ſolum humores et ſordes bilioſae eliminentur, ſed ut et contagii vis infringatur et cutis molliatur: ſudores deinde alexipharmacis promovendi. Vid. *potio alexipharmaca prima.*

Neque negligenda ſunt veſicatoria, quippe quae irritamenta interna minuunt et vires ſuſcitant.

Ubi humores nimis excernuntur, ſimul autem adeſt agrypnia ac ſpaſmus, opii cautus uſus obtinet.

Ubi excretio penitus impeditur ſpaſmis, ubi arida ſimul eſt cutis, balnea proſiciunt tepida, aut,

cum haec non ſufficiunt, multa aqua calida pedes manusque foventur.

Dum vires labeſiunt, et vinum et cortex confert peruvianus. Plenior ſit victus, magisque calidum regimen.

Quum vero nullo critico modo ſolvitur febris, decubitus fiunt, maxime ad glandulas parotides, quae cum cito tumidae inflammantur, in exitium praecipitant aegrum, ubi vero diſcuſſio tumorum et ſuppuratio in longum porrigitur tempus, ſaneſcit aegrotus.

Febris lenta nervoſa.

Qui hyſtericis aut hypochondriacis laborant adfectibus, qui animi adfectus graviores paſſi ſunt aut alios victus errores commiſerunt, quibus nervoſae partes debilitantur, e. g. qui manu ſtuprum ſibi attulerunt, hac potiſſimum febre afficiuntur. Protinus ab initio vires ſatis proſtratas, animi deſponſionem, pulſumque exilem et inordinatum obſervare licet. Calor ab eo, qui aegro adſtat, naturalis ſentitur, ab aegro autem ardentiſſimus. Subinde cum frigore pedum caput ardet. Eaque ratione paullatim accedunt ſymptomata, ſibi plane contraria. Denique ſubito ſaepius delirium irruit, quod in ſoporem, is vero in mortem transit apoplecticam.

Diſcrimen autem huius morbi et febris acutae nervoſae id eſt, quod lenta febris in duo ſignificanter tempora dirimi poſſit, quorum prius ſymptomata complectitur leviora, ſed contraria ſibi et quae vulgaribus non facile cedunt remediis, atque quod ad undecimum aut quartum decimum usque diem porrigitur. Poſterius ſtadium critico die cum deliriis aut convulſionibus incipit, quibus lipothymiae et paralyſis accedunt: in utroque vero morbi ſtadio ſomnus omnino deficit.

Syſtematis nervoſi vires eſſe in hoc morbo fractas, ex ſymptomatibus elucet. Cauſſa autem ſtimulans, quae acceſſit, varia eſſe poteſt: plerumque vero adeo latet, ut curatio nullo modo ad eam ſit inſtituenda. Subinde tamen virus varioloſum, rheumaticum, aut alia miaſmata excitare poſſunt eamdem febrem.

Saepius haec febris lento et inſenſibili modo ſolvitur, modo ſudoribus, modo miliari exanthemate albido, nonnunquam vero decubitu ad glandulas parotides et pharyngem. Quodſi in pulmones decumbunt humores, catarrho ſuffocantur aegroti, aut in hecticam febrem praecipitantur. Periculum ubique urget in hoc morbo.

Summa vero rerum, ſi ad eventus febris reſpicimus, verſatur in primi ſtadii indole dignoſcenda et rite tractanda, quod quidem fit, dum indicationes

omnes ſequimur, viribus autem, quantum fieri poteſt, parcimus. Alcali acido citri ſaturatum, pauxilloque aquae benedictae Rulandi miſtum, optime confert, cum mobilem faciat humorem et excretioni faventem.

Secundi ſtadii eadem valet medela, quae in febre acuta nervoſa commendatur, maiore tamen copia roborantibus utamur (vid. *potio alexipharmaca*); veſicatoria ita applicemus, ut continuum pareut exitum humoribus adfluentibus, ac carnium pleniorem uſum concedamus.

Quoties metaſtaſis orta fuit, reſolventibus atque venarum ſectione ſuccurrendum eſt. Malignitas febris iam ſilet, atque in inflammatoriam ſaepe abit indolem. Eaque ratione per totam morbi moram, curatio contrario hoc utroque modo inſtitui poteſt.

DE FEBRIBUS INTERMITTENTIBUS.

Impetus adſunt in hoc febrium genere, qui perfectam attrahunt ſymptomatum intermiſſionem, quae itaque *apyrexiae* nomine venit.

Aliter explicari id nequit, quam ex adſumta humoris, qui febrim excitabat, generatione extra ſanguinis maſſam, quo tandem delatus ſit. A veritate non multum abeſſe videtur opinio eorum, qui febrilem hunc humorem credunt in primis viis gigni,

cum organorum digeſtionis ratio plurimum faciat et in dignoſcendis ſymptomatibus et in curando morbo. Videtur autem humor hic ſaepius adeſſe, cum abeſt febris. Itaque peculiaris adhuc nervoſarum partium diſpoſitio requiri videtur, quod quidem ex efficacia adfectuum animi in producendis et tollendis his febribus, ex purgantium actione in recurſibus huius febris attrahendis, ex corticis peruviani irrita actione, cum alvum ciet patere videtur.

Occaſionem vero praebent huic febri gignendae crudi primarum viarum humores, praeſertimilioſi et pituitoſi, aër impurus, praeſertim vero contagium ſeu miaſma epidemicum.

Circuitus acceſſuum plerumque ordinem quemdam ſervant, cuius quidem cauſſa adhuc latet.

Ad ordinis vero huius rationem dividuntur febres intermittentes:

1. In *quotidianas*, quarum impetus omni horarum XXIV ſpatio recurrunt, proximeque accedunt ad continente.

2. In *tertianas*, quae quovis XLVIII horarum ſpatio redeunt. Verno tempore maxime frequentes et plerumque benignae ſunt.

3. In *quartanas*, quarum circuitus LXXII horis perficitur, quibus potiſſimum viſcerum labes adiuncta eſt, atque plerumque ibi occurrunt, ubi

ſcrofuloſa diatheſis corpus infeſtat: hinc pervicacia earum explicanda.

4. Praeterea *quintanae*, *ſextanae*, *ſeptimanae*, *octanae*, *nonanae* febres obſervatae ſunt, quin *menſtrae*, *trimeſtres*, et *annuae* intermittentes.

5. Denique *compoſitae* dicuntur et *duplicatae*, ut quotidiana exſtet, tertiana et quartana duplex. Tertianarum duplicatarum acceſſus primus cum tertio, ſecundus cum quarto congruit, ſi quis praeſertim ad moram et gravitatem reſpexerit. In quartanis duplicatis primus acceſſus cum quarto, ſecundus cum quinto congruit. Qui vero rite curare has febres cupit, multo plus curae impendet cauſſis veris materialibus reperiundis, quam phaenomenis obſervandis et finiendis, quorum cauſſae nos latent, ex quibus itaque ad curationem nihil poteſt effici.

Secundum anni deinde tempora, quibus graſſantur, dirimuntur

1. in febres *vernales*, quae plerumque quotidianae ſunt et tertianae;

2. in febres *autumnales*, quae vel eosdem habent circuitus, vel quartanae eſſe ſolent.

Diſcrimen porro eſt febrium intermittentium *benignarum*, quae nullis ſymptomatibus alienis, nulloque periculo ſtipatae ſunt, et *malignarum*, quae in ſecundo vel tertio impetu aegrum interimere ſolent morte apoplectica.

Periodici deinde obſervantur morbi, ubi ſymptomata febrilia peculiaria non manifeſto diſcernuntur, qui vero intermittentibus febribus accenſendae eamdem requirunt curationem. Cognoſcuntur vero ex conſtitutione morborum praevalente et ex cauſſarum ſimilitudine: ſpeciem ſaepius rheumaticorum aliorumque id genus morborum prae ſe ferunt. Ad id genus referuntur alvi fluxus, colici dolores, aſthmata, capitis dolores, multique ſpaſtici adfectus. In curandis quoque his morbis ad cauſſas febrium intermittentium generales conſilium transfertur, atque cortex profert peruvianus, ſi caute adhibetur.

Cum aegre definiatur cauſſa febrium intermittentium materialis, dum curamus, reſpicimus tantum ad cauſſas occaſionales, quibus remotis cortex peruvianus adhibendus erit.

Solvuntur plerumque ſudoribus et ſedimento urinae lateritio.

Quae quidem ſolutio egregie promovetur vomitu, qui ſponte frigoris tempore oritur.

Egregium eſt ſignum, cum ad labia ſcabiei ſimile exanthema prorumpit.

Quo magis fixus eſt typus, eo pervicaciores eſſe ſolent.

Dum anticipant aut poſtponunt impetus duas aut tres horas, ſimul quoque impetus minuitur,

ſpes eſt, brevi ſolutam iri febrem. Quodſi vero anticipant acceſſus ultra mediam apyrexiae partem, acceſſuum reduplicatio eſt metuenda.

Infarctus licet veteres ſaepius febribus tolluntur, nonnunquam tamen et novi iterum oriuntur, velut *placentae febriles*, quae tumores ſiſtunt et infarctus lienis.

Vehementer urgentibus cauſſis, maleque inſtituta curatione, intermittentes, praeſertim duplicatae, facile transeunt in continentes, quae periculo tunc ſolent eſſe ſtipatae.

Dum acceſſus ipſe viget, nil generatim moliendum, niſi tranſpirationem promovere potibus copioſis ex infuſis floribus chamomillae volueris. In deceſſionibus vero cauſſae ſtimulantes tollendae, atque nervorum ſyſtema cortice peruviano eſt roborandum.

Quodſi febres hae in longum tempus porriguntur, ſudor aegre promovetur: fit tamen ope balneorum tepidorum, quae caloris tempore adhibentur.

Periculo ad quemvis febris acceſſum aucto, feſtinandum eſt in cortice peruviano adhibendo. Neque tamen in ipſis inſultibus, neque protinus ante eosdem exhibeatur, quippe cum tali modo exhibitus vel efficaciam nullam exſerere vel inſultum ipſum augere atque obſtructiones producere poſſit. Optime vero ſtatim poſt inſultum ingeritur.

Febrem perperam ſuppreſſam revocare non noſtrum ſemper eſt. Quandoque recurrit poſt purgantia fortiora, aut victus vitia, fuliginis quoque extractum proficuum ad hoc eſſe dicitur.

Cum differentiam malim naturalem reſpicere in definiendis febrium ſpeciebus, nec hic ſequar vulgarem partitionem ſecundum acceſſuum differentiam, ſed indolis ipſarum diverſitatem in medium ducam.

Febris intermittens a ſola irritabilitate.

Singulatim nonnunquam occurrit in ſubiectis irritabilibus, quae debilitata ſunt, vel dum febres intermittentes graſſantur. Humorum peccantium ſigna deficiunt: tertianae plerumque eſſe ſolent, aut quotidianae, periculo carent rite curatae, neque aliud quid citra corticem peruvianum requirunt.

Febris intermittens bilioſa.

Verno tempore tertianum typum ſervans graſſatur. Sordium bilioſarum manifeſta adſunt ſymptomata, aut cum frigore ingruit vomitus ſpontaneus bilioſus. Vulgaris eſt haec ac leviſſima omnium febrium intermittentium.

Naturae nutus ſequitur, qui curare cupit hanc febrem; vomitum excitat in ipſo frigoris initio, aut brevi tempore antea, quo tollitur ſaepius febris.

Quae ſi his remediis non ceſſerit, cortex in intermiſſionibus eſt exhibendus.

Febris intermittens bilioſo-inflammatoria.

Ab intermittente bilioſa ſimplici diſtinguitur manifeſtis inflammatoriae diſpoſitionis ſignis. Tertianae ſolent eſſe duplicatae, aut adipiſcuntur hunc typum, ſi antea tertianae erant ſimplices, verno tempore praeprimis obviae.

Continentes fiunt, dum male tractantur, maxime dum cortex praepoſtere exhibetur.

Vena protinus ſecta eamdem adhibemus medelam, quae in continua bilioſo-inflammatoria commendatur. Cortex nonniſi dilutis ſatis humoribus et excreta bile in uſum vocari poteſt, ſali ammoniaco nuptus.

Febris intermittens bilioſo-putrida.

Quemadmodum illae vernales, ita hae autumnales eſſe ſolent, ac quotidianum ſervare typum. Putredini favent ac traſitui in febres continentes. Praeſtat, ut ſolvantur humores, ſal ammoniacus, bilisque protinus evacuanda, ut mature ſecureque cortex adhiberi poſſit.

Febris intermittens maligna.

Contagium tantum non ſemper remotam conſtituere cauſſam ſolet, acceſſusque ſaepius facit quartanos

tanos, quorum ſecundus vel tertius apoplectica morte iam terminatur.

Indoles vero morbi tum ex graſſantium morborum conſtitutione, maxime vero inde dignoſcitur, quod primus ſecundusve impetus haud vulgaribus iungantur ſymptomatibus.

In prima ſtatim intermiſſione cortex eſt, ad praecavendum recurſum, exhibendus: in acceſſibus vero ipſis theriaca prodeſt, ad unam aut duas drachmas intra 12 horas.

Febris intermittens diuturna.

Tertiana febris rarius in longum tempus porrigitur. Protrahuntur autem ſaepius et quotidianae et quartanae. Infarctus enim adſunt plerumque abdominis pertinaces, qui, niſi tollantur, hydropem gignunt aut hecticam febrem.

Optime autem tolluntur infarctus ſulfuris aurati antimonii et mercurii dulcis uſu copioſo. Pulvis Iacobi febrifugus, in Anglia ſatis celebratus, calcem continet antimonii et arcanum corallinum.

Quo facto firmandum corpus cortice, ut recurſus impediatur. Vid. *cortex chinae*.

Ubi debilitas ſola nervoſa et ſpaſticorum adfectuum frequentia adſunt, opium cum cortice iunctum, egregie prodeſt. Quod ubi non ſufficit, in

impetu ipſo, dum frigus abiit, opium exhibeatur, quod, ſudoribus prolectis, ſymptomata ſequentia minuit et removet.

DE FEBRIUM SYMPTOMATIBUS.

Intereſt nonnunquam, ut ad ſymptomata quaedam conſilium cautiſſime transferat medicus, unde, qui totam morbi faciem negligebant, crediderunt, febres, quibus adiunctum erat peculiare quoddam ſymptoma, ſpecies ſiſtere ſingulares; quem morem ſi ubique ſequeremur, ſingulorum morborum caterva infinita foret, atque non ſatis diſtinctam earum cognitionem adipiſceretur tiro medicus.

Symptomata ſingula hactenus conſideramus, prout cauſſis naturam ipſam morbi non complectentibus producitur. Dum humoribus peccantibus gignuntur, curatione ea tolluntur, quae contra humores eos militat. Peculiarem vero requirunt curationem, quum a cauſſis pendent alienis, quae ad naturam morbi non pertinent: neque tunc negligendae ſunt, quippe quibus augeatur atque gravior ſaepenumero fiat morbus. *Curatio* vocatur *ſymptomatica*, quae hisce inſervit ſymptomatibus tollendis: eiusdem momenti ſaepius eſt, ac curatio eſſentialis, cui tamen plerumque ſubordinata eſt.

Calor.

Abſque motu calorem excitari non poſſe, ex phyſicis ſatis conſtat legibus. Cum vero in febribus humorum circuitus mire ſit acceleratus, neceſſario ſequitur, calorem ſupra modum augeri debere. Qui vero inde ex frictione fluidorum ad ſolida, ſanguinisque ad vaſa, calorem gigni arbitrati ſunt, unam quidem cauſſam, nequaquam vero omnes attigerunt. Calor ſaepe adeſt vehemens cum pulſu debili et tardo, modicus vero cum forti pulſu. Internus potius motus in cenſum venit quam progreſſivus motus, citra quem ille exiſtere poteſt.

Dignoſcendus eſt quoque calor non ſenſu ſolo eius, qui corpus contrectat, ſed aegri quoque. Thermometro fere nullus indicatur calor, dum aeſtum queritur aeger, quem ferre non poſſit. Quae differentia dum negligebatur, lites varias excitavit circa medicaminum actionem.

Febris cum aeſtu intenſo et arido iunctus appellabatur olim *cauſus* ſeu *febris ardens:* perperam vero ſingularis ſpecies atque naturalis habita eſt, cum diverſas potius cauſſas agnoſcat, differre itaque debeat curationis ratio.

Citra calorem criſis nulla fieri ſolet: quodſi vero nimis intenditur, inflammationes excitat aut humorum diſſolutionem, quae alioquin non ſecutae

fuiſſent. Proliciuntur quoque calore intenſo ſudores colliquativi, atque adeo irriti aut noxii.

Praeter cauſſas febrium generales calor gignitur plethora, alvi obſtructione et calido victu.

Dum itaque cauſſis generalibus obviam itur, neque calor minui poteſt, vena erit ſecanda, clyſmatibus alvus ducenda et regimen antiphlogiſticum commendandum.

Frigus.

Triplex eſt, *perfrigerium*, *horror* et *rigor*.

Perfrigerium aut horripilatio cum externo frigoris ſenſu ſemper iungitur. Ingrediuntur cum eo ſenſu acceſſus febriles, atque adeo transit. Dum vero protinus intenditur, vel debilitatem inſignem vel putredinem ſignat et gangraenam. Utroque caſu ars nihil praeſtat, niſi generalia.

Horror deinde ſaepius primordia acceſſuum febrilium conſtituit, neque ubique frigoris externum attrahit ſenſum. Citra paroxyſmos viciſſitudines indicat ſingulares, e. g. ſputa critica, ſanguinis profuſiones, inflammationis transitum in ſuppurationem.

Neutro caſu aliquid moliendum ut horror impediatur.

Rigor, frigus cum rigiditate, periculum infert, cum obſtructiones facile graviores et concrementa efficere polypoſa poſſit.

Haec vero praevertuntur potibus tepidis vino mixtis, frictionibus artuum vino et aquis aromaticis inſtitutis.

Cum nonnunquam congeſtio humorum vehemens et motus inde impeditus rigorem producant, evacuantia eodem caſu conferent.

Febres continentes, frigore vehementi incipientes, praecipitant facile aegrum, dum inflammationes aut ſymptomata nervoſarum partium adducunt.

Quodſi extra acceſſus frigus aegrum infeſtat, citra criſeos aut ſuppurationis ſigna, praeceps eſt gangraenae periculum vel in peius ruit morbus.

Sicut calor ex motu progreſſivo aucto, ita frigus ex ſtaſi fluidorum olim declarabatur. Sed, qui friget, pulſum ſaepius habet celeriorem, eius calor externe ſentitur. E ſtimulo peculiari multo certius explicatur, cum ſaepius nervis irritatis demum oriatur, e. g. apud parturientes, aut dum calculus ex veſica urinaria in urethram prorumpit.

Neque dubitari poteſt, ſpaſticis adfectibus originem ſuam tribuere. Cutis ſic dicta anſerina, pulſus contractus, ſitis, vomitus non raro accedens, urina pallida hoc probant.

Frigent quandoque ſingulae corporis partes, calentibus aliis: quod quidem ſpaſmos adeſſe etiam docet et circuitum humorum, maxime in externis, praepeditum.

Ubi calor cum externo frigore iungitur, ea febris λειπυρία, ubi ardor externus cum interno frigoris ſenſu, ἠπιαλός; ubi in ipſo aeſtu ſubito frigus ſentitur, φρικώδης, ubi vero frigus protinus externum et internum intenditur, febris *algida* vocatur.

Sitis.

Oritur ſitis, dum ſtimulo impediuntur ſecretiones, ſive anhelitu frequentiori, quod utrumque a cauſſis febrium generalibus gignitur.

Periculum infert, cum extingui nequit, lingua tamen humida manet. Malum portenditur, cum nullus aegro convenit potus, peior adhuc exitus praeſagiendus, dum cum ipſa ſiti horror potus adeſt. Eadem ratione exitium eſt metuendum, dum aeger, cuius lingua arida eſt, bibere non vult. Quodſi potuum cuiusvis generis horror adeſt, convulſivique motus inter bibendum aut ad aquae adſpectum oriuntur, *hydrophobia* adeſt *ſpontanea*, quae tantum minus periculoſa eſt, hydrophobiâ a morſu canis rabidi ortâ maximeque periclitatur, cui potus per nares redeunt, aut cum ſonitu quodam ſingulari delabuntur.

Summatim ſitientibus aegris ſine ratione potus denegandus non eſt. Congruat tamen potionum genus cum morbi indole, ceteriſque rebus, quae aegrum attinent. Inflammatoriis morbis conferunt

aquoſi et diluentes, biliofis mucoſi, putridis acidi, malignis potus ii, qui cor roborare dicuntur. Expedit in putridis febribus vinum acidis mineralibus adiunctum, quod optimum eſt in febribus malignis alexipharmacum, optimeque eas praevertit. Neque metuendi potuum frigidorum ii effectus, qui vulgo creduntur, cum adſiduus aeſtus febrilis tollat protinus malos potuum frigidorum effectus.

Neque tamen ubique potiones copioſae conferunt, ſed ibi duntaxat, ubi facile fluida reſorbentur atque e corpore eliminantur, cum alioquin ex abdominis inflatione ſymptomata peiora reddentur.

Cum itaque ſpaſmus nimis vehemens eſt, ſitisque extingui nequit, antiſpaſtica exhibenda, cui uſui confert egregie opium ipecacuanhae nuptum. Vid. *radix ipecacuanhae.* Ubi nullus inflammationum metus adeſt, ſpirituoſa, velut potus ab Anglis *Punch* dictus, ſaepe optime ſitim exſtinguit.

Cibis faſtidium.

Fere omnibus febribus ſymptoma hoc adiungitur, exceptis tantum phthiſibus et febribus quibusdam intermittentibus, in quibus ciborum quoddam remanet deſiderium.

Sublatis febribus ipſis, facile reſtituitur amaris atque roborantibus.

Fames nimia, quae in febribus intermittentibus ſaepius adeſt, morbum ipſum et nutrit et auget. Expedit autem, ptiſanas mollientes ingerere aut veſicatoria ventriculo imponere, quibus remediis ſymptoma hoc quandoque optime cedit. Sequitur vero plerumque haec fames infarctus abdominis pertinaces, ad quos conſilium in curando morbo transferendum.

Nauſea et vomitus.

Gradu tantum differt utrumque ſymptoma.

Irritato plerumque ventriculo et oeſophago originem ſuam tribuunt. Stimulum autem praebent vel ſordes in ventriculo ſtabulantes, vel contagioſum virus, vel irritabilitas ventriculi ſingularis cum cauſſis levioribus fortuitis, vel inflammatio ventriculi et partium vicinarum, vel conſenſualis irritamenta, quae morbi encephali et renum exhibent.

Utrum vomitus allaturus ſit criſin, nec ne, ex ſignis diiudicandum eſt, quae turgere ſurſum ſordes indicant. Quae ſigna ubi abſunt, in plenum curandum eſt, ut vomitus ſedetur, qui iam praepoſterus aut mere ſymptomaticus eſſe ſolet.

Alioquin autem confert, vomitui ſuccurrere quoties ſordes adhuc eo egeruntur, neque vires ni-

mis infractae neque loca adfecta nimium irritata apparent.

Ubicunque vero ſordes turgent, egerendae ſunt: alvi ſimultanea obſtipatio balneis tepidis et ricini oleo tollenda: infarctibus venae portarum occurrendum hirudinibus ad anum aut ad hepatis regionem applicatis; contagia optime diaphoreticis propelluntur; irritabilitati denique nimiae opponenda veſicatoria, opiata et potus Riverii. Ubi inflammatio adeſt, id medelae genus eligendum, quod infra contra gaſtritidem commendabitur; ubi ſtimulus a renibus derivatur, paſſio renum removenda; quodſi vero cerebrum praebet ſtimulum, ſymptoma plerumque conatus curantis eludit, aut congruit ſaltem cum laeſionis indole, cuius diagnoſis et curatio alio loco exponetur.

Flatus.

Ubicunque vires, quae digeſtioni inſerviunt, fractae, ſuccusque gaſtricus corruptus eſt, fixus facile aut alio modo corruptus aër ea evolvitur copia, ut neque reſorberi poſſit neque eliminari: extenſo itaque ventriculo et inteſtinis is aër ſymptomata plura gignit atque vulgares febrium ſequelas aggravat.

Ructus efficiuntur a protruſo per os aëre: motus vero, quos auditu percipiendos in inteſtinis ex-

citat, *borborygmi* appellantur. Univerſum eo abdomen intumeſcens ſiſtit *meteoriſmum*.

Cauſſae vero ſunt:

1. debilitas ventriculi et inteſtinorum ſingularis;

2. ſpaſtici earundem partium motus, quibus aſſimilatio impeditur, aëris evolutio augetur, exitus vero inhibetur;

3. victus vitia ea, quibus et ſordes et ſpaſmi generantur;

4. bilis defectus, quippe quae maxime aſſimilationi favet;

5. alvi obſtipatio, quae flatus parva ſaepius duntaxat copia genitos reprimit, eaque ratione motus ſpaſticos ac flatus producit.

Virium ſtomachi et inteſtinorum infractioni prius non occurretur amaris quam verſus febrium finem.

Spaſtici motus requirunt, ut remedia ſolvantur in aquis antiſpaſticis, adiuncto ſpiritus nitri dulcis pauxillo.

Victus errores vitandi, ſordes crudi pro conditionum varietate vel vomitoriis vel laxantibus mitioribus propellendi.

Bilis defectus varias agnoſcit cauſſas, quae, niſi cum febre ipſa tollantur, peculiarem deſiderant medelam, quae infra ad icterum exponetur.

Alvi obſtipatio clyſmatibus carminativis ex floribus chamomillae cum foeniculo aut cumino tollitur.

Ubi quid ex longo tempore in abdomine obduruerit, febris vehementia in ulcus abiturum, vel generatim ubi ulcera adſunt, facile aëris copia generatur, quae aegre propellitur, ſed ſtatim iterum generatur.

Obſtructio alvi.

Alvus raro ſatis in febribus reddit; vel enim profluit vel compreſſa eſt.

Haec vero anxium facit aegrum, capitis dolores, vertiginem, vomitum, deliria, ſomnolentiam profert, omni itaque attentione digna eſt.

Comprimitur autem alvus:

1. cum in plenum ſecretiones impediuntur. Ubi ſitis urget, alvus adſtringi ſolet.

2. cum aliae augentur ſecretiones. Coacta reddit et pauca alvus, cum vomitus aut ſudores adſunt.

3. Hinc etiam alvus reprimitur, cum exanthemata aut ſanguinis profuſiones imminent;

4. inteſtinorum debilitate;

5. bilis defectu;

6. nutrimentorum defectu.

Generatim iis tantum alvus ducenda, qui ex adſtricta alvo moleſtias ſentiunt.

Stimulus oritur ex cauſſis febris generalibus, cum quibus quoque removetur.

Ubi vomitus adeſt ſymptomaticus, ſiſtatur. Sudoribus ſymptomaticis occurritur curatione univerſali ac diaeta antiphlogiſtica.

Quos ſpaſtici motus per totum corpus infeſtant, clyſmata ex aſa foetida cum ſapone adiuvant.

Abſtinendum ab omnibus remediis, ſi exanthemata aut ſanguinis profuſiones inſtant, quas criticas eſſe confidimus.

Reliquis tribus cauſſis ad finem febris tantum occurrendum eſt; palliandae tamen fomentationibus et alvi lotionibus.

Diarrhoea.

Quos cita exercet alvus, neque critico modo profluit, eorum vires franguntur, aliaeque impediuntur criticae eiectiones.

Alvum citam ſaluti futuram eſſe ex turgoris ſignis praegreſſis efficiendum.

Male autem alvi profluvia incitantur, praeter cauſſas febrium generales:

1. crudis humoribus,

2. irritabilitate inteſtinorum nimia,

3. vaſorum lacteorum, ob circuitum ſanguinis per venam portarum impeditum, reſorptione prohibita;

4. aliis excretionibus ſpaſtice ſuppreſſis.

Ubicunque alvi reſolutio aegrum non adiuvat, continenda eſt.

Quod patratur, dum crudos humores emolimur, irritabilitatem inteſtinorum mollientibus fomentis et alvi lotionibus, vel etiam opio ſedare conamur, ubi lotium et ſudores regreſſi ſunt, eos iterum provocamus lenioribus remediis, veſicatoria ſimul adhibemus, et, ubi obſtructa eſt alvus, febre demum ſublata, alvum ducimus.

Haemorrhagiae.

Sanguinis profuſiones vel adiuvant aegrum vel morbum aggravant.

Maxime levat ſanguis, qui e naribus profluit, et poſt quartum quidem diem. Praeſagiunt id profluvium oculi rubri, temporum gravitas, vertigo et obnubilatio oculorum, capitis cervicisque dolores et narium pruritus.

Malae vero ſanguinis profuſiones oriuntur, praeter cauſſas febrium generales:

1. a ſanguinis abundantia et laxitate vaſorum,
2. a ſanguinis per abdomen circuitu impedito,
3. ab alvo adſtricta.

Quodſi abundantia ſanguinis profuſionem excitat, neque febris putredini favet, ſanguis e vena mittendus eſt.

Sanguinis per abdomen circuitus promovetur, dum id mollientibus fovemus, dum hirudines ad anum apponimus, abdomini veſicatoria.

Alvus adſtricta ducenda eſt.

Sudor.

Qui humorum coctionem praegreditur ſudor, ſemper ſymptomaticus eſt.

Qui vero adiuvat, praeſagitur lotii pauca excretione, cute molli pruriente et pulſu undoſo.

Sudores itaque protinus ab initio morbi profluentes, ancipites ſunt. Subinde vero coctione non indigent humores, atque ſtatim in primordio poſſunt per cutim educi, quod in malignis praeſertim febribus contingit.

Helodes vocabantur a veteribus eae febres, quibus copioſi ab initio ſudores mali adiuncti ſunt.

Obſervatus fuit morbus contagioſus, cum ſudoribus ingentibus, qui intra nychthemeri ſpatium vel occidebant vel ſervabant aegros. Nomen tulit *ſudoris Anglicani.*

Praeter cauſſas febris generales, ſudores mali excitantur:

1. laxitate cutis nimia,
2. victu nimis calido,
3. aliis excretionibus impeditis.

Utrique priori cauſſae opponenda diaeta antiphlogiſtica, ultimae ea remedia, quae leni modo excretiones reſtituunt.

Debilitas febrilis.

Siquidem in quovis febrili morbo vires labefiant, *proſtratio* tamen *virium* ibi adeſt, ubi deficit robur ad humorum coctionem et excretionem requiſitum, atque laſſitudo inſolita ſentitur.

Accedit autem proſtratio maxime ad febres nervoſas, quae cum apprime malignae eſſe ſoleant, proſtrationem virium, tanquam malignitatis notam, varii auctores conſiderarunt. Verum enim vero et in aliis febribus obſervatur, ubi vomitoriis ſaepe tollitur, inſciis tantum maligna dicenda. Bene itaque diſcrimen eſt capiendum inter vires vere labefactas et ſuppreſſas. Vere labefiunt in febribus nervoſis, ſupprimuntur vero in ſimplici inflammatione, ubi ſanguine miſſo ſaepius vires reſtituuntur.

Generatim vero, praeter curationem generalem vix quidquam peculiare moliri poſſumus, ut vires redintegrentur. Ubi eae ſpeciatim vires deſunt, quae humores movent, ibi iuvat frictio lenis et preſſio muſculoſarum partium.

Quae non porrigitur debilitas, ſed ſubito orta iterum tranſit, *lipothymia* dicitur.

Sequuntur lipothymiae febriles vel defectum virium vel molimina, quae coctionem et criſin patratura ſunt, vel egeſtiones nimias, quibus ſanguinis copia ſubito penitus deminuitur.

Illud ſi accidit, periclitatur aeger ex impedita criſi, dumne ſenſibilitatem potius alienatam quam veram virium proſtrationem ſupponant.

Minus officiunt, imo ſaepius proſunt lipothymiae, quae egeſtiones nimias ſequuntur, e. g. poſt venam in febribus inflammatoriis ſectam.

Indicationes quoque hic generales conſiderandae, neque aliquid peculiare moliamur, niſi criſin promoveamus et viribus, ut indoles febris id requirit, ſuccurramus.

Pervigilium.

Ubi continua urget vigilia, *agrypnia* laborare aut *pervigilio* aeger dicitur.

Sequitur autem id vitium:

1. ſenſuum adfectus adſiduos, quibus ſomnus aufertur,
2. dolores,
3. calidum regimen,
4. ſanguinis abundantiam,
5. ſpaſmos,
6. alvi adſtrictionem.

Quodſi

Quodſi ſpaſmis ſomnus impeditur protinus, in delirium facile praecipitatur aeger. Adſiduum fere eſt febrium nervoſarum ſyptoma, maxime in initio.

Externa quoque, quae ſomnum prohibent, removenda ſunt aut mutanda. Subinde loci aut lecti, ubi aeger decumbit, mutatio ſufficit, ut ſomnum capiat, praeprimis ſi aegri, incongruo loco ſeſe decumbere, credunt.

Dolores raro tantum remediis ipſis tolluntur.

Ubi ſanguinis urget copia, vena ſecanda aut hirudines temporibus apponendae.

Spaſmi veſicatoriis auferuntur, aut, ſi caute egeris, opio.

Alvus denique naturalis ſervanda.

Stupor.

Animi complectitur deſponſionem et virium infractionem: accedit autem ad febres nervoſas, ubi vires emortuae ſunt. Poteſt tamen etiam ſequi virium ſuppreſſionem, e. g. ſanguinis abundantiam, ſordium in primis viis turgorem, ubi redeunt vires, ſi quid horum humorum egeſtum eſt. Neque aliquid peculiare moliendum, quum a cauſſis plerumque praevalentibus oriatur, atque ad eſſentiam morbi pertineat. Habenda itaque ratio indolis febrium: in plenum vero proſunt veſicatoria, ſinapiſmi, frictionesque artuum.

Delirium.

In duas abit delirium febrile ſpecies, quarum altera acceſſus duntaxat comitatur, altera vero continua eſt. Haec quidem ad periculum fere ſemper praecipitat.

Quae cum deceſſionibus tranſit dementia, παραφροσύνη dicitur. Adſiduum vero delirium vel mite eſt ac tranquillum, vel cum furore iunctum, ubi *phrenitis* dicitur.

Quae quidem, quamvis a variis auctoribus inflammatio meningum habita fuit, dementia, tamen ſaepiuscule ad febres biliofas accedit aut nervoſas, quae accedentibus alvi fluxionibus aut ſanguinis e naribus fluxu ſubito cedit, ideoque nulli inflammationi accenſeri poteſt. Ad haec ſecta poſt mortem cadavera nihil fere inflammationis multoties oſtendunt, ubi diu protinusque aeger inſanivit, uti et ſine ullo furore ſubinde meningum inflammatio adeſt.

Eas autem notiones omnes delirans ſecum iungit, quae unquam ſana ipſius mens antea vel dilucide vel obſcure cogitaverat. Qui itaque peregrinis omnino idiomatibus loqui, futura praedicere delirantes dicebantur, ii rite obſervati haudquaquam eſſe videntur.

In deliria vero praecipitant capitis auriumque dolores pertinaces, qui manifeſtas cauſſas non agno-

ſcunt, ſpiritus porro graves ac tardi, pulſationes abdominis fortes, inſueti motus, mores ac ſermones, oculorum maxime acies alienata. Quodſi cum iis ſignis criticus aliquis dies ſummum ſecum adfert febris impetum, protinus inſania timenda eſt.

Haud adeo celerrime rapit aegrum inſania, quae cum ipſa febris acceſſione incedit, ac ea quae ſequitur, poſtquam curationis modos fere explevimus. Eo maius quoque periculum ſignat, quo plures functiones ac conſuetudines complectitur.

Movet autem inſaniam, quidquid nervos convellit aut infirmat. Praeter cauſſas vero febrium generales gignitur praeſertim:

1. ſanguinis abundantia;
2. ſenſibilitate nimia ac teneritate;
3. vigiliis ac virium intentione diuturna;
4. alvi compreſſione;
5. exanthematum regreſſu;
6. medicamentorum actione debilitante;
7. vermibus: taenia enim, quae ſolium appellatur, in febre acuta furorem producere poteſt.

Sanguis quidem abundans e vena mittendus, aut hirudinibus ad collum, cucurbitisque cervici impoſitis minuendus eſt.

Dum teneritas nimia adeſt, ea, quae irritant, vitanda ſunt.

Ubi nimis violentes apparent actus, ſuadenda eſt quies, vigiliae vero eo modo tractandae, qui ſupra expoſitus eſt. Alvus aſſiduo leniter ducenda, abdominisque inflatio ac tenſio mollientibus unguentis aut veſicatoriis minuenda.

Opium tantum adhibendum, ubi id, quod ſtimulat, ob ſpaſmos totum corpus afficientes, reiici nequit. Neceſſe autem eſt, ut, ſpaſmo ſublato, id, quod irritat, involvatur aut egeratur ea via, quam maxime commendat natura.

Exanthemata retrogreſſa veſicatoriis, balneis tepidis, mollientibus fomentis, veſicatoriis, iisque remediis, quae leniter ſudorem movent, revocanda ſunt.

Debilitas ingens victu pleniori ac vino tollenda eſt.

Contra taenias autem, dum febris viget, quidquam moliri nefas: optime ſaepius febre ipſa enecantur.

Egregie vero confert ad inſanias tollendas, ſi medicus ea omnia vitet, quae ullo modo aegros ſtimulare valent, ſimulque abire videatur in eos ipſos errores, quibus detinentur aegri. Hac enim medici prudentia ſaepius miteſcunt inſaniae, quae alioquin plerisque remediis reſiſtebant.

Sopor.

Febris, quae ilico ab initio ſomnolentiam adfert, *ſoporoſa* dicitur aut *comatoſa.* Somnus continuus, e quo tamen aegri ſuſcitari poſſunt, *coma* vocatur *hypnodes;* ubi vero dormire tantum videnter, *coma* adeſt *vigil.* Dum vero aeger e ſomno excitatus, ad ſe non redit, ſed inſanire incipit, *lethargus,* dum ſopor adſiduus eſt, neque ullo modo auferri poteſt, *carus* vocatur.

Efficitur autem:

1. virium debilitate quae intentiones nimias aut egeſtiones ſequitur;

2. quidquid nimis irritat, velut vermibus, bile, exanthematis retrogreſſis;

3. humorum abundantia, quibus vis vitalis opprimitur;

4. pus aut ſanguis in cerebrum effuſus, quo id comprimitur.

Oritur autem plerumque in iis febribus, ubi aeger inſania correptus fuit, aut ubi nervi convellebantur, maxime dum aeger adhuc aetate iunior eſt. Febres quoque nonnullae intermittentes quovis impetu ſoporem adferunt. Carus vero aliquot tantum dies continuare ſolet.

Exitium metuendum eſt, ſi ſopor continuus adeſt, neque ſola virium ſuppreſſione aut ſtimulis fortioribus, velut vermibus, excitatus fuit.

Optime contra eum adfectum conferunt ſinapiſmi et veſicatoria. Ubi vires deficiunt, cardiaca iuvant et anodyna. Quidquid irritando ſupprimebat vires vitales, id removendum. Ubi effuſus aliquis humor cerebrum comprimit, perforanda eſt calvaria. Quodſi circuitum certum morbus habet, ilico corticis uſus eſt imperandus, quum in exitium facile aeger praecipitetur.

Convulſiones.

Quivis muſculorum motus praeternaturalis hoc nomine venit, *ſpaſmus* autem dicitur aliarum fibrarum et vaſorum contractio, quamquam is uſus non ſemper ſervetur, exemplo convulſionis muſculorum facialium, quae *ſpaſmi* nomine inſignitur. Tendinum vero manus agitationes, quae citra voluntatem contingunt, ſubſultus appellantur. *Tremor* quoque ad convulſiones referendus. Diaphragmatis convulſio *ſingultus* dicitur. Pertinent quoque huc et *oſcitatio*, et *ſternutatio*, et *teneſmus*.

Cuius quidem adfectus cauſſa praediſponens quaerenda eſt plerumque in nervorum inſigni quadam debilitate et teneritate. Stimulus autem praebetur vel cauſſis febrium generalibus vel levioribus quibusdam cauſſis, dum vires iam exhauſtae ſunt.

Favet huic vitio iuniorum corpus magis quam adultiorum, ſenum aut phlegmaticorum: hos vero

dum afficit, multo citius exitium ſignificat quam apud illos. Quodſi transiiſſe iam vigorem ſummum febris videtur, multo maius affert periculum, maius, dum emortuae ſunt vires, quam dum humor aliquis rudis nervos corripit, qui egeri poteſt. Ea ratione ſingultus, ſpaſmus pharyngis et tendinum ſubſultus mortem adnunciant, dum e priori cauſſa producuntur: ſternutatio vero ante criſin ſalutem adfert.

Plerumque cum inſania iunctae ſunt convulſiones febriles. Obſervavi tamen aegrum, qui, optime ſui conſcius, adſiduo convellebatur manibus pedibusque, tanquam chorea S. Viti laboraſſet.

Quae a cauſſis febrium generalibus pendent convulſiones, tolluntur quoque, dum febris curatur. Ubi vero vires iam exhauſtae ſunt, adhiberi ſolent opium, caſtoreum et moſchus, licet ſaepius nequidquam iuvent.

Singultus ſubinde praenunciat, fore ut vermes aut humores acres e primis viis reiiciantur. Dum vero poſt eas continuat egeſtiones, periculum plerumque ſignat. Utrique caſui raro ſuccurritur iis remediis, quae ſymptoma duntaxat id e medio tollere poſſunt.

Quandoque ſignificat, fore ut ſanguis per haemorrhoides exitum moliatur, ſicut, ubi in primis

viis cauſſa non verſatur, venae portarum infarctus indicare ſolet.

Febres, in quibus ſingultus frequens eſt, *lyngodes* veteribus dicebantur.

Anxietates.

Circulum humorum impeditum plerumque ſignant. Nonnunquam enim per pulmones tranſitus officitur, ſubinde vero, dum pulſus ſpiritusque bene valent, circuitus humorum per abdominis vaſa impeditus eſt.

Poteſt autem id obſtaculum eſſe vel ſpaſmus vaſorum, vel obſtructio aut praeternaturalis eorum indoles: e. g. aneuryſmata aut arctum nimis lumen. Spaſmus gignitur vel cauſſis generalibus, vel alvo compreſſa, vel exanthemate inſtante. Solet autem obſtructio abire in inflammationem vel duritiem partium. Inſanabilia ſunt organica vitia.

Unde patet, quam irrita ſint ea omnia remedia, quae ad ſymptomata tollenda valent, neque tamen alvum ducunt. Raro tantum exanthema inſtans propelli debet. Ubi inflammatio adeſt, febris etiam eum characterem recipit: durities vero, dum febris viget, tolli nequit. Quodſi plethoram adeſſe abdominalem divinamus, hirudines ad anum appoſitae optime conferunt.

Dicebantur eiusmodi febres, quibuscum anxietates iunctae erant, a veteribus *aſſodes*.

Dolor.

Dolores movent inflammatio, congeſtiones et ſpaſmi. Qui ab inflammationibus pendet, dum de eo morbo locuturi ſumus, tractabitur. Spaſmi a febris cauſſa plerumque ſimul gignuntur. Congeſtiones ſupponunt vel circuitum humorum impeditum vel alvum compreſſam. Ducenda itaque eſt alvus, et cutis mollienda. Capitis dolores pervicaces veſicatoriis auferuntur cervici impoſitis.

Ad alia ſymptomata iam noſtra ſe vertit oratio, quae vero tanquam ſingulos morbos conſideramus, cum, licet pendeant a febrium cauſſis, ſpecialem tamen curationem requirant.

Neque haec curatio ſpecialis generali eſt opponenda, ſed ab ea ubique pendet. Reſpiciat medicus adſiduo febris indolem generalem.

Equidem has febrium ſpecies generibus ſupra numeratis ideo non ſubiicio, neque naturalem ſequor hic ordinem, quoniam nolo tantopere alienus eſſe a ſueto ſyſtemate, neque implicari difficultatibus theoreticis.

DE INFLAMMATIONIBUS.

Inflammatam eſſe partem quamdam contendimus, quoties ruborem eius et inflationem cum dolore continuo animadvertimus. Internarum autem partium, quae ſenſibus non occurrunt, inflammatio vel febre et dolore continuo vel functionibus partis adfectae alienatis cognoſcitur. Ita ſpiritus gravis ac difficilis pulmonum inflammationem comitatur.

Neque tamen ſatis conſtantia ſunt ea inflammationis ſigna, ſed ingenii quaedam acies requiritur, ut dignoſcantur. Etenim

1. ſpaſmus ſimplex dolorem ſuſcitare poteſt adſiduum, e. g. capitis dolores;

2. ſaepius inflammata pars non dolet, e. g. hepatis inflammatio;

3. neque partis adfectae functio ubique laeſa apparet, e. g. cerebri inflammatio;

4. neque febris certo morbum ſignat, ſiquidem dolor in febre continuus a ſpaſmo pendere, atque variae inflammationes citra febrim adeſſe poſſunt.

Inflammationem itaque adeſſe optime efficitur ex ſymptomatum omnium concurſu. Ea quidem ratione in febribus811 bilioſis coniectura eſt probabilis, dolores potius a bilis irritamento quam ab inflammatione oriri, cum in febre ſimplici, ubi deſunt ii

ſtimuli, e doloribus continuis atque laeſa protinus functione facilius inflammatio erui poſſit. Ubi dubii haeremus, ea imperanda ſunt, quae et ſolvere humores et ſpaſmos ſedare valent, e. g. externe veſicatoria, interne ipecacuanha parvis doſibus data.

Omnis vero inflammatio in duas potiſſimum abit ſpecies.

Quarum altera, *phlegmone* dicta, fixam habet ſedem ac peculiarem, ſingularique inflatione iungitur.

Altera vero *eryſipelas* appellatur, atque potius per cutim ſerpit et per viſcerum ſuperficiem, facileque locum mutat.

Terminatur vero inflammatio quaevis ita, ut vel discutiatur, vel abeat in ſuppurationem ſive gangraenam, aut ut durities partium remaneat.

Quum diſcuſſio contingit, aliae fere omnes moleſtiae ceſſant.

Suppuratio ut plurimum die tertio accedit, poteſt tamen porrigi in ſeptimum aut decimum quartum diem.

Cognoſcitur vero is transitus ex laeſione functionis ſuperſtite cum doloris defectu, ex febris deceſſione, accedentibusque horroribus, dum vegetae tamen adſunt vires, atque euphoria apparet.

Gangraenam inſtare cognoſcimus ex virium defectu, maxime ex pulſu frequentiſſimo debilique, extremitatibus algentibus frigidisque ſudoribus.

Obdureſcere partes apparet ex ſymptomatum ceſſatione, ſolaque partis adfectae laeſione remanente.

Phlegmone facilius abit in ſuppurationem eryſipelate; hoc vero multo ſaepius gangraenam recipit aut ulcera maligna.

Cauſſam inflammationis alii ſcriptores obſtructioni vaſorum adiudicant; alii effuſo in telam cellularem ſanguini; alii tranſitui eius ac congeſtioni verſus vaſa lymphatica; alii demum ſtimulo in orificia vaſorum ſanguiferorum et lymphaticorum agenti.

Vaſorum quidem obſtructio ſequi poteſt inflammationem, neque tamen eam efficere, quum humores non cogantur accumulari in vaſe obſtructo, ſed facilius poſſint alias vias invenire ope anaſtomoſium.

Effuſus in telam cellularem ſanguis tumorem quidem, nequaquam vero inflammationem gignere poteſt, namque ecchymoſis raro aut nunquam ſuppurationem attrahit. Neque error ſic dictus loci inflammationem efficere valet, quum non ubique vaſa ſanguifera cum lymphaticis adeo cohaereant, neque glandulae obſtructae inflammationi ſatis faveant.

Conſenſuales denique inflammationes docent, in ſtimulo peculiari ſummam rei verſari, quo ſanguinis impetus augetur atque dolor et tumor producuntur.

Inde ſolvi quadantenus poteſt quaeſtio de ſtimulantis humoris indole. Siquidem lympham praeternaturalem adſumunt vulgo, qui cruſtam inflammatoriam ſanguini innatantem, ex lympha ortam viderunt, quique ſimul puris ortum ex lympha, tum experimentorum vi, tum conſpecto poſt mortem velamento viſcerum lymphatico, derivant, qui denique ortum multarum inflammationum e transſpiratione ſuppreſſa obſervarunt.

Quodſi vero cruſta haec potiſſimum ad vigorem febris accedit, ſaepius deficit, neque ullum eius acris indolis veſtigium, (citra quod ne cogitari quidem inflammatio videtur,) apparet; a vero prope abeſſe videtur eorum ſententia, qui produci potius inflammatione hanc lympham credunt.

Plurimum plane intereſt inter eryſipelas et phlegmonem, non ſolum quod externa diſcrepant phaenomena, ſed quod cauſſae etiam longe differunt. Quidquid irritat enim phlegmonem, in loco plerumque affecto reſidet, ſtimulus autem eryſipelas excitans per conſenſum agere ſolet.

Inter cauſſas has conſenſuales ſordes bilioſae principem obtinent locum.

Inſigne itaque et curationis diſcrimen in utroque genere adeſſe debet.

Dum phlegmone adeſt, quantum fieri poteſt, methodi ope antiphlogiſticae, quam iam ſupra enucleavimus, in inflammationem ipſam agimus, idoneaque remedia ipſi parti adfectae admovemus.

Eryſipelas vero, cum vel externum fuerit, haudquaquam ipſum adgredimur, ſed ut ſtimulum removeamus conſenſualem, ſtudemus.

Tum ob id diſcrimen, tum quoque ob corporis peculiarem conſtitutionem, aëris indolem aliasque cauſſas, febrium ad inflammationes accedentium inſignis exiſtit varietas: modo enim ſimplices ſunt, iam putredini favent, nunc bilioſae videntur aut malignae.

Quandoquidem, cum ſimplex eſt febris inflammatoria, curatio univerſalis cum particulari congruit; cum in bilioſis febribus methodus evacuans ſit adhibenda, cum in malignis et putridis febribus febris potius ratio quam inflammationis habenda ſit; apparet, curationem inflammationis cum febris ipſius curatione congruere debere. Et in eo quidem graviter peccant plerique auctores, qui, ſimplicis tantum febris inflammatoriae ratione habita, inflammationes externas fere omnes velut phlegmones curare docent, quod quam maxime alienum a veritate eſt, quum pleraeque potius interiorum viſcerum in-

flammationes ſuperficiem corripiant atque ideo eryſipelatum ſpeciem prae ſe ferant.

Eas duntaxat hic inflammationes complector, quae febrem fere ſemper ſociam habent, locales vero ſub topicis morbis commemorabo, quippe quae plerumque cauſſas agnoſcunt peculiares.

Angina.

Eſt is morbus inflammatio internarum oris partium, pharyngis et laryngis.

Per partes vero varias adfectas varias recipit ſequelas.

Oris inflammatio *ſynanches* nomine apud auctores venit. Inflammantur utplurimum tonſillae, uvula, velum palatinum, unde loquela atque deglutitio impediuntur.

Pharyngis inflammatio externe non animadvertitur, ſed dolorem adfert acutiorem, vocis maiorem raucitatem ac deglutitionem plane impeditam. *Cynanche* dicitur.

Summum vero inter ceteras adfert periculum laryngis inflammatio. Vox adeſt acuta et ſibilans, ſpiritus difficillimus, anxietas enormis, pulſus vacillans et irregularis. *Cynanche* vocatur *trachealis.*

Maxime favent ſubinde infantes huic inflammationi, ubi aſpera ſimul arteria membrana obducitur

praeternaturali, unde morbus recipit *anginae membranaceae* aut *polypoſae* nomen.

Quodſi aſperae arteriae tenerrimi ramusculi inflammati ſunt, oriuntur dolores pectoris acutiſſimi, pulſus duri ac ſpiritus difficillimus. Sputum quoque ſaepius cruentum accedit. Qui quidem morbus potiſſimum contentiones de pleuritidis ſede ſuſcitaſſe videtur, omni itaque attentione dignus eſt. *Anginae pectoris* nomine dignus mihi videtur, quod cum nullo alio adfectu congruit.

Uterque prior morbus ſputo terminatur cruento, ſive ſuppuratione etiam ſalutari: dum vero putreſcunt humores, in gangraenam abit.

Uterque morbus ultimo loco adductus ſuffocatione interimit aut pectoris inflammatione maligna.

Gangraenam quidem haud facile minitatur angina pectoris, ſed exulcerationem ſaepius attrahit peſſimae indolis.

Omne id anginarum genus febrem ſociam habet vel inflammatoriam, vel putridam, vel billioſam, vel malignam. Raro tamen ſimplex inflammatoria febris apud aſperae arteriae inflammationes eſſe ſolet. Dum putrida eſt febris ac contagioſa, effluere ſolet humor acris e naribus, qui partes ſubiacentes corrodit.

Angina auctorum maligna, contagioſa eſt et putrida. Quam iuxta meas ſententias ſupra dictas malignam

lignam voco, ſingulatim orta ſubito plerumque ac haud opinato enecat, quod primum febris ſtadium non facile agnoſcitur.

Pharyngis inflammatio ſymptoma ſaepius eſt aliarum febrium, e. g. phthiſium, in quibus exitium proximum annunciat.

Curationis ratio verſatur in febris varietate. Ad haec gargariſmata in ſynanche adhibentur ex mollientibus et reſolventibus, aut vapores aceti et mellis, in pharyngis inflammatione hirudines et veſicatoria ad collum. Dum ſuffocationis periculum in inflammatione aſperae arteriae urget, opem feret eius arteriae ſectio. Anginam polypoſam adlevant initio vomitoria. In pectoris angina admoventur pectori veſicatoria et regioni inter ſcapulas: atque, ſi unquam vapores aliquid afferre levamenti poſſunt ad reſolutionem promovendam aut ſuppurationem, fit id in hoc morbo.

Ubicunque bilis urget, vomitus foret periculoſus. Turgor verſus inferiora promoveatur, arceatur ſuppuratio congruis purgantibus. Quodſi inflammatio a diſcuſſione aliena ſuppurationi favet, cavemus ab externis diſcutientibus, imperamus autem ſola fomenta et vapores mollientes. Ubicunque ſuffocatio minatur exitium, ut abſceſſus aperiatur, ſtudendum. Superſtes uvulae ac glandularum

laxitas gargariſmatibus adſtringentibus et alumen excipientibus tolli poteſt.

Alia eſt anginae ſpecies, qua colli auriumque glandulae ad aures usque inflammantur. Id habet peculiare, quod protinus ac tumor colli flacceſcit teſticuli ſexus virilis, mammae vero in feminis inflentur. Epidemico plerumque modo graſſatur ac periculi eſt expers.

Qui ſingularem quamdam ad anginas diſpoſitionem habent, ſcrophuloſam potiſſimum labem patiuntur, contra quam extra acceſſus auxilia artis quaerenda, quum phthiſes alioquin pulmonales, quae facile non ſaneſcunt, inde ſequi ſoleant.

Peripneumonia.

Eſt inflammatio vaſorum pulmonis ſanguiferorum. Dolorem producit prementem, contrahentem in pectore: raro aut nunquam, ob laxitatem texturae pulmonum ac nervorum defectum, punctiones adeſſe ſolent. Reſpiratio brevis et regularis: dum inſpiratur aër, parum levamenti aeger ſentit. Spiritus ſunt calidi, ſaepiuscule auditu percipi poſſunt. Tuſſis initio arida eſſe ſolet, poſt vero, diſcuſſione oborta, humida fit. Secundo plerumque die ſaliva excernitur, ramentis cruentis mixta, quae in quartum, ſeptimum aut duodecimum diem porrigitur. Capitis dolores movet vel auget

tuſſis. Inſignis accedit anxietas, ſi ſanguis libere pulmones tranſire nequit. Sapor depravatus eſt, citra ſordium gaſtricarum manifeſta ſigna. Lingua in febre ſimplici inflammatoria initio ſolet eſſe pura, deinde vero lurida evadit, ut tamen facile diſtinguere poſſis eum colorem a ſordium gaſtricarum efficacia in linguae colorem. Pulſus molles et parvi. Facies oculique vel turgent nimis et rubent, vel livent et collabuntur, quod utrumque ab impedito ſanguinis per pulmones circuitu pendet. Plerique aegri, ii maxime, quorum pleura cum pulmonibus non concrevit, in latus ſanum cubare nequeunt.

Citra generales cauſſas excitatur peripneumonia exanthematibus, profluviisque et ſanguinis et ſeri interceptis atque praegreſſae pleurae inflammatione. Febris vero vel vere inflammatorium vel putridum tenet characterem. Hic ſi adeſt, ſaliva exſcreata ſanguine tota mixta eſſe conſueſcit. Ubi bilis adeſt, ſputa plerumque citra ramenta cruenta, colorem adipiſcuntur flavido - viridem.

Sputa quidem cruoris expertia fiunt, dum quarta ingruit aut ſeptima aut duodecima dies: tum quoque tenacia evadunt et ſpiſſa. Cocta eo tempore vocantur, criticique ſudores ſimul apparent, licet ii ſubinde praegrediantur. Interdum nullus ineſt ſputis cruor, atque coctio tunc difficilior fit.

Quo magis intenditur faciei rubor aut livor, quo minor ſit pulſus, quo inſignior anxietas, quo vehementiores capitis dolores inter tuſſiendum, quo lurida magis eſt lingua, eo maius habet periculum morbus. Ruit plerumque in exitium, ſi pleurae praeceſſit inflammatio. Alvus cita in ſimplici febre inflammatoria periculi ſuſpicionem movet. Quodſi neque diſcutitur inflammatio, neque tuſſis ſit humida, ſed cum horroribus frequentibus circuitus regulares febris obſervantur, ſuppuratio eſt exſpectanda. Oriturque tum ulcus vel apertum vel occluſum. Id quidem tuſſi ſaepe vacuatur, aut fertur ſanies in ſanguinem atque phthiſin excitat, aut effunditur in pectoris cavum, unde *empyema* oritur. Occluſum ulcus *vomicae* nomine venit, eosdemque habet eventus ac apertum.

Ubicunque neque reſolvitur inflammatio neque in ſuppurationem abit, ſed in longum porrecta, vires exhaurit, cum pulſu parvo, animaque frigida, *gangraena* ſequi conſueſcit.

Superſtites quoque eſſe *obſtructiones* obſervatio docuit, ubi ſpiritus moleſti tuſſisque arida male habent; illas vero deinde facile ſuppuratio excipit.

In curando hoc morbo cauſſarum maxime praegraeſſarum et febris ſociae ratio habenda eſt. Siquidem exanthemata regreſſa veſicatoriis, ac ubi vires ſatis vegetae ſuppreſſae tantum videntur, vena ſecta,

quod per ſe in inflammatione requiritur, aut iis, quae leniter ſudorem cient, maxime camphora, revocantur.

Saliva intercepta iis, quae ſputa promovent, reſtituitur.

Ubi feminis ſanguis per menſtrua non reſpondit, aut vulgare haemorrhoidum profluvium oppreſſum eſt, eorum locorum venae inciduntur.

Maxime vero febris indoles conſideranda, quo facto occurritur ſimul aliis fere omnibus cauſſis.

Ubi inflammatoria conſtitutio viget, methodus antiphlogiſtica locum obtinet. Ex pulſu non certa petuntur indicia, quippe qui parvus molliſque eſſe conſueſcit: ratio habenda et virium et effectuum, quos venae ſectio parit, et ſanguinis e vena miſſi. Quodſi, cum animus linquitur vena ſecta, dolores vero levantur, pulſus maior fit, et corium innatat ſanguini ſolidum, deinde vero dolores recrudeſcunt, repetenda eſt ſanguinis miſſio. Veſicatoria apponuntur vel pectori vel inter ſcapulas regioni. Spirentur deinde vapores mollientes, impereturque ut remedia quaevis et potus tepide ſorbeantur.

Cum coctum eſt ſputum, neque tamen ſine negotio eliditur, id promovendum melle, aut, cum febris remiſerit, gummi ammoniaco: cuius loco et ſenegae radix et arnica adhibentur. Delingatur

quoque cum ſolventibus et temperantibus aquae benedictae Rulandi pauxillum, dumne vomitus oriatur. Vid. *ſyrup. pector. reſolv.* Subinde expeditius ad id remedium petitur in veſicatorio pectori impoſito.

Ubicunque facile putreſcunt humores, abſtinendum ſanguinis miſſione, aut cautiſſime ea adminiſtranda. Ope camphorae veſicatoria temperentur. Nitri loco adhibeatur ſal ammoniacus, radix ſenegae et camphora. Vapores optime parantur oxymelle. Quodſi periculum urget, acida mineralia vino melleque temperanda; corticisque peruviani infuſum devorandum.

Alvus cita, quae forte utrumque hoc febrium genus comitatur, morbum fere auget, ac emulſionibus ex ſale ammoniaco, mollientibus et veſicatoriis abdomini admotis reprimitur.

In febribus building biliofis vomitoria caute adminiſtranda, et lotionibus potius aut lenibus remediis, ſalem Glauberi puta et mannam, bilis deorſum ducenda. Coctis autem ſputis et turgentibus ſurſum ſordibus, vomitorium omnino ſuadendum, maxime, dum prius veſicatorium ſtomacho impoſitum cavet a ſtimulo, quem vomitus pulmonibus forte imprimit, et turgor bilis absque negotio promovetur.

Pleuritis.

Per magnae contentionis diſputationes tractatur hic morbus a medicis auctoribus. Alii enim eam pulmonum, alii pulmonum ſimul et pleurae, alii vero habent ſolius pleurae inflammationem.

Dum ſoli eſſent pulmones inflammati, nequaquam poſſet à peripneumonia aut ab angina pectoris diſcerni.

Quodſi cum pleura ſimul pulmones eſſent inflammati, ſymptomata quoque peripneumoniae accederent ſemper ad pleuritidem, quod vero haudquaquam contingit.

Facile quidem cum pleurae inflammatione pulmones ſimul afficiuntur, neque tamen deſunt caſus, ubi pulmones inflammationis expertes ſunt. Utrobique ſymptomata morbi differunt, ideoque et nomine differre debent. Sola duntaxat pleurae inflammatio *pleuritis* vocanda eſt.

Haec quidem dolorem infert pectoris adſiduum et continentem, ſpiritus anxios, breves et inaequales, pulſumque durum et plenum. Deficiunt vero omnia peripneumoniae ſigna. Tuſſis manet arida, nulloque cocto ſputo ſolvitur. In curando hoc adfectu itaque, citra generales regulas, nullius ſpecialis ratio eſt habenda. Veſicatoria loco affecto imponuntur. Quod ſupereſt, rarius ſimplex occurrit, cum plerumque in ſequentem tranſeat morbum.

Pleuroperipneumonia.

Is morbus a plerisque medicis auctoribus pleuritis appellatur. Pleurae inflammationem ſiſtit, quae ſuperficiem pulmonum ſimul occupat. Symptomata adſunt et pleuritidis et peripneumoniae, huius tamen leniora. Pulſus adeſt durus et plenus, doloque pungens. Deeſt linguae luridus color, anxietasque paullo minor eſſe ſolet. Epidemico modo occurrit interdum, atque refrigeriis tunc facilius producitur quam alioquin. Quanquam miaſmatis indoles nos latet, inflammatio tamen eryſipelatoſa potius eſſe videtur, quum facile ſedem mutet. Solvitur autem aeque ac peripneumonia ſputis coctis et ſudoribus. Poteſt tamen etiam citra ſputa elidi. Quum dolor ex lateribus ad cervicem fertur aut ad humeros, curatio expleta plerumque eſt. Quodſi vero ſputum cruentum ſubito reprimitur, efficitur inde, inflammationem interiorem pulmonum texturam corripuiſſe: ut peripneumonia ſaepius exitioſa inde ſequatur. Id quoque contingit, dum neque ſymptomata cum duodecimo die remittunt, neque criſis aut ſuppuratio ſequitur.

Quum ſuppuratur, ea pulmonum ala, quae laborat, facile cum pleura concreſcit, ut inde cavum ulceris formetur. Quo quidem caſu aut paracenteſi aut ſetaceo pus excerni poteſt.

Curatio autem eodem modo adminiſtratur, ac ea, quam contra peripneumoniam propoſui. Ex pulſu multo hic certiora petuntur indicia quam illic. Repeti quoque ſanguinis miſſio debet, donec pulſus amplius non durus et plenus fuerit. Quodſi nimis parvus ſit, durus tamen eſt, abſtinendum eſt venae ſectione, potiusque mollientia imperanda et antiſpaſtica remedia.

Inflammatio diaphragmatis.

Dolor eum morbum ſignat acutus, qui a coſtis imis ad ultimas dorſi vertebras progreditur. Spiritus ſimul adeſt brevis ideoque angor. Diaphragmatis irritamentum tuſſim facile aridam movet, ſingultum et vomitum. Quin deliria accedunt et ſpaſmi.

Neque tamen huic febri adeo peculiare id delirium eſt, ac varii auctores perhibuerunt, licet doctum ſit, in pectoris inflammatione riſum ſardonium et deliria diaphragmatis inflammationem ſignare: hunc quoque morbum ubique cum iis ſymptomatibus iunctum *Paraphrenitidos* nomine inſignierunt. Verum tamen experientia conſtat, tum diaphragmitidem nonnunquam neque riſum ſardonium producere neque delirium mite, tum vero etiam haec ſymptomata interdum nihil eiusmodi ſignare.

Quod ſupereſt, differt a pleuritide eo potiſſimum nomine, quod hepatis inflammationem facilius

attrahat. Eamdem enim rationem ad hunc morbum habet diaphragmatis phlegmone, quam pleuritis ad pleuroperipneumoniam. Curatio vero eodem modo ac in pleuritide inſtituenda.

Hepatitis.

Diſtinguendi ſunt in hoc morbo duo modi, quorum ratio ad ſe invicem eadem eſt, quae pleuroperipneumoniam intercedit et peripneumoniam.

Vel enim inflammatio occupat convexae partis eius organi faciem externam et diaphragma vicinum, vel concavam partem inferiorem et ſubſtantiam ipſam. Utraque ſedes et cauſſis praegreſſis differt et curationis plerumque ratione.

Convexae faciei inflammatio dolorem profert adſiduum et pungentem hypochondrii dextri, qui ſuperiora verſus protenditur, diaphragmatis motu auctus. Dum aër attrahitur, multo vehementiorem ſentimus dolorem, quam cum efflatur. Pulſus eſt durus et plenus. Male habet tuſſis arida.

Indoles huius morbi haudquaquam differt a pleuroperipneumonia: iisdem enim cauſſis tribuendus, eodem quoque modo curatur. Critico ſubinde modo ſanguis e dextro narium foramine ſtillat.

Ubicunque febris accedit bilioſa, vomitoria non extimeſcenda ſunt, dummodo ſolventibus humor peccans ita paratus eſt, ut turgeat, ac dum çavetur

veſicatoriorum ope a noxa, quam ſtimuli inde orti producere poſſunt.

Concavae faciei iecinoris inflammatio dolore differt obtuſo, gravante, qui neque diaphragmatis motu augetur. Accedunt ſaepenumero ſymptomata arcuati morbi, quoniam ea maxime organa patiuntur, quae bilem et ſecernunt et educunt. Pulſuum non ea eſt durities, quae priorem morbi modum ſignabat, ſed ea conſueſcit eſſe indoles, quae in peripneumonia animadvertitur. Generatim vero cognitu difficilis eſt haec valetudo, atque cautiſſime tractanda. Interdum tumor quidam extus prominet.

Quandoquidem e cauſſis generalibus oriri hic morbus poteſt, ſingularia quaedam tamen plerumque praecedunt, quae ipſi gignendo occaſionem praebent. Pertinent huc animi adfectus, aut haemorrhoïdum fluxus interceptus, dum vel epidemia vel corporis conſtitutio bilioſa eſt, obſtructiones et calculoſa partium quarumdam durities.

Cauſſa vero proxima complecti videtur congeſtionem acris bilioſique ſanguinis in portarum venoſo ſyſtemate.

Solutioni vel favet vel eam promovet alvus cita, cuius ope acres humores e ductibus biliferis feruntur in duodenum.

Eamdem ob rationem febris ſocia plerumque bilioſum ſervat characterem: expeditius itaque auxilium ineunte morbo praeſtant remedia, quum diaphragmatis motus neutiquam in ipſam partem affectam agere poſſit. Ubi morbus vero iam aliquantum moratus eſt, educendi ſunt humores peccantes ope mannae et alvi lotionum.

Quum vero febris rarius ſolet inflammatoria eſſe ſimplex, ſed bilioſa ſimul, aut putrida, ſuſpenſa omnino manu ſanguis e vena mittendus: commodius vero hirudines ano appoſitae ſaepius reſpondent.

Optime confert camphora ſali ammoniaco nupta.

Externa remedia petuntur, veſicatoriorum loco, a mercurio, qui in India orientali et devoratus expedit. Quodſi ſpaſmi plus urgent quam inflammatio, pulvis Doveri cum calomelane eſt exhibendus.

Dum utriusque modi inflammatio verſus duodecimum diem ſolutionem non paſſa eſt, ſuppuratio eſt exſpectanda, ſi modo vires valuerint.

Ubicunque tumor quidam extus prominet, aperto eo puri exitus paretur, quo facto ulcus ſaneſcet.

Interdum vero pus fertur in femora aut ſuras, unde ulcera oriuntur, quae, dum protinus ab iecinore exulcerato intenduntur, haud facile ſaneſcunt, neque ſiccanda ſunt.

Poteſt vero etiam pus deferri per ductus biliferos in inteſtina, aut per venas hepaticas in ſanguinem, unde demum excernitur vel cum lotio, vel per pulmones aut alvum; ſed hoc arroditur nonnunquam, dum priorem occupat ſedem inflammatio, ventriculus, aut inteſtina, dum concava pars iecinoris affecta eſt: eo quidem exitum ſibi parat pus, atque, dum ſaneſcit ulcus, iecur cum ventriculo aut cum inteſtinis coaleſcit.

Quodſi reſorptio lente procedit, hectica facile ſequitur febris: aſcites autem purulentus, ubi in abdominis cavum effunditur ſanies: utroque vero caſu mors praecipitatur.

Dum neque reſolutio, neque ſuppuratio, neque gangraena hepatitidem excipit, obdureſcit id viſcus: tunc vero dolor quidem ceſſat, ſuperſunt vero anhelitus frequentes, mala degeſtio, unde demum cachexiae et hydropes ſequuntur.

Gaſtritis.

Dignoſcitur hic morbus dolore epigaſtrii atroci, qui et paſtu et potu, tum etiam reſpiratione et preſſionibus externis intenditur. Accedit vomituritio aſſidua, continuoque id, quod vel comederat aeger vel biberat, vomitu reiicitur. Pulſus duriusculi et contracti, extrema frigida, alvusque mire compreſſa.

Stimulus vel in ipſum ventriculum vel per conſenſum agit.

Capitis laeſiones hepar ſimul aut ventriculum offendere ita ſolent, ut inflammatio utriusque organi ſequatur.

Qui in ventriculo ipſo continetur, humor acris, vel ore adſumtus eſt, vel per metaſtaſin e corpore eo delatus.

Ad primi ordinis cauſſas referenda ſunt venena pleraque, velut mercurius ſublimatus, arſenicum, vomitoria et purgantia fortiora, aut quae praepoſtere hominibus teneriusculi habitus et irritabilis, vel ſanguine abundantibus, vel alvo conſtricta laborantibus exhibentur. Non deſunt quoque obſervationes, quae, ex ingeſtis nimis calidis aut a potu bulliente ortam fuiſſe hanc valetudinem, docent.

Metaſtatico modo naſcitur ea inflammatio in variolis et morbillis.

Periculum ubique habet morbus, poteſt tamen tolli octavo die inflammatio. Longe periculoſiſſima eſt, quae conſenſu capitis laeſiones excipit aut quae venena devorata ſequitur.

In medela cauſſarum ratio habenda eſt. Quum laeſionum capitis ſymptoma eſt, tollitur quoque nonniſi cauſſis ſublatis. Ubi metaſtaſis adeſt, humores vel per alvum vel per cutis ſpiracula egerendi.

Dum cauſſae ſtimulantes in ventriculo reſident, vomitus potibus mucilaginoſis et oleoſis promovendus eſt, donec deſierit humorum noxiorum egeſtio.

Saepius vero cauſſa haud facile educitur, velut venena acria: tunc deſtruenda eſt acris eorum indoles aut ſaltem minuenda. Fit id dum arſenicum devoravit aeger, hepate ſulphuris, quod veneni mixtionem ſeparat: minuitur autem vis venenorum potibus oleoſis aut mucilaginoſis.

Ad haec protinus ab initio inflammationi occurrendum eſt. Vena ſecta alvus ducatur. Vomitus continuus, absque noxiorum humorum egeſtione, ſedandus vel veſicatoriis ſtomachi regioni appoſitis vel potu Riverii, fovenda ſimul aquis aromaticis frigida extrema aut fricanda. Caute agendum cum opii et aromaticorum interno uſu, quum facile intendant inflammationem: extus potius applicanda eſſe videntur. Confert quoque unguentum, quod camphoram opiumque excipit, ſtomacho impoſitum.

Enteritis.

Cum ea inflammatione omenti quoque phlegmone coniuncta eſſe ſolet. Excitat autem dolores continuos, nonnunquam ardentiſſimos, ut ne leviſſimum tactum ferre abdomen poſſit. Alvus protinus conſtricta cum vomitu iungitur, qui aliquantum poſt

paſtum accidit. Deinde febris adeſt, quae a colicis doloribus eum morbum diſcernit, cum pulſibus exilibus, duris, ardore vero extremorum haud adeo inſigni.

Oritur is morbus: 1. ab herniae annulo conſtricto, 2. a partu praegreſſo, 3. a ſuppreſſis ſanguinis fluxibus, 4. aut diarrhoeis et dyſenteriis interceptis, 5. ab ingeſtis acribus, 6. a faecibus induratis, 7. a metaſtaſibus.

Periculi utique plenus eſt morbus, maxime quod primordia haud facile cognoſcuntur. Abit haud aegre in gangraenam aut in ſuppurationem. Quo frigidiora extrema, quo conſtrictior alvus, eo magis aeger periclitatur. Summum inſtat periculum, ſi cum ſingultu faeces evomuntur.

Dum herniae annulus conſtrictus neque tamen cum vicinis partibus connatus eſt, reditus partium, quae provolutae ſunt, ſaepius aqua frigida aut glacie impoſitis promovetur. Raro emollientia ſola finem attingunt, quum inteſtina inflammata inde magis expandantur, ut regreſſus herniae impediatur. Ubi reponi nequeunt inteſtina, curatio protinus fiat per ferramenta.

Quibus ſanguis per menſtrua aut per anum non reſpondet, iis apponendae ſunt hirudines ad anum et ad pudenda, fovendaeque aqua calida eae partes.

Ubi

Ubi alvus cita aut dyſenteria aegrum exercet, ad cauſſas tractandae ſunt.

Venena devorata eodem modo curanda, ac in gaſtritide dictum eſt.

Protinus ut inflammationem dignoveris, ſanguis e vena mittendus; in copia autem eius ratio habeatur et virium aegri et indolis febris.

Simul quoque alvus lotionibus primum mollientibus ducenda, deinde vero irritantibus ex tartaro emetico in oxymelle ſoluto: una quoque abdomen mollientibus fricandum et antiſpaſticis. Quae dum curationem non explent, fumum herbae tabaci per anum iniicias, veſicatoria abdomini imponas. Fovendum nonnunquam abdomen glacie. Quamdiu vero alvus conſtricta eſt, internis remediis caute agendum, quum ſtimuli facile inflammationem augere poſſint. Potiſſimum praebet remedium oleum ricini et ſal amarus cum gummi arabica in aqua ſolutus. Ubi venena aut acria alia in inteſtinis latent, oleoſa conferunt et mucilaginoſa, ac quae opportunius eadem egerere poſſunt.

Nephritis.

Renum inflammatio dolore cognoſcitur renum continuo, qui cum primo febris impetu ingruit et, pro ſedis differentia, mitior eſt aut vehementior. Quo magis ad pelvim usque inflammatio procedit,

eo magis pungere dolor, eo durior pulſus eſſe ſolet: quodſi vero interiorem unum compagem inflammatio magis occupat, dolor quoque obtuſus magis et gravans, pulſusque haud adeo durus eſſe conſueſcit. In dorſum tantum decumbere aegri poſſunt. Urina ſimul intercipitur, aut deſtillat tantummodo: praerubrum aut cruentum colorem adipiſcitur, ſubinde tamen pallet. Facile vomitus accedunt, tormina, alvus conſtricta, et irrita conamina ad alvum deponendam.

Gregatim haud facile ea valetudo occurrit. Iis familiaris eſt, quibus menſtrua aut haemorrhoïdum fluore non feruntur, praeſertim dum alvus ſimul aegris conſtiterit, aut is calorem aut frigus ſubito paſſus fuerit. Occaſionem quoque praebent coacta lotii repreſſio, violentia externa et diuretica fortiora. Saepiſſime vero calculum renum ſequitur.

Non raro lento modo decurrunt inflammationes eorum viſcerum et ulcera, ubi, deficiente dolore, morbus ex impedito lotii fluxu, cauſſarumque aliarum defectu divinandus eſt.

Reſolutionem promovent et ſanguinis profuſiones et ſedimentum urinae craſſum: ſuppuratio tamen facile ſequitur.

Pus quidem vel per ureteres in veſicam fertur urinariam, quod ſaluti ſaepius eſt, vel ad exteriora abſceſſus prominet, ut apertus ſaneſcere poſſit, vel

inteſtinum quoddam arroditur, ubi pus exitum ſibi parat, inteſtinum vero cum rene coaleſcit; vel abſceſſus aperitur in cavum abdominis, ut mors ſubitanea ſequatur, vel lento modo pus abſorbetur, ut renum inde phthiſis oriatur.

Raro obdureſcunt renes, qui ante inflammati erant, rarius adhuc gangraena deſtruuntur.

Antiphlogiſtica licet methodus et hic commendanda ſit, omnia tamen ea remedia vitentur, quae urinam vehementius cient. Caute itaque veſicatoriis agendum, neque magna neque proxime ea ad partem affectam apponenda, dumne febris ipſa neceſſario id requirat, eoque caſu camforam excipere debent, neque parti affectae ipſi imponi.

Ubi ſanguinis fluxus interceptus eſt, e pedis venis mittendus eſt: aut, ſi vires deficiunt febrisque putredinem attrahit, hirudines tantum et ano et pudendis apponendae. Mollientia externa, lotiones alvi et tepida balnea optime reſpondent. Simul nitrum camfora emulſum delingat, aut ubi alvus movenda eſt, mannam.

Cyſtitis.

Raro tantum veſicae inflammatio morbum conſtituit primarium: calculum plerumque aut eius curationem excipere ſolet, maxime ſi urinae crebra cupiditas ſed magna ac longa acceſſit difficultas. Ex-

ternae quoque violentiae cauſſam praebere poſſunt. Eodem modo curatur ea renum inflammatio.

Metritis.

Citra puerperium raro obſervatur aut nunquam uteri ea inflammatio, quae acutum conſtituit morbum, recenſenda itaque inter puerperarum morbos.

Febris eryſipelacea.

Eryſipelas medium quodammodo locum occupat inter inflammatorios morbos et exanthematicos, quum plerumque motibus febrilibus ad cutim deferatur. Exiſtunt etiam internae febres eryſipelaceae, atque pleraeque pleuroperipneumoniae eryſipelas potius pulmonum quam phlegmone eſſe videntur. Cognitu tamen difficillima ſunt internorum viſcerum eryſipelata, ideoque hic duntaxat de externis ſermo erit.

Inflammationem ſiſtunt, quae per cutis faciem externam extenſa tumorem facit non vehementer prominentem, preſſioni cedentem, qui facile ſedem mutat, veſiculisque obtectus eſt, humorem flavidum continentibus. In facie frequentiſſima, non rara tamen ad mammas. Ubi acres maxime urgent humores, *ignis* vocatur *ſancti Antonii.* Dum cinguli ad inſtar abdomen circumdat, *zoſteris* aut *zonae* nomine venit. Lentum eſſe ſolet pedum eryſipelas,

febrisque expers, licet iisdem fere cauſſis producatur.

Cauſſam experientia recentiorum docuit eſſe bilem acrem. Febris ſocia non ſolum inflammatoria, ſed putrida quoque ac maligna eſſe conſueſcit. Quodſi male tractatur, facile in ulcera abit eryſipelas, quae vero nunquam adeo benigna ſunt ac poſt phlegmonen, ſed abeunt vel in gangraenam vel in lentum et peſſimum exulcerationis modum.

Dum motibus febrilibus eliminatur eryſipelas, ſubinde, licet raro, criticum eſſe ſolet.

Quum febris plerumque billioſa aut bilioſo-putrida ſit, uti ſupra dictum eſt, curationem inſtituas. Feſtinanda tamen ſunt evacuantia, quum in ulcera facile abeat. Dum ſatis humorum egeſtum eſt, conferunt, quae ſudorem cient. Vid. *mixtura diaphoretica.*

Quia ſedem facile mutat eryſipelas, retrogredi poteſt ac ferri in partes internas. Externa itaque fugienda ſunt remedia, niſi cutis incidatur, ubi gangraena minitatur ac decocto cortice peruviano ſuperficies foveatur.

Carbunculus.

Eſt quaedam eryſipelacea inflammatio, dura, non prominens, ſed vehementer dolens, cum febre iuncta, quae epidemice quandoque graſſatur ac

carbunculi benigni nomine venit. Frequentiſſima haec valetudo in regionibus aridis calidisque, *perſicus ignis* appellatur. Obſervatum quoque eſt in Gallia, virus luis bovillae eiusmodi malignas puſtulas excitare. Superficiem occupat tumor, ac cultri acies non facile ſentitur, cum gangraenae faveat. Suppuratio promovetur, dum adſiduo partem fovemus atque incidimus, ſponte vero ea oriri non ſolet. Ulcera ab internis partibus proſerpunt atque deſtruunt easdem. Interna remedia ea ſunto, quae putredini reſiſtunt ac robur partium augent.

DE EXANTHEMATIBUS.

Exanthemata vocantur maculae et tubercula cutis, febre iuncta, de quibus hic tantum ſermo erit.

Cauſſa latet vel in acri quadam ſanguinis indole vel in contagio.

Vel critica ſunt vel ſymptomatica, omnique febrium generi adiungi poſſunt, ut febris ſocia modo ſit inflammatoria, modo putrida, modo bilioſa, modo maligna. Ab eius febris indole periculum maius vel minus exanthematis pendet.

In curandis exanthematibus ſolius febris ratio habeatur. Raro tantum propellenda exanthemata critica, ſed emoliamur potius id, quod offendit eruptionem.

Peſtis.

Inflammationibus is morbus glandium et partium carnoſarum tendinoſarumque deſignatur, quas raro bona excipit ſuppuratio, ſed ſaepius gangraena. Illas vocamus *bubones*, has vero *anthraces*.

Et illi quidem tertio morbi die, critico nonnunquam modo erumpere ſolent, anthraces vero ancipites ſunt.

Plus quam ſemel corripi poſſe eodem morbo eundem hominem, conſtat, licet non eadem vigente epidemia.

Contagium dicitur cauſſa proxima, quod in Aegypto natum, auſtris flantibus in Europam ferri dicitur: id tamen plane non liquet. Non ſatis volatile eſſe videtur, quod in mercimoniis et arcis diu latere poteſt, tranſit tamen facilius contactu. In ſyſtema potiſſimum biliferum, maxime vero in nervos agere videtur, quod non ex indole ſola morbi, ſed et ex praeſervatione elucet, quae roborante victu et animi hilaritate nititur.

Febris eadem ratione differt ac in aliis acutis morbis, neque tamen omnino benigna eſſe ſolet, ob viri maiorem acrimoniam.

Dum frigidus aër eſt et purus, dum vires valent, maxime incipiente lue aut ad finem vergente, haud multi ſaepe adſunt adfectus nervoſi, ſed inflamma-

toria eſt ſimplex febris, bubones in benignam abeunt ſuppurationem, raroque anthraces accedunt. Neque tamen antiphlogiſtica methodus ex toto adhibenda eſt, vitanda vero plane, quae nimis evacuant. Vena caute ſecta cutis ſpiracula alexipharmacis ſunt aperienda. Vid. *potio alexipharmaca prima.*

Quodſi vero epidemia iam per aliquod temporis ſpatium ſaeviit, aut ubi aëris indoles et corporis putredini favet, facile anthraces oriuntur, periculumque praeceps eſt. Ibi cum antiſepticis iungenda ſunt roborantia, cum acidis mineralibus vinum. Ut ſudor cieatur, potio propinatur alexipharmaca ſecunda. Expedit etiam, ſi cutis glacie fricatur, ut putredini reſiſtatur et ſudores proliciantur.

Acrimonia bilioſa, quae plerumque in primis viis latitat, protinus vomitoriis eliminanda eſt, haudquaquam vero purgantibus.

Maligna peſtis ſaepe ſecundo iam die enecat, priusquam vel bubones vel anthraces proruperint. Ubique bubones quamprimum ita tractantur, ut in ſuppurationem abire poſſint.

Variolae.

Conſtituunt variolae primo maculas rubras, quae media parte ſtigma habent, deinde abeunt in puſtu-

las ſeu abſceſſus parvos, cutim infeſtantes, quae ſuppurationem patiuntur.

Cauſſam proximam quaero in contagio, quod in corpore noſtro non ortum, nobis advehitur. Recipit autem corpus noſtrum id contagium, vel reſorptione immediata, vel aegri transſpiratione.

Aëris ope tamen morbus poteſt advehi iis locis, ubi ante non aderat.

Vero ſimillimum videtur, in interiore Africa hanc valetudinem origines duxiſſe. Graeci antiqui et Romani eam non cognoverunt. Anno 572 primum in Arabia apparuit, atque deinde Saraceni videntur eam in Europam apportaſſe, ubi ad id usque tempus incognita fuerat, poſtea vero contagio magis magisque dominium ſuum auxit.

Ortus itaque viri varioloſi cauſſas requirere videtur, quae in Europa deficiunt. Experientia ſaltem conſtat, commercio tantum hominum apud nos valetudinem ſervari: fieri quoque poteſt, ut virus id diu in corpore latitaverit, priusquam effectus ſuos manifeſtaret, neque ubique producit eosdem, ſed duntaxat, dum diatheſin reperit in corpore: iique rationi nititur dominium morbi epidemicum.

Efficacia igitur eius contagii a ſingularibus ſemper pendet et aëris et corporis rationibus. Hinc fit, ut variolae ſaepius per rura vicina graſſentur, pareant vero oppidis: hinc etiam non bis eumdem

corripit hominem haec valetudo: hinc cuique fere homini minitatur id contagium.

Embryones ipſi eo morbo corripiuntur, vel dum mater eum pateretur, vel dum eo laboraſſet ante plures annos, ſicut experientia id docuit. Hinc efficitur, eum, qui morbo hoc laboravit, licet deinde parare id virus amplius non poſſit, poſſe tamen id adſumere.

Minus tamen hoc venenum volatile eſt, quam peſtis contagium. Per menſes enim aëri libero expoſitum nihil poteſtatis amittit: peſtis vero virus citra quadraginta dies facultatem ſuam amittere creditur.

Contagium quamvis ubique idem eſt, effectus ipſius differre tamen videntur. Modo enim inflammatorias, modo putridas, modo bilioſas producit febres, modo malignas. Puſtularum quoque ratio varia eſſe ſolet. Immo exſtant caſus, ubi nullas excitaret puſtulas, ſed ſudoribus e corpore pelleretur.

Ad noſtra usque tempora nullum repertum viri eius antidotum, quod cum volatile in aëra transeat, exſtirpandum facile quoque non videtur, quanquam impedito cum iis hominibus commercio, qui contagium receperunt, dominium morbi finiri magis magisque poſſe videatur.

Cuius quidem contagii effectus cum tantopere differant, neque antidotum peculiare notum ſit, in

curando eo morbo ratio tamen febris eo excitatae habenda eſt.

Mora morbi complectitur quatuor tempora:

1. *ſtadium ebullitionis.* Contagium admiſſum ſequitur febris, ad quam accedunt ſopores, alvus compreſſa, fauciumque dolores, cum urina turbida, maleque olente ſpiritu;

2. *ſtadium eruptionis.* Tertio die apparent variolae apud adultos inter ſudores, in infantibus non raro poſt epilepticos motus; primae quidem in facie, deinde ad manus et per totam corporis faciem, denique ad extrema;

3. *ſtadium ſuppurationis* annunciant ſexto die motus febriles. Pallere incipiunt variolae, atque ſupra palpebras tumor tollitur. Septimo die centrum, octavo univerſus pallere incipit ambitus, nono die flaveſcere. Suppuratio eodem ordine progreditur ac eruptio, primum in facie, poſt per corpus, denique ad extrema.

4. *ſtadium deſiccationis* decimo die ingruit in benignis: cruſta formatur, poſt duodecimum diem decidua;

Vel *discretae* ſunt *variolae* vel *conſluentes.*

In adultis cum ſuppuratione ptyaliſmus ſaepe occurrit, qui, ſubinde quodammodo criticus, neque per ſe promovendus, neque reprimendus eſt arte.

Suppurationi incipienti accedunt motus febriles, quae febris ſecundae nomine apud quosdam veniunt. Verum tamen fortuito plerumque accidunt, atque vulgaris requirit uſus loquendi, ut ſequenti fidamus explicationi.

Dum pus formatur, vel a reſorbto pure, vel quod non omnes contagii partes ad cutim feruntur, oritur febris, *ſecundaria* dicta.

Quodſi cum eruptione febris primaria ceſſat, ſaluti eſt: ſi autem porrigitur, haudquaquam benigna eſſe ſolet febris.

Febris primariae vehementia neutiquam periculum ſemper praeſagit. Id tamen adeſt, ubi ea febris cum doloribus dorſi et pectoris rheumaticis intravit.

Motus epileptici apud infantes, proxime ante eruptionem, raro periculum nunciant. At cum ſecundum ſtadium comitantur, praecipitant aegrum.

Anceps exitus metuendus, dum tertio die nondum eruptio perfecta eſt.

Cum ubique aequalem monſtrant ruborem maculae, confluere ſolent, neque tamen is rubor periculi plenus eſt, dummodo poſt tertium diem evaneſcat. Longe periculoſior eſt macularum pallor, ſimulac eruperint.

Malum portendit perverſus eruptionis ordo.

Secundum poſtquam eruperunt variolae diem optimum eſſe oportet, ſi omnia bene ſe habere debent.

Haudquaquam peſſima quaeque metuenda ſunt, cum variolae confluunt: febris enim ſummam rei complectitur.

Quum tertio poſt eruptionem die variolae adhuc rubent, ſeptimo id die contingit, quod alioquin quarto ſolebat accidere.

Alvus cita ubique, dum rite morbus tractatur, ancipitem portendit exitum, eademque ratione terrere nos debent ſanguinis profuſiones per mulierum partes pudendas, dum maturant variolae.

Ptyaliſmus fere ubique graviorem indicat ſtatum: morti traduntur ſaepe, qui ſalivam copioſe exſpuerunt.

Febris ſecundaria ſaepius iam ante variolarum maturationem oritur. Motus enim febriles, qui ſuppurationem incipientem comitabantur, porriguntur in febrem ſecundariam: qua non ſolum inflammatoria diatheſis augetur, ſed deferuntur etiam facile humores purulenti ad organa nobilia, ut exitium inde praeceps ſequatur. Is exitus nunciatur angoribus, iectigatione, vigiliis, ſpiritus difficultate, faucium doloribus et ſpaſmis.

Curationis univerſalis regula prima eſt, ut abſtineat medicus omni medela, ſi bene aeger habet.

Neutiquam vi propellendum eſt exanthema, niſi diutius ſupprimatur, cuius cauſſae primum inquirendae ac tollendae: quo facto, neque ullo ſuperſtite obſtaculo, camfora exhibenda aut balnea tepida. Neque tamen etiam arte reprimenda ſunt. Quare enim id in variolis moliamur, quod in nulla alia valetudine, neque dum ſanitas adeſt, agendum ducimus? Nonne faucium phlegmone aëre frigidius ſpirante producta periculi plena ſit? Ecquis inficias iverit, frigore eruptionem impediri? Ecquis negaverit, repreſſa exanthematum eruptione periculoſiſſima produci ſymptomata? Atque variolae nonne hieme malignae ſaepius ſunt, aeſtate vero haudquaquam?

Ne nimis frequentes in facie erumpant, ſuaſerunt nonnulli lavandos eſſe multa calida pedes. Monendum tamen, ſalutarem balneorum effectum ſaepe eſſe dubium, interdum etiam prohiberi. Ubi vero arida cute eruptio difficilis ſit, optime lavatur ac fovetur calida aqua totum corpus. Veſicatoria ſuris impoſita non eruptionem ſolam, ſed puris quoque egeſtionem, tempore ſuppurationis, promovent.

Salivae profuſio ſordes primarum viarum ſaepe ſupponit, evacuantibus itaque etiam tollitur.

Febri ſecundariae opponenda acida et laxantia; ea quidem, ut putredo arceatur, haec vero, ut pus efferatur, cui ſini manna optime reſpondet. Ubi metaſtaſes factae ſunt, a veſicatoriis auxilium peten-

dum, quae fonticulorum vices gerere poſſunt. Confert quoque, ne pus ita deferatur, cutim mollire lenioribus remediis, e. g. radice ſenegae: quod, ubi non ſufficit, cutisque arida manet, lavandum eſt corpus et fovendum aqua calida.

Si quae dominantur febres inflammatoriae, eum quoque ſervare characterem variolae conſuerunt. Phlogiſtica diatheſis interdum adeo praevalet, ut eruptio aegre procedat, ſanguinis tamen miſſione promoveatur. Confluunt quoque eo caſu facile variolae, id citra tamen periculum, dummodo antiphlogiſtica curatio rite inſtituatur.

Quod putredini faveat morbus, coniectare poſſumus, priusquam ſigna adfuerint, ex conſtitutione epidemica et corporis. Febris ſolet ardorem inſignem producere, cui tamen pallor faciei adiunctus eſt. In principio quidem profundius rubent variolae; deinde vero confluunt, non prominent, caeruleum adipiſcuntur colorem aut atrum denique. Quae quidem putredo longe differt ab ea, quae ſecundam febrem comitatur: illa enim ab epidemica pendet conſtitutione, haec vero a pure.

Longe periculoſiſſimae eius generis variolae iudicari ſolent diebus octavo, undecimo et decimo tertio. Dum molimina eruptionis cum febre iuncta adſunt, cavendum eſt ab omnibus, quae infirmant vires, oxymellis potus copioſus eſt commendandus,

atque protinus ut eruperint variolae, acida mineralia cum cortice peruviano, aut alumen infantibus, exhibenda ſunt.

Dum putredo humorum viget, camfora cum vino prodeſt. Quemadmodum generatim rarae ſunt febres purae inflammatoriae aut putridae, ita et febris varioloſa ſordibus bilioſis ſimul juncta eſſe ſolet, quae febrem vel producunt vel mutant, eliminandae itaque ſunt.

Variolae benignae inflammatorio-bilioſae eſſe conſuerunt, licet exſtent epidemiae, ubi febris putrido-bilioſa eſt.

Dum bilem non emolimur, eruptio praepeditur, malis exulcerationibus occaſio praebetur et ptyaliſmis infirmantibus: ſecunda quoque febris ea intendi ſolet.

Quum vero usque dum matureſcunt variolae, viribus ſit cavendum, purgantia fortiora vitanda ſunt, prius potius ſolventibus ſordes moveantur, tunc vero vomitoriis eiiciantur.

Vomitoria optime imperantur die tertio, ſi interim ſolventia exhibita ſunt, quo facto eruptio facile promovetur vomitibus.

Poſtquam variolae maturuerint, vomitoria vitanda ſunt, niſi antea eiectio turgentium ſordium neglecta fuerit. Id maxime ſpectatur, ut facilius pus educatur, quod vel puſtularum punctione vel lenio-

lenioribus diaphoreticis et laxantibus efficitur, quamvis ſaepius inciſio non neceſſaria ſed noxia eſſe poſſit.

Adſintne variolae in partibus internis, quae eiectionem indicent, ambigitur adhuc, quamquam obſervationes id docere videantur.

Non raro vero vermes impediunt ac aggravant morbi decurſum, quos ut ante eruptionem puſtularum vomitoriis, poſtquam vero maturuerint variolae, purgantibus amaris educamus, ſtudendum eſt.

Interdum febris lenta nervoſa variolas comitatur; vires itaque deficiunt ad contagium praeparandum. Tunc quidem ante ſeptimum, ſeu octavum diem non erumpunt variolae, neque ſerie vulgari, ſed primae puſtulae apparent in extremis artubus, ultimae in facie. Pallidae ſunt, non tument, aquoſus denique humor loco puris exit, aut indureſcunt. Illo caſu variolae vocantur cryſtallinae aut lymphaticae, hoc vero verrucoſae. Vires eo magis infirmantur, quo plures denuo reſurgunt variolae.

Obtinet vero locum in huius generis variolis medela alexipharmaca vulgo uſitata. Exhibito prius vomitorio, veſicatoria apponuntur, balnea tepida imperantur, tunc vero cum vino alexipharmaca.

Quum variae ſaepius fortuitae res periculum contagii vel augeant vel minuant, noxa viri vario-

loſi praecavetur, dum faventibus rebus hisce in corpus infertur. Cui quidem experientia nitenti afſerto originem debet *inſitio variolarum.* Quodſi faventes eas res fortuitas definire potuerimus, periculum huius morbi poſſe inſitione minui exploratum eſt, quum plurimi homines ſemel ſaltem per vitam ea infectione corripi ſoleant, pauculique, qui eam effugiunt, exceptionem potius conſtituant, quumque res fortuitae ſaepius nullo modo faveant naturali infectioni. Neque rite obiici inſitioni poteſt obſervatio variolarum bis in eodem homine occurrentium, quum id adeo raro obſervetur, ut inter rariſſimos tantum caſus numerandum eſſe videatur.

Experientia in inſiticiis variolis inſtituta docuit omnino, multo minorem eſſe eorum copiam, qui inſertis quam qui naturalibus variolis enecantur, quod quidem docere videtur, nos omnino poſſe eas definire conditiones, quibus maius periculum minusve in variolis producitur.

Id autem ſpeciem forſan tantummodo veri habere videtur. Ideo forte leviores ſunt variolae, quae inſeruntur, quod contagium non rite paratum in corpore remanet, atque diſpoſitionem ad alios relinquit periculoſos morbos.

Exiſtunt ſaltem argumenta, quae id probabile reddunt: ſiquidem probari nequit, inſitione vario-

larum mortalitatem hominum eſſe imminutam; neque facile comprehenditur, cur variolae inſertae generatim leviores eſſe debeant, quam benignae naturales. Modus, quo virus applicatur, eam levitatem adferre non videtur, quippe cum in Oriente ope goſſypii in nares, aut panis butyro illiti in ſtomachum ingeratur: ſuſpicio quoque movetur, virus varioloſum non rite coqui atque parari, ſed humores corporis vel in plenum corrumpere, vel non penitus praecavere infectionem ſecundam, unde maior in morbos proclivitas, donec id tempus ingruit, ubi natura poteſtatem recuperat, id virus ope puſtularum ſuppurantium e corpore educere.

Magni momenti inſtar acquirunt eae coniecturae caſibus vere occurrentibus, ubi virus varioloſum, dumne febrem excitet regularem atque puſtularum copiam, alia infert ſymptomata, quae alioquin non orta fuiſſent, e. g. fiſtulae lacrymales, ulcera et ſpaſmi epileptici. Experti quoque ſumus, inſiticiis variolis ſanguinem copioſe miſſum atque humores valide purgatos id effeciſſe, ut una duntaxat puſtula appareret; cum vero vires aegro iterum rediiſſent, novam excitatam eſſe febrem, quam inſignis puſtularum copia ſequebatur. Id quidem probare videtur, virus varioloſum in corpore latitans occaſione tantum apparente erumpere poſſe. Neque tamen inde efficere mihi ſumerem, has ſuffice-

re rationes, ut ex toto reiiciatur inſitio: id tantum volo, omnia ea etiamnum definire nos non poſſe, quae efficiunt, ut ſine ulla noxa virus varioloſum poſſit et in corpus ingeri, et in eodem parari atque optime educi. Audacia circulatoribus digna, quibus id varii auctores contenderunt, aeque nocuit bonae utique rei, ac temeraria inſertorum curatio et inconſiderans. Dum rite tractatur morbus, ab inſitione omnino praeſentiſſima manant commoda, licet omne haudquaquam impediat periculum. Idoneas ſaltem conditiones eligere licet, naturaeque nutus ſequi protinus ab inſitionis tempore, quum e contraria parte, dum naturali infectione ortae ſunt variolae, malignis corripi epidemiis, aut primum ſaltem ſtadium non rite cognoſcere aut negligere periclitemur. Ruri atque in hominum vulgo id foret egregium emolumentum, quod victui pravo et malae curationi occurrere poſſimus, quibus virus pernicioſam ſuam indolem recipit. Ea quidem commoda nequaquam ab omni aegroto quodcunque periculum arcent, utilitatem tamen inſitionis omnino probant.

Quodſi itaque quis variolas inſerere cupit, faveant oportet et anni tempus et conſtitutio epidemica. Hiemes bonae et vernum tempus, quod aeſtati propius eſt, maxime idonea ſunt, quum epidemica

conſtitutio tunc inflammatoria, ideoque benigna eſſe ſoleat.

Eligantur deinde ea corpora, quae vel per ſe valent, vel quorum conſtitutio favet morbi benignitati. In eo autem facile fallimur, quod quidem etiamnum inſitionis variolarum uſum praepedit. Etenim experientia probavit, acrimonias varias, e.g. ſcrophuloſam, morbum varioloſum nequidquam aggravare, ſicut ex toto virus varioloſum non inſignem germanitatem cum aliis morborum venenis agnoſcit. Verum enim vero exploratum habeo, longe alias exiſtere corporis conditiones, quibus effectus viri varioloſi periculoſi redduntur, quo dentitio praeſertim et vermes pertinent. Quod ſupereſt, infantes, qui lactantur, facillime ſolent morbum ſuperare.

Quodſi a lactantibus infantibus receſſeris, aetas maxime favens ſecundum annum excedit, ob vires facile debilitatas, ob dentes ante ſecundum annum naſcentes et ob minorem infantum obtemperantiam.

Praeparatione ipſa non egemus, cum maxime impura corpora nequaquam variolis inficere fas ſit, aliae vero corporis curationes optime in morbo ipſo inſtituantur.

Virus ipſum recipiendum eſt de infante, qui naturales et benignas patitur variolas. Sit tamen

parumper tenue et puſtulae ipſae eſchara nondum obductae ſint.

Fit autem facillime optimeque, dum cutim incidimus, plagaque filum indimus viro varioloſo tinctum. Interdum uſus ſum emplaſtro parvo, quod cantharidum pulverem excipit; cavendum tamen eo caſu ab omni putredine. Superficies brachii interna ab humeris ad manum usque maxime idonea huic inciſioni eſſe ſolet.

Poſt tertium diem vulnus incipit inflammari, urina turbatur, anima foetorem recipit. Quo facto ubi aegri queruntur dolorem ſub axillis perceptum, ſignum eſt, inſitionem finem ſuum attigiſſe. Erumpunt per cutem variolae febre ſtipatae a ſeptimo ad undecimum diem: febris ipſa levior eſſe ſolet, nulloque ptyaliſmo iuncta, neque facile ſecundaria febris ſequitur.

Quodſi poſt inſitionem puſtulae quidem nonnullae circa plagam erumpunt, nequaquam vero febris oritur regularis, qua variolae per totam corporis ſuperficiem eiici poſſunt, futura infectio non facile praecavetur. Iis enim ipſis, qui variolas iam paſſi ſunt, inſitione puſtulae circa vulnus excitantur: quod quidem probare videtur, nimia levitate morbi haudquaquam exterminari diatheſin ad reditum, facileque poſſe nos inſitione per artem facta egere, dumne exiſterent epidemiae malignae, medici in-

ſcii aut incauti atque praepoſtera adſtantium cura. Erumpunt enim variolae naturales haudquaquam ſponte citra peculiarem quamdam diatheſin.

Variolae ſpuriae.

Vocantur eae variolae *umbilicatae*, *ſiliquoſae*, *aëreae*, *cryſtallinae*. Leni febre comitatae ſecundo plerumque die erumpunt, maxime vero in dorſo, tertio die pus concipiunt, aut aquoſo humore implentur.

Impediunt vero haudquaquam infectionem verarum, unde efficitur, contagium ſpuriarum longe differre a contagio verarum.

Quum vero exploratum ſit, occurrere eas tantummodo graſſantibus veris variolis, a veritate alienum eſſe non videtur, eodem modo ſe habere huius generis variolas ac eas, quae absque febre poſt infectionem circa vulnus, aut apud eos naſcuntur, qui variolas iam paſſi, contrectant variis teneriusculis partibus laborantes hoc morbo, ideoque eamdem quoque cauſſam agnoſcere ac veras, differre tamen gradu effectuum. Summa autem rerum complectitur maiorem vel minorem ad variolas diſpoſitionem.

Morbilli.

Conſtituunt maculas haud adeo prominulas, ac variolarum puſtulae, ſed latiores, neque ſuppura-

tioni faventes, ſed ſiccefcentes et cutis ſquamis decedentes.

Eam habent cum variolis germanitatem: 1. quod omnes fere homines iis corripiantur; 2. quod raro plus quam ſemel in vita occurrant; 3. quod peculiare quoddam contagium ſupponant; 4. quod populariter graſſantur; 5. quod novum conſtituant morbum.

Neque tamen virus varioloſum cum morbilloſo germanitatem perfectam prodit. Quibus inſertae erant variolae, eodem tempore morbillis ita correptos fuiſſe, experti ſumus, ut ſuperatis tandem his, variolae denique erumperent, ſeptimanis quandoque pluribus interiectis.

Febri plerumque adiuncta ſunt ſymptomata catarrhalia, atque, ubi bene corpus valet, morbusque levior eſt, quarto die exanthema erumpit, ſextoque ſquamis fatiſcit epidermis.

Eruptio ipſa critica hactenus non videtur, ut febris ea facta ſemper lenior evadat.

Maculis apprime rubentibus, inflammationem praevalentem ſuſpicari licet, pallentibus vero virium defectum, liventibus denique proclivitatem humorum ad putredinem.

Facile repelluntur morbilli, unde periculoſae ſaepius pulmonum inflammationes oriuntur.

Non raro relinquunt herpetes ac ulcera, viruſque ipſum affine viro ſcrophuloſo quadantenus eſſe videtur.

In curatione id praeprimis ſpectandum eſt, ne metaſtaſis eiusmodi oriatur. Magis calidum itaque regimen ſuadendum eſt, quam in variolis.

Ubi diatheſis phlogiſtica eruptionem impedit, ſanguine e vena miſſo ea promoveri poteſt. Mollienda quoque eſt cutis potibus copioſis, in quibus nitrum eſt ſolutum atque camfora.

Ubi putredini humores favent, modo alexipharmaca, modo antiſeptica adhibenda ſunt.

Bilis turgida vomitoriis optime excernitur, ut promoveatur eruptio.

Viribus deficientibus veſicatoriis vinoque ſuccurrendum.

In plenum vero curandum, ne ſtaſes inflammatoriae in pulmonibus naſcantur, quae ſi imminere videntur, ſanguis protinus e vena mittendus atque veſicatoria applicanda ſunt.

Subinde alvus cita ſymptomatice oboritur, quae ſordes gaſtricas non ſupponit, ſed perſpirationem impedit, congeſtiones verſus pectus ciet, ubi quoque ſanguinis miſſiones et antiphlogiſtica diaphoreticis iuncta uſui eſſe conſuerunt.

Rubeolae.

Inter eas et morbillos id intereſt, quod febris haudquaquam cum epiphora ac tuſſi, ſed cum angina ingruat, quod exanthemata magis promineant, impleanturque purulento latice, quodque cutis furfuribus nequaquam, ſed fruſtulis maioribus fatiſcat.

Curatio autem inſignia non recipit diſcrimina. Caput eius verſatur in febris indole et rerum ceterarum rite inſtituta tractatione. Ob anginam, quae in putridis febribus facile periculum excitat, veſicatoriis et lenioribus diaphoreticis eruptio eſt promovenda.

Ubi inflammatoria eſt febris, ſanguine miſſo eruptio eodem modo ac in morbillis facilior redditur.

Febris ſcarlatina.

Exanthema id maculis diſcernitur inſignibus ac difformibus, intenſe rubentibus, quaeque facile confluunt neque in ſuppurationem abeunt.

Rubeolae et ſcarlatina quanquam ſatis affines ſibi ſint, eodemque forſan miaſmate procreantur, intereſt tamen inter utrumque exanthema tumor leucophlegmaticus, ſcarlatinam excipiens, qui facile in exitium praecipitat.

Cum angina plerumque is morbus iungitur, cutisque arida eſſe ſolet, unde tumor ille naſcitur.

A miaſmate epidemico non adeo contagioſo, ut quivis homo corripi debeat eo exanthemate, generatur: quo quidem differt a morbillis.

Eadem ceteroquin commendanda eſt medela, quae in morbillis expedit. Quemadmodum in hoc morbo diaphoreſin movemus, ne reprimatur exanthema, ita id quoque in ſcarlatina fit, ut tumor ſequens praecaveatur.

Putredinem indicat in utroque morbo livor aut purpureus color macularum.

Anginae opponendum id regimen, quod ſupra expoſitum eſt.

Ubi tumor reprimitur, conferunt diuretica et diaphoretica. Protinus ac ſcrotum intumeſcit et ſpiritus difficultas accedit, vomitoria adhibeantur ac veſicatoria, cum colluvies aquoſa in pulmonum tela cellulari periculum producere videatur, quod tumorem externum excipit. Vomitoria adhibita ſequantur calomel, ſcilla et opium, eadem unumquodque portione.

Febris urticata.

Raro epidemica, ſaepius eſt ſporadica. Puſtulae iis ſimiles ſunt, quas urtica urens in cute excitat, eumdemque cient ſenſum. Aliquot duntaxat dies perſiſtit febris, totusque morbus vel vomitorio vel purgante remedio tollitur.

Inde iure quidem efficitur, acrimonia gigni hanc febrem, in primis viis oborta, indeque in ſanguinem tranſeunte.

Quodſi maculae ſatis diffuſae apparent, *eſſera* vocantur.

Febris miliaris.

Exanthema id dicitur a ſimilitudine milii: quodſi rubet, *purpura* appellatur. Minores ſunt puſtulae iis, quas morbilli gignunt, ſed magis prominent. Ut erumpunt, variolis ſimiles ſunt, niſi quod margine rubro careant.

Mox latice aquoſo implentur, atque in ſquamas abeunt.

Diſcrimen ſtatuitur miliaris albi rubrique: illud maxime in febribus nervoſis occurrit.

Praeſagiendum eſt eius generis exanthema:

1. dum aegri ante laborarent ſanguine tenui ac acri;

2. dum regimen praegrederetur calidum, negligerentur purgantia;

3. in puerperio haud raro calidum nimis regimen ſequitur exanthema miliare;

4. dum proclivitas apparet ad ſudores ſymptomaticos acidos, dum tuſſis arida male habet, dum angitur aeger, caputque dolet citra manifeſtas cauſſas, dum pectus praeſertim oppreſſum eſt, ac pru-

ritus cutis cum gemitibus pulſuque tenſo et inaequali animadvertitur, absque ſpaſmis et inflammatione.

Tempus eruptionis definitum non eſt, interdum deſquamatur iam die ſeptimo, ſubinde vero nova ſemper ſubnaſcuntur exanthemata. Quo praecocius apparet, eo magis aeger periclitatur.

Exanthematis huius cauſſa neque contagium eſt, neque miaſma peculiare, ſed acrimonia in ipſo corpore genita.

Acrimoniam eam acidae eſſe indolis, inde probabile redditur:

1. quod acidi plerumque ſudores praegrediantur;

2. quod id exanthema maxime infeſtet infirmos homines, qui acori primarum viarum gignendo favent;

3. quod exanthema hoc in puerperis facile generetur lacte repreſſo ac non ſatis egeſto;

4. quod chronicum occurrat miliare, ſcorbuticis laxisque hominibus familiare.

Mirandum vero, morbum eum novum eſſe, veteribus ſaltem raro obſervatum fuiſſe. Apud nos primum Lipſiae medio ſeculo praeterito occucurrit.

Pauca ea, quae circa cauſſam miliaris proximam ſcimus, tantum abeſt, ut certa ſint atque explorata, ut curationis ratio potius aliena penitus ab iis adſertis eſſe debeat, ut itaque neutiquam alcalina opponenda ſint acidae exanthematis indoli. Sym-

ptomaticum quoque exanthema eſſe ſolet, aut ſi quando criticum fuerit, quod negari nequit, periculoſa tamen eſt criſis, quam effugere, quantum poſſumus, haudquaquam propellere ſaltem debemus.

Ratio itaque habenda indicationum febris generalium. Ubi vero vires deficiunt, prodromaque miliaris ſymptomata ingruunt, laxantibus caute agendum, vomitoria ſaltem iis ſubſtituenda, cutisque mollienda, neque tamen ſudores movendi ſunt. Quodſi vero ſudores aliaque prodroma ſymptomata multo praecocius apparent, quam coctionis periodus exſpectatur, frigidiuſculo utique regimine ſudores ſunt minuendi atque praepoſtera et ſymptomatica miliaris eruptio praecavenda eſt.

Protinus vero ut exanthema prorupit, cautiſſime agendum ne retrogrediatur, quod, facile refrigeria leviora ſequens, periculum ſummum producit.

Ubi reipſa repulſum eſt, veſicatoriis et camfora iterum eliciatur.

Optima vero praeſidia petuntur a febris indole. Raro febres inflammatorias album miliare ſtipatur, plerumque etiam malignae febris curationem requirit.

Quo minor virium eſt defectus, quo plures adſunt ſpiſſique humores, eo minus ſperandum eſt iudicium ante eius eruptionem, dum praepoſtera adſunt

eius indicia, eo tutius vero occurrendum eſt prodromis, eo minus periclitatur aeger ex repulſo exanthemate. Quo propius febris ad nervoſum indolem accedit, quo minor manifeſtae materiei copia adeſt, eo melior criſis eſt in miliari exanthemate exſpectanda, dum prodroma ſymptomata non praepoſtere oriuntur: hinc itaque viribus, hic labefactis, parcendum eſt, quum nullo modo magnae indicentur evacuationes, quum eius gravis critica egeſtio plures requirat vires quam aliae criſes, quumque regreſſus exanthematis ex debilitate plerumque in exitium praecipitare ſoleat.

In puerperis exanthema miliare regimen plerumque calidum ſequi, raro igitur aut nunquam criticum eſſe ſolet. Frigidiuſculo regimine arcetur, ac, ſi adeſt, nullum contraindicans format aliorum indicantium. Quod ſupereſt, in puerperis fere ſemper generatur lacte in ſanguinem abeunte.

Febris bulloſa.

In malignis febribus ſubinde occurrunt bullae ingentes, quae ruptae eſcharam relinquunt luteo-atram, quo facto febris a variis auctoribus bulloſa dicta eſt. Nunquam in febribus criticae eae bullae eſſe videntur, ſed ſymptomatis accenſendae, quae per ſe nullam curationis methodum indicant.

Obſervatum inſuper eſt, morbum eum bulloſum per octodecim menſes perſtitiſſe unde febribus non ſemper adnumerandus eſt. Uterque caſus et febrilis et chronici exanthematis, *pemphigi* nomine celebratur.

Aphthae.

Siſtunt eae ulcuſcula exigua, rotunda, albida in oris ambitu et lingua: ſub iisdem conditionibus ad febres accedunt, quibus miliare exanthema familiare eſt, quanquam rarius adhuc criticae ſint.

Infantes etiam recens nati huic affectui obnoxii ſunt, atque inde non raro inflammationem oeſophagi et ventriculi letalem patiuntur.

Acrimonia, quae aphthas gignit, haud adeo ac in miliaribus exanthematibus, in ſanguinis maſſam abiiſſe videtur, quum purgantia ſaepius optime expediant.

Oris ipſius ambitui admotum vitriolum album in melle roſarum ſolutum, expeditiſſimum eſt remedium.

Petechiae.

Siſtit id exanthema plerumque ſymptoma fortuitum febrium bilioſarum et putridarum, unde febris, quam comitatur, nequaquam ſpecies peculiaris habenda eſt. Quodcunque enim febrium putridarum genus peticularis indolem recipere poteſt, licet

certo

certo conſtet, nonnullas epidemias maxime ii exanthemati favere.

Maculae ſunt rubrae, non multum prominentes, neque preſſione evaneſcentes.

Generatur plerumque acrimonia putrida, neque tamen neceſſe eſt, ut univerſa humorum maſſa disſoluta ſit, quum et in inflammatoriis febribus occurrant.

Rariſſime aut nunquam criticae obſervantur. Dum in livorem vel profundum ruborem tendunt, univerſae humorum maſſae tenuitatem ſignant.

Eo febrium tempore, quo ſolutio haec nondum animadvertitur, generari videntur acrimonia putrida bilioſa in primis viis ſtabulante.

Hinc opponenda ii ſymptomati evacuantia et antiſeptica, ſimul tamen febris indolis generalis ratio habenda.

Subinde protinus ab initio morbi apparent, ubi neque ſordes primarum viarum, neque ſolutorum humorum indicia adſunt, ſed ubi haec tunc demum oriuntur, cum maculae evaneſcunt. Expediunt tunc temporis diaphoretica alexipharmaca.

Nonnullae plantae, e. g. baccae taxi, gignunt ſubinde maculas petechiis ſimiles, nulla tamen febre ſtipatas. Eamdem tamen curationem requirunt, expeditiſſimumque remedium acidum vitrioli eſſe

ſolet, poſtquam noxii humores primarum viarum egeſti ſunt.

DE RHEUMATISMIS.

Eo nomine inſigniuntur dolores artuum et articulorum, nequaquam ex ſpaſmo, ſed ex inflammationis quadam ſpecie, quae in ſuppurationem raro transit, oborti, ſignisque verae anthritidis carentes.

Favet autem rheumatiſmis generandis impeditus humorum per abdomen circuitus; ii ſaltem, qui frequentibus laborant rheumatiſmis, haemorrhoidibus ſolent eſſe obnoxii.

Quo impedito humorum circuitu lymphaticis humoribus peculiaris quaedam acrimonia impertiri videtur, quae humorum perſpirabilium regreſſum, ſtaſinque in partibus muſculoſis et ligamentoſis gignit, unde dolores oriuntur rheumatici.

Quae quidem acrimonia et ſcorbuticae et venereae indolis eſſe, atque ſcorbutus ea augeri poteſt, ut dolores artuum atrociſſimi oriantur.

Id ſaltem exploratum eſt, a refrigerio plerumque oriri rheumatiſmos; illo vitato etiam hos vitari.

Discrimen recipit rheumatiſmus et acuti et chronici.

Rheumatiſmus acutus.

Eum ſemper febris comitatur. Dolores omnes infeſtant artus, extrinſecus plerumque tumor rubens rariſſime rumpitur, rariſſime ulcera efficit interna.

Febris comitans, quanquam inflammatorium ſervat characterem, bilioſa tamen ſimul eſſe ſolet.

Refrigeria ſequitur in hominibus robuſtis.

Quodſi dolor muſculos pectoris corripit, *pleurodyne* dicitur aut *pleuritis ſpuria.*

Periculi plerumque expers morbus ſudoribus ſolvitur et urina.

Ubi mere inflammatoria eſt febris indoles, antiphlogiſtica medela locum obtinet; veſicatoriis indigere poſſumus, dumne in variis partibus dolores maxime figantur.

Sanguine ſatis copioſe miſſo, ſufficit ſaepius nitrum ad drachmas duas aut unicam et dimidiam in potibus vulgaribus ſolutum.

Raro tamen eiusmodi ſimplices febres occurrunt. Plerumque ſyſtema biliferum ſimul patitur, cuius ratio itaque ſemper habenda eſt. Neque tamen eo minus alvus valide ducenda, quippe quo facto ſudores critici praepediuntur, ſufficiunt reſolventia atque emetica.

Qui febres putridas nonnunquam ſtipantur, dolores rheumatici, fortuiti eſſe ſolent, minusque periculum afferunt ceteris ſymptomatibus.

Quodſi malignae febres primordium ducunt a rheumaticis doloribus, vulgaribus abſtinendum evacuantibus: ibi tantummodo ſanguis mittendus, ubi ſtaſes minitantur inflammatoriae; bilis vomitu protinus ab initio egerenda, cutisque mollienda.

Interdum rheumatiſmus febris intermittentis ſpeciem prae ſe fert, ubi, purgatis primis viis, cortex peruvianus exhibendus eſt.

Rheumatiſmus chronicus.

Diuturnus eſſe ſolet, dum nulla febre ſtipatur. Poteſt vero et ex acuto rheumatiſmo chronicus oriri.

Dolor ibi eſt ſemper fixus, ſingulisque partibus infeſtus.

Quodſi vertebras lumbales occupat dolor, *lumbago* vocatur: *iſchias* vero, dum articulus femoris ſummus patitur. Nonnunquam vertebrae colli hoc laborant dolore, unde rigiditas oritur, colli obſtipi nomine inſignita.

Raro intumeſcunt partes chronico rheumatiſmo occupatae, frigidae ſunt utplurimum et rigidae.

Lumbago differt a doloribus renum, colicorum dolorum abſentia, naturalique lotii ſe- et excretio-

ne: flectere ſe atque erigere nequeunt aegri lumbagine affecti absque negotio.

Confert autem, ſanguinem ex loco affecto mittere, fricare, aqua calida lavare et ſolventia propinare.

Expeditum praeſtolantur auxilium inciſiones partis affectae, hirudinesque ii appoſitae.

Reſolventia acrimoniae indoli idonea ſint. Bilis protinus ratio habenda, vomitoriaque tam parvis portionibus devoranda, ut reſolvendo agant. Turgentes autem humores evacuandi. Sudores cieantur lenioribus primum, deinde validioribus remediis. Conferunt tinctura guaiaci volatilis ac liquor cervi ſuccinatus.

Ubi acrimonia adeſt ſcorbutica, antiſcorbutica iuvant et acidum vitrioli.

Venereae acrimoniae occurrendum gummi guaiaci atque mercurio. Ubi pervicax morbus pleros que conatus noſtros eludit, fricanda cutis unguento mercuriali ac lavanda aqua calida, donec ptyaliſmus conſequatur.

Subveniendum quoque pertinacibus rheumatiſmis, ubi nulla venereae infectionis ſuſpicio, mercurialium remediorum ope. V. *pilulae reſolventes.*

Sudores movendi ligno ſancto aqua cocto, quod calidum devoratur matutino veſpertinoque tempore.

Interim aqua calida lavandum corpus, aut balnea tepida ipſa imperanda.

Obſtipitatem colli creare ſolet ſaepius ſcrofuloſa acrimonia, ubi egregie confert aſa foetida, extra et intra applicata: confert quoque, fovere partes affectas viſceribus recens mactatorum animalium.

Qui plumbi opificiis exercentur, rheumaticis ſaepius cruciantur doloribus, quibus utiliter opponuntur frictiones unguento mercuriali inſtitutae.

Iſchias nervum ipſum occupare videtur, quum dolor per nervum protrahatur, atque facile ani et veſicae reſolutiones afferat; oleum terebinthinae ibi expedit.

Simul ac acrimoniae maximam partem victam eſſe credibile eſt, aqua frigida lavanda loca affecta, aut glacie ipſa obtegenda. Ubi vero rigiditas et frigus praevalent, oleis aromaticis, oleo petrae et unguento nervino partes fricandae.

Non raro puerperium excipiunt pertinaces rheumatiſmi, a delatis in partes affectas humoribus lacteis lymphaticisque. Ibi ſtaſes primum camfora diſcutiendae et egerendae, quod ubi non fieri poteſt, mercurialia addenda ſunt.

Exanthematicis quoque febribus, praeſertim ſcarlatinae, ſuperſunt pervicaces dolores artuum, qui optime balneis tepidis tolluntur.

In infantibus vermes et pituitoſa primarum viarum colluvies ſaepius excitant dolores artuum atrociſſimos, qui purgantibus minuuntur.

Huc denique pertinent dolores ſurarum, femorum ac tibiarum, qui pervicaces hepatis infarctu ſequuntur, atque exulcerationi eius viſceris praecedunt.

DE AFFECTIBUS ARTHRITICIS.

Hi quidem affectus aeque ac rheumatici artus articulosque praeprimis occupantes, differunt tamen eo a rheumaticis:

1. quod diſpoſitio peculiaris ad arthritidem requiratur, quae ſaepius hereditaria iuniori aetate efficax non facile redditur. Id quidem in rheumatiſmo deficit, hereditarium ſaltem non eſſe conſtat;

2. quod raro, forte nunquam, infirmi arthritide vera laborent;

3. quod ii duntaxat arthritidi obnoxii ſint, qui robore quodam muſculorum gaudent, victu utuntur pleniori, ſenſibilitate praediti ſingulari, quae vel per ſe adeſt, vel infirmantes cauſſas ſequitur;

4. quod ſponte nonnunquam citra cauſſas externas oriatur;

5. quod iuniores haud facile infeſtet, et viros paucos ante trigeſimum et quintum annum;

6. quod, ſi ſemel adfuit, raro aut nunquam exſtirpetur, ſed ſaepius recurrat;

7. quod cum digeſtionis vitiis cohaereat, quippe cum ventriculi labes plerumque praecurrere ſoleat affectus eos;

8. quod mobilis maxime materies arthritica facile interna occupet viſcera, plerumque delata in ventriculum;

9. quod congeſtionibus manifeſtetur verſus articulos et duris eorum tumoribus a calcarea materie ortis. Mucus quoque in urina obvius, ſiccatus eamdem recipit indolem. Infantes praeterea parentibus arthriticis nati, calculo urinario ſaepius cruciantur;

10. quod periodicos non raro inſultus generet morbus, qui deinde reduplicantur;

11. denique differre utraque materies videtur eo, quod arthritica rheumaticam facile procreet, quodque vires eae in rheumatiſmo deficiant, quae ad parandam arthritidem requiruntur: ſubtilior ſaltem multo eſt materies arthritica quam rheumatica. Non partu ſolo, ſed, quum diatheſis adeſt, contagio quoque propagatur.

Arthritis.

Interſunt inter hunc morbum et rheumatiſmum acutum, cauſſae morbi et indoles, ſupra iam dictae,

cum phaenomena ipſa adeo ſimilia ſibi ſint, ut ſaepius idem morbus uterque habitus fuerit.

Multo crebrius mulieres infeſtat quam viros, frequentior quoque in divitibus quam in pauperibus.

Verno maxime tempore obſervantur impetus, per tres aut quatuor ſeptimanas perſiſtentes. Pro virium ratione mora acceſſuum differre ſolet. Eae enim quo plus valent, eo citius morbi accidunt viciſſitudines, eo maiorem vero etiam vehementiam infert, eoque maiores dolores.

Solvitur autem morbus et ſudoribus et urina. Quae indicia niſi perficiantur, deferuntur humores peccantes ad partes internas aut ad articulos, unde *nodi* oriuntur *arthritici*, qui immobiles reddunt articulos.

In curatione rationem habeamus impedimentorum criſeos et ipſius criſeos promovendae.

Ubi ſanguinis abundantia aut inflammatoria urget diſpoſitio, vena eſt ſecanda; ubi primarum viarum ſordes, emeticis eae ſunt egerendae.

Sudor ciendus integumentis dolentium partium, ac iis, quae cutem molliunt, e. g. mixtura diaphoretica diluta. Ubi haec non ſufficit, tinctura guaiaci volatili ſuccurrendum eſt.

Quum criſis nunquam absque doloribus contingat, anodynis plerumque abſtinendum eſt. Dum vero ſudoribus obſunt violentia dolorum et ſpaſmi, opiata omnino expediunt.

Arthritide ſubito e partibus externis ad internas migrante, cavendum eſt ab uſu internorum irritantium, mollienda potius cutis balneorum ope tepidorum, fomentis, frictionibus et epiſpaſticis.

Quicunque ſemel arthritide correpti fuerunt, ii ſymptomata varia patiuntur, quorum concurſus *atonicam* auctorum *arthritidem* facit, quae debilitatem vel capitis vel ſtomachi, vel utriusque organi peculiarem conſtituit. Neque contra eum ſtatum valent antarthritica proprie ſic dicta: ſed ſumma curationis verſatur in reſtituendis ope regiminis viribus amiſſis. Negotia non valde fatigantia, quies, animi hilaritas, itinera et balnea marina ſaepius ſola ſufficient.

Singulas interdum partes corporis arthritis afficit. Quodſi manus corripiuntur doloribus arthriticis, *chiragra*, ſi genua, *gonagra*, ſi pedum malleoli aut articuli hallucis, *podagra* vocatur.

Quamvis tres hae ſpecies arthritidem comitari poſſunt, podagra nonnunquam ſingularem conſtituit morbum, qui nequaquam arthritidem univerſalem ſequitur.

Podagra.

Viros maxime corripit, in mulieribus arthritidem ſequitur: localibus his adfectibus ſolis ab arthritide differt.

Solvitur hic morbus nequaquam ſudoribus univerſalibus, ſed tumoribus partis adfectae inflammatoriis, qui ſudoribus particularibus diffluunt.

Impedimenta itaque criſium removendae: ſanguinis vero abundantia vena ſecta ibi tantummodo diminuenda, ubi naturae vires non deficiunt, cum alioquin podagra facile poſſet remigrare.

Quum vero ſtomachus generatim in podagra adfici ſoleat, evacuandae prius ſunt ſordes, ſi quae adſunt.

Cetera naturae linquenda, quae generatim offici non debet in quovis podagrae caſu.

Obvolvendae ſunt partes adfectae lana.

Externa remedia hic quidem multo minus obtinent locum quam in arthritide.

Quodſi humores peccantes ſubito retrogrediuntur, vel ſtomachum corripiunt vel alia organa. Stomacho adfecto vomitus oritur, qui ſuſtineri atque promoveri debet. Quod ſimulac factum eſt, camforata exhibenda ſunt, ſinapiſmi plantis pedum admovendi, calideque fovendae partes, donec dolor pedum recurrat.

Citra acceſſus morbi diſpoſitio, eo maior, quo frequentius morbus recurrit, regimine idoneo, vitatis calidis quibusvis et cibis et potibus, motu corporis, quiete et animi temperantia minuenda eſt et debilitanda, quo facto ſi morbus penitus non debellatur, acceſſus tamen faciemus breviores et rariores.

Quodſi humores peccantes in alias partes deferuntur, apoplexiae, paralyſes, inflammationes facile oriuntur, quae velut peculiares morbi tractandi ſunt.

DE CATARRHIS.

Maxime adfines rheumatiſmis hi adfectus, partibus adfectis tantum differre ab iis videntur.

Inſignitur eo nomine congeſtio humorum feroſorum atque acrium in glandulis narium, faucium atque in pulmonibus.

Iuncti ſunt catarrhi plerumque inflammationis leviori gradu, ideoque doloribus, neque tamen ſuppurationi tantopere favent quam phlegmone.

Acrimonia videtur adeſſe, quae in ſyſtemate lymphatico et glandulis reſidet, eoque congerit humores initio tamen acres, deinde vero mitiores atque craſſiores.

Saepius ea acrimonia miaſma ſiſtit epidemicum contagioſaeque eſt indolis. Diſpoſitio tamen ubi-

que neceſſaria eſt. Homines enim debiliores, irritabiles, rheumaticis obnoxii adfectibus, favent etiam catarrhis.

Febris vel adeſt vel deficit. Quodſi ſine febre decurrunt, nullum etiam periculum adferre ſolent; ſaepius vero febris adeo mitis eſt, ut non facile dignoſcatur, tunc poteſt inde macies oboriri. Ubi febris ſocia adeſt, ea periculi gradum indicit.

Quum a refrigerio ſaepius oriantur catarrhi, arbitrabantur olim auctores, ea proficua eſſe, quae ſudorem movent. Docuit autem experientia, conferre quidem interdum eam methodum, plerumque vero nocere.

Nuperis temporibus, in alterum illapſi medici extremum, frigidae aquae internum uſum et externum commendaverunt. Medio tamen tutiſſimus ibis: ſiquidem regimen calidum atque potuum calidorum nimia ingurgitatio praediſponunt homines ad catarrhos, roborat vero corpus frigidae aquae uſus atque privat ea teneritate, quae facile recipit aëris frigidi irritamenta. Interea tamen commutata ſunt remedia, quae praecavent, cum iis quae curant. Reprimitur enim frigore catarrhus, non tollitur.

Quodſi ad ſolum catarrhum transtuleris conſilium, ſtudendum eſt:

1. ut diluantur humores acres et debilitentur. Fit id vaporibus et potibus copioſis;

2. ut affluxus humorum impediatur, moveatur autem turgor, quod veſicatoriis ſit ad loca affecta appoſitis;

3. ut cocti humores educantur. Id molimur, dum vel affluxum ipſum vel ſudores atque lotium promovemus. Caute tamen ars agat, atque naturae potius committendae ſunt eae egeſtiones.

Reliqua curatio pro febris indole et pro rerum aliarum, de quibus iam ſequitur tractatio, varietate inſtituenda.

Coryza.

Ea adeſt, ſi humor ſeroſus in glandulis narium ſtagnat: *gravedo* autem vocatur, ubi nullus omnino humor e naribus effluit. Plerumque initio humor tenuis acrisque emanat, qui deinde blandior evadit atque ſpiſſior, eoque morbum tollit.

Febris vel adiuncta eſt, vel deeſt. Quae ubi deficit in coryza non ſicca, natura explet curationis opus. In gravedine vapores commendandi.

Ubi autem febris viget, indolis eius ratio habeatur. Inflammatoriae conſtitutioni antiphlogiſtica curatio apponenda, vehementerque falluntur, qui venae ſectione penitus abſtinendum eſſe in coryza credunt. Ubicunque vero febris eſt lenis, ſpi-

ritusque leves, mollientia ſufficiunt, et quae ſputa promovent.

In inflammatoria conſtitutione venam ſectam ſequatur uſus mixturae diaphoreticae, quae diaphoreſin auget, neque calefacit.

Saepius colluvies adeſt biliofa, quae, ut alioquin ſolemus, prius movenda, deinde vero vomitoriis eliminanda eſt.

Diuturnae occurrunt coryzae, quae acrimoniam ſupponunt peculiarem atque tunicae Schneiderianae in ſinibus frontalibus corruptelam, curatu difficillimae. Fonticuli praeprimis atque aquarum mineralium uſus et internus et externus commendantur.

In febribus putridis et malignis catarrhus minimi momenti inſtar habet, quamvis occaſionem primam iis gignendis praebere poſſit.

Angina catarrhalis.

Inter eam et inflammatoriam id duntaxat intereſt discrimen, quod inflentur quidem in catarrhali partes adfectae eodem modo, nequicquam tamen eum patiantur inflammationis gradum, atque vere transeant in ſuppurationem.

Curatio itaque nullo eſſentiali modo differt, ſed quem ſupra praecepimus, eo modo agendum.

Tuſſis catarrhalis.

Pulmonum catarrhus, et febre et inflammatione expers, natura plerumque curatur. Succurritur tamen naturae et mollientibus vaporibus et potibus oxymel et nitrum excipientibus, ubi vero pervicax eſt, opio.

Peripneumonia notha.

Febris levior, quae facile non ſentitur ac inflammationis ſigna deficientia hanc ſpeciem a vera diſcriminant. Tuſſis vero eosdem capitis dolores, easdem anxietates ac ſpiritus moleſtos infert. Homines debiles, humoribus aquoſis praegnantes et pituita abundantes eo maxime tempore huic morbo obnoxii ſunt, ubi catarrhi graſſantur.

Solvitur hic morbus tum ſputis coctis, tum lotio et ſudoribus. Quodſi vero pituita accumulatur, ſuffocatio oritur, nomine *catarrhi ſuffocativi.*

Gradus varios recipit, atque plus vel minus ad peripneumoniam accedit inflammatoriam.

Quo minor vero eſt proclivitas ad inflammationem, eo plures efficere noxas venaeſectio poteſt. Ubi facies pallida, cutis mollis eſt et pulſus debilis, cavendum eſt a venaeſectione.

Eo potentiora vero protinus reſolventia adhibenda. Veſicatorium pectori imponendum, quavis hora ſulfuris antimonii aurati granum devorandum, eiusque

eiusque augendae doſes, dumne vomitus inde ſequatur. Conferunt quoque ipecacuanha et aqua benedicta Rulandi, portionibus primum minoribus, quae deinde augentur. Ubi relaxatum eſt corpus, cutisque mollita, ſenegae radix expedit.

Pituita turgente aut mota, neque tamen egeſtioni apta, ſaluti erit vomitorium, quod vero ita exhibendum eſt, ut certi ſimus id ſurſum humores moliri neque deorſum, eo enim et vires infringuntur et ſpe auxilii fruſtramur.

DE DYSENTERIA.

Diſcrimen id, quod inter alvum citam et dysenteriam vulgo ſtatuitur, notis certis peculiaribus, in quibus omnes congruunt, haudquaquam inſignitur.

Dyſenteriam ſemper utique comitatur diarrhoea; unde cruentam diarrhoeam eſſe dyſenteriam creditum eſt: neque tamen id merito, cum et cruentae occurrant diarrhoeae citra dyſenteriam, variaeque exſtent huius morbi ſpecies, ubi id quod excernitur, albidum eſt.

Febris, quae ab aliis in definitionem adſumta fuit, propius definienda eſt, quum in variis febribus cruenta occurrat alvus, quae dyſenteriam non conſtituit.

Ea potiſſimum diarrhoea nomine dysenteriae inſignienda eſt, quae ſub finem aeſtatis epidemice graſſatur, febreque iuncta eſt, ad diarrhoeam accedente atque cum ea deſinente.

Cauſſa morbi quaerenda eſt in miaſmate epidemico, quod catarrhi ſpecie afficit inteſtina, unde crebra cruentaque alvus, lotio et ſudoribus ſublata.

Id quidem miaſma ſubinde in variis epidemiis puſtuloſa provocat cutis exanthemata, quae, ſubito regreſſa, dysenteriam protinus provocant. Non raro obſervantur rheumatiſmi dentiumque dolores praecedentes, qui deſinunt, ſimulac dysenteria acceſſerit.

Contagium porro, praeſertim ope excrementorum vapores exhalantium, adfinitatem quamdam huius morbi ad catarrhos complectitur. Quae quidem vis contagioſa putredinem ſequi haudquaquam videtur, obvia enim nonnunquam eſt citra putredinem; quamvis certum ſit, excrementa, quo magis putredine ſoluta ſint, eo facilius contagium propagare.

Simili fere modo miaſma in cutem delatum communicari ſolet.

Solent auctores dysenteriarum partitionem ſtatuere, prout febre iunctae ſunt, vel absque febre decurrunt. Quod quidem diſcrimen a veritate pla-

ne alienum non foret, ſi diarrhoeae exiſterent aeſtivo tempore epidemicae, quae ſolo febris defectu a dysenteria differrent. Neque tamen vera ſtatui poteſt dysenteria absque omni febris motu; qui quidem licet manifeſto ſaepe non ſentiatur, adeſt tamen ob totius morbi indolem atque iudicium per lotium atque ſudores.

Accuſati ſunt vulgo fructus horaei, tanquam cauſſa dysenteriae. Qui ſi immaturi devorantur, occaſionem forte praebebunt oriundo huic morbo, neque tamen is citra miaſma epidemicum naſci poteſt, neque negandum eſt, maturos hos fructus praeſidio ſaepius eſſe in iisdem adfectibus

Id miaſma generari ubique in aëre atque ex eo in corpus humanum transire tantum abeſt ut contendam, ut potius ſtatuam, acrimoniam illam, quae alvum citam producit, epidemico licet morbo inductam, intra corpus tamen naſci.

Quemadmodum in catarrho proclivitas adeſt maior vel minor ad inflammationem, ita quoque eadem in dysenteria animadvertitur. Ex tenuibus deferri inteſtinis videtur cruor, quod tormina in umbilici regione quamlibet praegrediuntur deiectionem, quod intime quoque muco nuptus eſt cruor. Neque tamen credibile eſt, ex arroſis eum manare vaſis, ſed vel ſtimulo attrahitur, vel in arteriis congeritur, ob negatum per iecur circuitum. Ea qui-

dem ſententia eo probatur, quod bilis fere ſemper laborare, neque tamen ſtimulum unicum praebere videatur.

Per febrium ſociarum ſpecies optime dispertiuntur dyſenteriae.

Obſervantur dyſenteriae cum febre mitiſſima, quae facile haudquaquam ſub ſenſus cadit, ubi vires valent ac biliosarum ſordium ſigna deficiunt. Maxime benignam eae conſtituunt ſpeciem, quae calido ſolo regimine haud raro tollitur. Rarius aut nunquam morborum popularium indoles ea adeſt; ſingulos tamen corripit homines, dummodo corporis favet conſtitutio ac aëris.

Id quidem valet etiam de iis ſpeciebus, quae inflammatoriam puram febrem habent adiunctam, ubi viribus valentibus bilis ſigna deſunt.

Magis vulgares ſunt ii caſus, ubi cum inflammatoria conſtitutione bilioſa ſimul adſunt ſymptomata.

Degenerant ſaepius eae dyſenteriae, ubi vel corporis vel aëris conſtitutio inimicae ſunt, ubi curatio non congrua aut regimen adeſt malum, in putridas, quae creberrima alvo male olente, ſymptomatibus nervoſis, periculoque praecipiti deſignantur.

Exſtant denique caſus, ubi malignitas protinus ab initio dyſenteriae adeſt, citra putredinis, inflammationis vel ſordium bilioſarum ſigna, ubi cuius-

libet generis excretiones noxas pariunt inſignes, atque ſpaſmi letiferi aut reſolutiones nervorum accedunt.

Circa prognoſin notandum:

Saluti eſſe deiectiones raras, quibus plurimae ſordes egeruntur.

Ramenta praeſtare cruenta, quam intimam ſanguinis cum excrementis miſtionem.

Hoc quidem accidit, dum vel ſtimulus praevalet, vel proclivitas adeſt ad putredinem. Flavidoruffus eorum, quae excernuntur, color ſalutem praeſagit.

Eo citius convaleſcit aeger, quo celerius dolores deſinunt poſt egeſtiones.

Praeſidio eſt vomitus initio bilioſus ſpontaneus, atque decreſcens morbi vehementia, dum rite curatur.

Periculum vero inſtat, ubi vomitu vel nihil vel mera viridis reiicitur bilis. Illic quidem inflammatio, hic ſpaſticus vigere ſtatus ſolet.

Eo magis exitium metuendum, quo copioſiores adſunt conatus citra veras deiectiones, quoque minus dolores deſinunt.

Ubicunque deiectiones copioſae, dolentiſſimi, neque cruentes, ſed albidae ſunt, nullus adeſt bilis curſus verſus inteſtina, ſtatusque metuendus eſt

phreniticus. Quod etiam de porraceis valet excrementis.

Cruentae deiectiones, quae lividae ſunt aut pallidae, gangraenam portendunt, maxime dum cadaveroſum quid ſpirant.

Quodſi ſubito ſine levamento ceſſant dolores, vel ſphacelus adeſt vel paralyſis inteſtinorum. Poſterius ſi contingit, ſeroſa ſolent eſſe excrementa atque inſcio aegro deiici.

Saepenumero ardent viſcera cum ſtranguria. Quae ſymptomata, niſi continua ſint ac ſordium ſupponant bilioſarum abundantiam, nihil mali praeſagiunt.

Generatim vero notandum, ſicuti in aliis febribus, ita et hic, tunc potiſſimum malum exitum portendi ſymptomatibus nervoſis, ſi optime inſtituta curatione, nullae apparent cauſſae ſymptomatum manifeſtae vel violentae.

Mala quaevis praeſagienda, ſi vomitoria furſum ſordes non educunt, ſed alvum potius cient, cum etiam conatus ipſi deiectionibus non minuuntur.

Vigiliae continuae in delirium praecipitant.

Quin mora ipſa diuturna morbus periculum inferre poteſt. Sequitur enim paralyſis letifera ac mors apoplectica, ſupereſt ſaepius diarrhoea habitualis, exulcerantur inteſtina, ac utroque ultimo caſu macies ſequitur.

Urina, quae diebus criticis cocta apparet, cum linguae cutisque madore iuncta, ubi ſimul alvus ad naturalem accedit cohaerentiam, quietusque fit aegri animus, ſalutem praeſagit: eo peior vero eſt aegri ſtatus, ubi hos criticos quidem motus ilico ſalus non ſequitur.

Frigida denique membra, cum ſingultibus, faciei collapſu et deiectionibus involuntariis in exitium praecipitant.

Medelae ratio pro febris ſociae indole inſtituenda.

Refrigerium, velut cauſſa dysenteriae generalis, praecavetur calido regimine.

Dum febris adeſt mitiſſima, neque putredini neque inflammationi morbus favet, neque ſordes abundant bilioſae, potus ſufficiunt aciduli, tepidi, demulcentes, fomenta extus applicata, atque ea remedia, quae leniter ſudores movent.

Inflammationi occurrimus venae ſectione, oxymelle cum nitro, cataplaſmatibus mollientibus aut veſicatoriis abdomini impoſitis, protinus ut figitur dolor.

In bilioſis dysenteriis humorum indolis ratio habenda. Dum inflammationi favent, poſt ſanguinem e vena miſſum protinus vomitus ciendus eſt. Veſicatorium abdomini imponendum, pulpaque tamarindorum et cremore tartari, ad aliquot uncias per diem,

alvus movenda. Ubi vero nullus adeſt inflammationis metus, mollientia ſufficiunt et evacuantia.

Iis quae evacuant caute agendum in putrido ſtatu, qui citra ſordes eſt bilioſas. Commodiſſimus eſt uſus vini et internus et externus, corticis peruviani, radicis colombo, aluminis et camforae.

Quum vero plerumque ſimul ſordes gaſtricae adſint, antiſepticis quoque ea, quae alvum ducunt, ſunt adiungenda.

Quodſi in malignis febribus excretio quaevis debilitatem attrahit periculoſam, alexipharmaca proſunt, quibus perſpiratio promota miaſmatis partem egerit.

Vomitum optime ciet aqua Rulandi benedicta, alvum vero pulpa tamarindorum aut cremor tartari. Ipecacuanha faceſſit ſaepe negotium, rhabarbarum vero dolores auget.

Potibus inſerviunt emulſiones ſeminum papaveris, cum alvum leniter contineant ac ſpaſmos ſimul ſedent. Ubi irritabilitas iuſto maior viget, gummis arabica aut radix ſaleb adiungantur, ubi laxae ſimul partes ſunt, lichen islandicus.

Spaſmi copioſiores cataplaſmatibus mollientibus et opio domandi: ubi proclivitas vero eſt ad inflammationem, veſicatoria conferunt, camfora potusque mollientes et refrigerantes.

Dum deſiit febris, deiectiones autem ſuſtinentur debilitate et irritabilitate praeternaturali, neque excretio promovenda videtur, creberrimaeque minitantur periculum deiectiones; praeſidia petuntur a cortice ſimarubae, radice colombo, lichene islandico, extracto ligni campechiani, alumine et opio, cutis quoque ſimul mollienda. Commodiſſima eſt ratio, ſi camfora opio et ipecacuanhae nupta devoratur.

Exulcerationi occurrendum iis remediis, quae contra quamvis internorum viſcerum exulcerationem ſuadentur.

DE CHOLERA.

Popularis hic morbus vel una cum dysenteria graſſatur vel eam excipit, atque vehementibus iungitur vomitibus et diarrhoeis.

A dysenteria differt vomitibus ſociis, et iis, quae excernuntur, non cruentis, ſed bilioſis plerumque, febrilium motuum fere defectu, iudicio celeriori ac rariore frequentia.

Ibi oritur morbus, ubi in veſicula fellea bilis copia congeſta miaſmate quodam acrimoniam adepta eſt, ut in inteſtina effluat atque ſtimulo ſuo peculiari vomitus deiectionesque creberrimas producat.

Poteſt vero etiam irritamento ſuo miaſma bilis ſecretionem augere.

Facillime ſequi poteſt debilitatem vel gangraenam mors ipſa.

Dum ſordes eliminantur, potibus copioſis excretio promovenda eſt, conſtitutionis vero ſimul ratio habenda. Quodſi inflammationis metus urget, ſanguis eſt e vena mittendus, ſtomachoque veſicatorium imponendum. Simulac vero nil noxii amplius egeritur, potus exhibeatur Riverii ac opium, externa vero membra vino fovenda.

DE HAEMORRHAGIIS.

Praeternaturalis ſanguinis effluxus haemorrhagia appellatur. Eae hic tantum conſiderandae veniunt, quae morbum ipſum conſtituunt.

Triplici potiſſimum modo haemorrhagiae oriuntur:

1. interſtitia interdum vaſorum ſanguiferorum dilatantur adeo, ut ſanguini exitus paretur: *diapedeſis* dicitur;

2. rupta vero vaſa *diaereſin* efficiunt;

3. arroſa vaſa acrimonia quadam *diabroſin* producunt.

Cauſſae haemorrhagiarum proximae comple-ctuntur congeſtiones, ſtimulos, humorum ſolutiones, laxitatem ac vaſorum laeſiones.

Remotae cauſſae ſunt:

1. ſanguinis abundantia, quae per ſe quidem ſanguinis profuſiones non producit, intendit tamen ceterarum cauſſarum effectum. Partialis quoque plethorae ratio habenda; ſiquidem ea iis omnibus rebus excitatur, quae circuitum impediunt, e. g. aneuryſmatibus aortae ac congeſtionibus;

2. vaſculorum teneriorum debilitas, quae non raro ſanguinis abundantiam excipit, nonnunquam vero circuitum offenſum;

3. ſanguinis disſolutio ac acrimonia, quibus non ſolum debilitantur partes ſolidae, ſed ipſe ſanguis pronus fit in faciliorem per minima interſtitia transitum, ſicut in ſcorbuto accidit;

4. laeſiones violentae, quibus vaſa vel rumpuntur, vel adeo infirmantur, ut ſanguinis impetui paria non ſint;

5. ſtaſes inflammatoriae, catarrhales, rheumaticae;

6. acria. Ita mictus cruentus ſaepenumero ab acrium pendet diureticorum abuſu, tuſſis cruenta in phthiſi pulmonali a ſaniei acrimonia;

7. naturalium aut habitualium haemorrhagiarum interceptiones;

8. caloris nimia vehementia et atmoſphaerae quaedam viciſſitudines. Non ſemel expertus ſum, plures homines eodem tempore haemoptyſi correptos eſſe;

9. alvus compreſſa, licet ſanguinis profuſionem producere per ſe nequit, augere tamen eam poteſt;

10. ſpaſmi, quibus ſanguinis circulo impedito, congeſtiones efficiuntur verſus partem ſingularem;

11. ſordes primarum viarum bilioſae, quae vel in ſanguinem delatae congeſtiones aut ſtaſes inflammatorias in partibus quibusdam efficiunt, aut conſenſu eas excitant;

12. obſtructiones organorum abdominis, quibus congeſtiones pariter producuntur.

Ubi aetas paullum proceſſit, ſanguis potius in caput fertur, unde narium haemorrhagiae in teneriusculis aetatibus.

Ubi autem iam induravit aetas, congeritur ſanguis magis in abdomine, unde menſtrua nimio curſu fluunt, atque per anum profunditur ſanguis.

Salutiferae ſunt interdum ſanguinis profuſiones, dum ſola contingit vaſorum diapedeſis, dum vires non infringunt, dum aliarum haemorrhagiarum vices gerunt, dum ſanguinis potius abundantiam quam alias cauſſas ſupponunt.

Facile vero etiam ſuppurationes, cachexiae, hydropes, ſpaſmi et febres hecticae excipiunt haemorrhagias.

In medela conſilium potiſſimum transferendum ad cauſſas.

Sanguis e vena mittendus, tum cum abundat, tum etiam, ubi praevalet corpus, ne protinus ſanguis feratur in partes adfectas. Neceſſaria admodum eſt ea ratio, ſi ſtaſes inflammatoriae ſanguinis profuſiones excitaverunt, aut eas ſecuturae ſunt.

Ubi vaſorum ſola debilitas adeſt, nutriendum eſt corpus et firmandum. Valentibus tamen remediis id fieri non decet, neque ſubito, quod facile ſanguinis copia nimia iterum colligitur, priusquam robur ſuum priſtinum recuperaverint partes adfectae. Cibi, qui replent corpus; fuga eorum, quae debilitare corpus poſſunt, et balnea frigida eo ſufficiunt. Lege antiqua ſanctum eſt, pedetentim atque gradatim ita eſſe roborandum corpus, ut cauſſae ſimul omnes tollantur. Quodſi ſanguis utique turget, commodum eſt, nitrum in aqua aromatica, i. e. aqua meliſſae aut menthae cum vino ſolutum propinare.

Sanguinis nimiae ſolutioni opponuntur acida atque diaphoretica leniora.

Inflammatoriae ſtaſes antiphlogiſtica medela debellantur.

Acrimoniae demulcentibus mitigandae, et, ut ceterae res id requirunt, egerendae.

Si ſanguis ſueto more per menſtrua aut haemorrhoides non reſpondet, hirudines, cucurbitulae, fomenta mollientia admovendae iis partibus, aqua calida pedes lavandi, ut deorſum feratur ſanguis.

Ubi incaleſcit ſanguis, temperandum eſt corpus pedetentim, denique aqua frigida propinanda: eaque partibus adfectis admovenda.

Alvi compreſſae ratio protinus habenda in quavis ſanguinis profuſione, lotionibus itaque mollientibus continuo ducenda.

Spaſmi ſedantur antiſpaſticis et mollientibus extrinſecus admotis, opioque exhibito.

Sordes bilioſae diluantur, moveantur, et, ut reliqua id deſiderant, excernantur.

Obſtructio organorum abdominis valentibus iis remediis debellatur, quae reſolvunt.

Stomacace.

Ita vocatur ſanguinis profluvium ex oris ambitu, maxime e gingivis. Quum a ſcorbutica plerumque humorum indole naſcatur, iis quoque vincitur remediis, quae contra ſcorbutum militant.

Haemorrhagiae narium.

Pueri adoleſcentulique huic profluvio praeprimis obnoxii ſunt. Tutum id plerumque a periculo eſt, quum ab incaleſcente ſanguinis abundantia pendere conſueſcit. Quodſi autem in ſenili aetate crebro occurrit, ſignare ſolet vel proclivitatem in phthiſin, vel obſtructiones viſcerum abdominalium vel impeditum organicis vitiis circulum.

Ubi nimis urget, acidis primum temperantibus circuitus mitigandus. Tenſis abdominis partibus, alvus aperienda laxantibus mitioribus et lotionibus antiſpaſticis, mollientia fomenta abdomini admovenda, pedesque aqua calida lavandi. Spaſmis valentibus opium opponendum. Praeſidio quoque interdum ſunt frigida pudendis admota fomenta. Sedatur inſuper profluvium iniectis glutinoſis, e. g. ichthyocolla. Neque tamen ſubinde prius deſinit, quam anima deficit.

Haemoptyſis.

Is adfectus accidit, ubi tuſſi ſanguis reiicitur, qui ubique e pulmonibus fertur.

Favent huic vitio, quibus phthiſis pulmonalis periculum minitatur: populari quoque interdum modo graſſatur.

Cauſſas agnoſcit maxime vulgares:

1. laeſiones externas, preſſionem vel impulſum, vel id omne, quod pulmones exaſperat atque conturbat, vociferationem, cantum, riſum et tibiarum abuſus. Citra febrem ſanguis profundi conſueſcit in his caſibus, transit quoque absque febre, dumne inflammatio acceſſerit;

2. acres humores in pulmonibus ſtabulantes, e. g. ſalium vapores inhalatos. Sanies quoque acris in phthiſi pulmonali excitare poteſt ſanguinis profluvium, arroſis pulmonum vaſis.

3. ſtaſes inflammatorias, quae vel a catarrhali ſive rheumatica materie, vel a refrigerio naſcuntur, vel ſua ſponte atque fortuito oriuntur. Quo caſu praecedere ſolet febricula, quae angoribus, cordis palpitationibus, pectoris tenſionibus et ſpiritibus gravioribus iuncta eſt. Mox ſaporem calidum ſubdulcem in ore ſentit aeger: tuſſicula eum male habet, qua cruoris aliquid eiicitur. Febris plerumque inflammatoria, ſubinde biliofa, poſt ſanguinis etiam profluvium moratur, iudicata tandem et lotio et ſudoribus.

4. exiſtunt haemoptyſes, quae ſuppreſſis naturalibus haemorrhagiis citra febrem oriuntur ac citra tuſſim vehementem.

Quae quidem poſtrema ſpecies tutiſſima eſt. Neque tamen periclitatur admodum, qui prima laborat.

borat. Tertia intendit phthiſis pulmonalis vehementiam.

Quo magis praevalet febris, eo facilius oritur ſuppuratio. Quodſi vero neque a violentia externa, neque interceptis habitualibus profluviis effecta eſt haemoptyſis, atque citra omnem ingruit febrem, pertinaces ſunt obſtructiones viſcerum metuendae.

Malum eſt, tuſſim exareſcere ilico poſt ſanguinis profuſionem. Sputa flavido-viridia, quae haemoptyſin ſequuntur, ulcera iam antea adfuiſſe, ſignant. Metuenda eo magis vomica, quo diutius protrahitur tuſſis poſt haemoptyſin.

Rheumatici variarum partium dolores, qui haemoptyſin excipiunt, ſalutiferam indicant metaſtaſin, fonticulis adiuvandam.

Per ſanguinis profluvium ex toto quieſcere opus eſt, paullo altior ſedere ac ſermonibus abſtinere. Incaleſcenti aegroto nitri drachmae aliquot in ſpiritus vini unciis paucis ſoluti cochleare unicum quovis horae quadrante propinandae. Simulac quieverit, aqua frigida copioſe devoranda. Experiendum inſuper, an requiratur ſangui is miſſio. Imperanda autem ad pedem, ſi multum ſanguinis eiectum eſt, ſanguis abundat viribusque valet aeger. In inflammatoria conſtitutione, dum nulla accuſatur externa cauſſa, admodum neceſſaria eſt ſanguinis miſ-

ſio, quae ad brachium inſtituitur. Alvus tamen ſimul ducenda.

Quodſi corio obtectus erat ſanguis e vena miſſus, veſicatorium pectori vel regioni inter ſcapulas admovendum, camforaque temperantibus admiſcenda.

Cum ſpaſticus vero potius quam inflammatorius eſt ſtatus, caute agendum ſanguinis miſſione, mollientibus et antiſpaſticis fovendum abdomen, opiumque temperantibus iungendum. Cavendum praeterea a quovis irritante remedio, ſuspenſaque admodum manu alvus ducenda. Commodiſſima eſt *mixtura refrigerans*, aut alcali acido citri ſaturatum.

Inquirendum deinde in ſordes bilioſas, quibus forte congeſtiones excitantur. Quo caſu ſales neutri, turgentibus autem ſordibus, vomitorium tuto exhibendum, dumne ante febris inſultum exhibeatur, quum iterum erumpere ſoleat ſanguis febre accedente.

Quodſi haemorrhoidum fluxus ſuppreſſus fuerit, hirudines ano admoveantur, inſideat aeger vaporibus mollientibus, dumne iis nimis incaleſcat. Ubi a menſtruis defecta eſt mulier, cienda ſunt ea, cautiſſime tamen pellentia exhibenda, quae facile calorem nimium et novam ſanguinis profuſionem creare poſſunt.

Dum ex cauſſis debilitantibus in hunc illapſus eſt morbum aeger, e.g. dum moerore diuturno, venere immodica, lactatione nimis protracta oblanguit, ut primum fieri poteſt, cortex peruvianus exhibeatur, cui iungenda ſunt, pro reliquarum conditionum ratione, vel martialia, vel opium vel demulcentia.

Citra cruenta ſputa tuſſis ſuperſtes ſuppurationem minitatur. Quae ut impediatur, praeſidio ſunt fonticuli loco veſicatoriorum aperti, ſatiusque eſt propinare aquam Selteranam cum melle lacteque ac abſtinere carnibus. Obſunt potius balſamica ac cortex peruvianus, cum novas excitare conſueſcant ſtaſes inflammatorias, promtioremque quoque reddant ſuppurationem, ac, ubi pus iam adeſt, transitui eius in ſanguinis maſſam faveant.

Violentia externa praegreſſa, cogitur ſaepius, loco haemoptyſeos, ſanguinis effuſio in pectoris cavum. Cognoſcitur id ex ſpiritibus offenſis, ex impotentia aegri, in dorſum cubandi, ex ponderis ſenſu diaphragmati incumbentis, ex proclivitate in animi deliquia, maxime vero ex ecchymoſi violacea ſub coſtis ſpuriis verſus muſculum lumborum quadratum apparente. Quod ſignum ubi deficit, ecchymoſis explorata habenda non eſt, quum experientia conſtet, ſymptomata alia omnia a nervis aut tendinibus laeſis pendere poſſe. Discrimen eius

ecchymoſeos illiusque, quae partis adfectae ipſam laeſionem protinus ſequitur, profunde rubet ac ſtigmatibus rubris obtegitur, probe notetur.

Ut tuto ſanguis arceatur, vulnus protinus ut ſaneſcat cogendum, atque niſi iam in infimo pectoris loco contigerit, hic quidem, velut ex adverſa parte, vulnus incidendum eſt.

Vomitus cruentus.

Non tuſſi ſed vomitu eiicitur ſanguis ſubnigricans, cibisque miſtus. Anima promtiſſime deficit poſt vomitum, praecedit vero ſenſus ponderis praecordia comprimentis.

Efficitur ſaepius obſtructionibus viſcerum abdominalium, ac ſanguinis fluxuum vulgarium ſuppreſſione; poſſunt quoque acria venena vomitum eum producere.

Febre ſaepius iunctus eſt is vomitus, ſicut et haemoptyſis, interdum vero, ni plerumque, diuturnus eſſe ſolet. Rarius vero periculum id adfert, quod ab haemoptyſi metuitur. Dum frigida manent extrema, novi inſultus vomitus timendi ſunt, unde debilitas aut ſuppuratio noxas multas adferre poſſunt.

In vomitu ipſo membra lavanda et fricanda ſunt aut vino aut aceto. Sanguis vero e vena non facile mittendus; niſi inſignis adfuerit ſanguinis abundan-

tia, ubi ſuppreſſorum ſimul ſanguinis fluxuum ratio habenda eſt, ac vel e pedum venis ſanguis mittendus, vel hirudines ano admovendae. In exhibendis vero cibis, potibus et remediis ea omnia vitanda ſunt, quae nauſeam aegro excitare poſſunt, ne vomitus novus producatur. Satius eſt, lotionibus prius alvum ducere. Dum inflammatoria viget conſtitutio, veſicatorium abdomini imponendum, acida vero propinanda. Dum ſpaſticus potius adeſt ſtatus, externis partibus mollientia imponenda, atque opii pauxillum cum aceto aut citri acido exhibendum.

De mictu cruento infra ad viarum uriniferarum vitia atque ad uteri haemorrhagiam praecipiemus.

DE MENSTRUORUM VITIIS.

Quibus menſtrua vel plane non reſpondent, vel nimis et non ordinate profluunt, eae in morbos facile illabuntur: neque concipere ſolent.

Defectus menſtruorum.

Mulier vel plane ab eo fluxu defecta eſt, vel, cum iam fluxerunt, intercipiuntur.

Utroque caſu naſcuntur laſſitudo, functionum inertia, capitis dolores, anxietates, cordis palpitationes, ſpaſmi, irritabilitas alienata, digeſtio

laeſa, viſcerum obſtructio, cachexiae, hydropes, aliae ſanguinis profuſiones, exulcerationes atque phthiſis.

Supprimuntur autem menſtrua, quae nondum fluxerunt, plerumque debilitate atque alienata irritabilitate, unde ea promte ſequi ſolet cachexia, quam *chloroſin* dicunt. Exiſtunt vero etiam caſus, ubi vagina hymene occluſa fuit, eoque rupto tandem promanarunt menſtrua.

Intercipiuntur menſtrua, quae iam fluxerunt, refrigerio, terrore, excandeſcentia, moerore, pituitoſa viſcerum colluvie atque obſtructione. Quodſi ſubito, dum fluunt menſtrua, ſupprimuntur, ſpaſmi facillime atque ulcera uteri ſequuntur. Promtius quoque fluor albus hoc vitium excipere ſolet.

Caute diſtinguenda eſt haec menſtruorum ſuppreſſio ab eo defectu, quem gravidae experiuntur. Bene enim tunc ubique valent feminae atque expertes ſunt iis ſymptomatibus.

Neque prius menſtrua ipſa provocanda ſunt, quam moleſtiis inde ſubortis, quae graviores corpori noxas minitantur. Dum vero ſuppreſſa ſunt, feſtinanter ſequelis ſubveniendum eſt.

Minus autem negotium faceſſit ratio, qua reſtituere menſtrua, quae iam fluxerunt, ſuppreſſa, quam qua defectum eorum curare, quae nunquam adfuerunt, ſtudemus. Summa quoque medelae

verſatur in cauſſis agnoſcendis atque debellandis. Quodſi obſtructa ſunt viſcera, pulmonesque magis patiuntur, conatus fere omnes noſtros eludet, periculumque praeceps attrahet morbus.

In curatione ratio habenda cauſſarum, quae ſanguinis impediunt curſum verſus uterum, habenda quoque ratio effluxus eius promovendi.

Ubi a principio aetatis congruae defectus adfuit, vel ubi menſtrua gradatim tantum intercepta ſunt, acrimonia adeſſe ſolet in corpore, quae vaſculorum ſpaſmos excitat, atque ideo effectus illos producit. Noſtra itaque intereſt, purgare prius primas vias, quod protracto ſalis Glauberiani uſu, quotidie ad unciam dimidiam, rhabarbarinisque fieri poteſt. Vid. *pulvis ecphracticus.* Quo facto, neque tamen reſtabilita digeſtione, vel peculiaris adeſt ſanguinis acrimonia vel viſcerum obſtructiones.

Acrimoniae opponenda antiſcorbutica ac diaphoretica leniora, inter quae balneorum tepidorum uſus ſimul ſuadendus eſt. Obſtructiones vincuntur ſulfure aurato antimonii ita, ut quotidie portio eius augeatur. Vid. *tinctura antimonii Iacobi.* Ubi hae non ſufficiunt, a mercurialibus auxilium petatur.

Quibus vitiis remotis, laxae partes iterum firmandae ſunt, quod ferri ope commodiſſime fieri poteſt. Vid. *tinctura martis adſtringens.* Quousque metuendae ſunt obſtructiones, florum ſalis am-

moniaci martialium uſus commendatur. Vid. *tinctura martis aperitiva.* Expeditius iuvant balnea frigida. Ex toto vero ſpaſmorum ratio habeatur, quibus, dum adſunt, opium reliquis remediis admixtum opponatur.

Quae ſi rite perficiuntur, alteram curationis partem, ſanguinis derivationem verſus inferiora, ſuperfluam reddunt. Eſt tamen arte ſubveniendum, dum menſtrûa diutius deficientia noxas adferunt.

Eo autem potiſſimum tempore haec remedia adhibenda ſunt, dum menſtrua ingruunt, quod vel ad calculum vocare vel prodromis ſignis cognoſcere poteris. Praenunciant autem impetum ſanguinis verſus genitalia, artuum laſſitudo, abdominis inflatio ac pudendorum, dolores dorſi et abdominis.

A lenioribus praeſidiis incipienda eſt curatio. Opus eſt ambulationibus, ſaltationibus mediocribus, balneis pedum, fomentis et cataplaſmatibus, quae ſolutionem ſcoriarum reguli antimonii excipiunt.

Quae ubi non ſufficiunt, initio futurae periodi balſamicas deglutire pilulas prodeſt, ita tamen ut plus quam bis aut ter alvum non ducant.

Quum aëri fixo ineſſe videatur peculiaris quaedam facultas, ſanguinem profundendi, ab eo etiam vel extrinſecus vel intus petendum eſt auxilium, dumne haemoptyſin oribundam extimeſcere liceat.

Intus ita adhibetur, ut cremorem tartari cum terra miſceamus abſorbente, ſive alcali pauxillum et ilico poſt acidum vitrioli dilutum propinemus. Ut verſus inferiora autem maxime agat, pilulis ſimul aloëticis alvus eſt aperienda. Vid. *aër fixus* et *pilulae balſamicae.*

Pellentibus reliquis, velut ſabina, helleboro nigro et aloë cautiſſime agendum, dum per ſe ac ſola exhibentur.

Dum haemoptyſeos metus eſt, hirudines pudendis, internae vero femorum faciei cucurbitulae admovendae.

Quod ſupereſt, electricitas ſaepius commodiſſima fuit ad reſtituenda menſtrua, quae mulieribus non ferebantur.

DE SANGUINIS E PUDENDIS MULIEBRIBUS PROFUSIONIBUS.

Huc pertinent:

1. praepoſterus menſtruorum fluor debilitatem adferens. Exiſtunt caſus, ubi ante octavum iam profunduntur annum, quod a noſtro climate utique alienum eſt;

2. dum quovis circuitu nimia ſanguinis copia fluit;

3. dum nimis crebro, e. g. quatuordecim dierum intervallo, recurrunt menſtrua;

4. dum porriguntur ultra congruam aetatem atque corpus infirmant;

5. quaevis ſanguinis profuſio, quae citra menſtruam periodum occurrit, neque ab ea pendet;

6. haemorrhagia denique lenta continua, quae ſubinde abortus aut partus excipit, ab aliis cauſſis derivanda.

Efficiuntur autem eae ſanguinis profuſiones, irritatione pudendorum, per frictionem, ſaltus ac venerem immodicam: pellentium incauto uſu, partibus crebrioribus; lactationis defectu, quo ſanguinis impetus verſus uterum adlicitur.

Sanguinis nimius curſus, qui in praevalente corpore, citra menſtruam accidit periodum, a polypis plerumque uteri pendet. Lenta vero haemorrhagia ſymptoma eſſe ſolet ulceris carcinomatoſi in utero.

Dum uterus ſcirrhis laborat, haemorrhagiae naſcuntur a quovis ſtimulo, qui ſpaſmos adferre poteſt.

Ubi in teneriuscula aetate menſtrua profunduntur, proclivitatem ſignant ad phthiſin. Dum ultra congruam aetatem porriguntur, hydropem facile excitant. Quodſi nimius menſtruorum curſus ſimul inordinatus eſt, peiorem ſignat ſtatum, quam regularis: illic enim metus exulcerati uteri oritur. Maxime vero periclitatur aegra haemorrhagiis, quae

a menſtruis non pendent, cum a vitio uteri locali oriri videantur.

A generali nullo modo differt curatio. Ubi menſtrua nimis feruntur, neutiquam ſupprimendus eſt curſus ſed moderandus.

Cum haemorrhagia periculum minatur, frigida abdomen fovendum, frigidaque in vaginam iniicienda. Conferunt quoque cucurbitulae mammis impoſitae, ut ſanguinis curſus verſus inferiora minuatur. Subinde balnea tepida conferunt, dum cutis aſpera eſt ac ſicca.

Quod iam ſupra praecepi, firmandum eſſe corpus non praepoſtere, neque celerius iuſto, ſed gradatim, hic praeprimis locum obtinet, cum uteri vaſa robur maxime inſigne requirant, ut et leviſſimo ſanguinis impetui reſiſtere poſſint.

DE HAEMORRHOIDUM ADFECTIBUS.

Haemorrhoides vocantur congeſtiones ſanguinis vel aliorum humorum ad anum. Dividuntur in coecas et fluentes.

Quae fluunt, ſunt vel ſanguineae vel mucoſae.

Coecae autem vel inflammationem habent vel eius expertes ſunt: quod ultimum varices conſtituit.

Haemorrhoidum autem cauſſa primaria congeſtionem ſanguinis in ſyſtemate venae portarum complecti videtur, quod ex effectibus elucet. Accedit ſaepius rheumatica acrimonia, quae omnino aliquid facit ad haemorrhoides producendas. Ea congeſtio vocatur plethora abdominalis.

Remotae eius cauſſae ſunt:

1. debilitas venarum portae;
2. ſanguis tenax et acris;
3. obſtructio vaſorum.

Earum itaque remotarum cauſſarum ratio potiſſimum habenda eſt: venae ſectione ac hirudinibus utendum, ubi congeſtio, ob diuturnitatem, noxia ſit.

Haemorrhoides ſanguineae fluentes.

Tutiſſimus eſt a periculo hic curſus inter omnes moleſtias, quas haemorrhoides excitant, neque tamen cum menſtruo fluxu comparandus eſt, quanquam iisdem circuitibus feratur. Morboſus itaque ſemper eſt ac valetudinem ſignat infirmam, maxime dum in immatura aetate apparet.

Intereſt autem inter eum ac fluxum hepaticum dysenteriamque, quod cruor excrementis haudquaquam mixtus ſit, ſed utique faeces, praecipue duras, ſequatur.

Cauſſa proxima verſatur non in vera ſanguinis abundantia, cum homines eo ſaepius corripiantur, qui ſanguine omnino non turgent, ac ſanguine e vena miſſo eae moleſtiae non ſileant, quae curſu ipſo haemorrhoidum ſiſtuntur.

Saepius peculiaris quaedam ſpontanea diſpoſitio adeſſe videtur, quae revocat facillime curſum, eo minus intercipiendum, quo magis ſanitas cum eo cohaerere videtur.

Nonnunquam tamen merum ſequitur orgaſmum aut alvi obſtipationem, victus errores, purgantium acrium abuſum, graviditatem, ac interceptum menſtruorum curſum. Quod eo promtius fit, quo plures iam ante adfuerunt tumores coeci.

Cognoſcitur autem peculiaris ad haemorrhoides diſpoſitio inde, quod citra manifeſtas curſus ingruat cauſſas, quod praeceſſerint anxietates, laſſitudo, capitis dolores, vertigo, cardialgiae, inteſtinorum dolores ac regionis oſſis ſacri; calor denique pruritusque ad anum, quae vero ſymptomata fluore ipſo tolluntur.

Quod ſi contingit, arte ſupprimendus curſus non eſt, quum facile periculoſae inde congeſtiones verſus alia loca ſequantur. Dum autem nimis copioſus eſt ac corpus infirmat, remediis refrigerantibus et in- et externis ſubveniendum eſt.

Ubi conſtat, ſymptomata dicta ex diſpoſitione ad haemorrhoides naſci, impetumque verſus pectus metuendum eſſe, promovendus eſt curſus lotis calida pedibus atque fomentis admotis. Pellentibus cautius agendum, quam in menſtruorum curſu, derivandusque potius ſanguis, vena ad pedem ſecta aut hirudinibus ano appoſitis.

Saluti manifeſto eſſe quandoque haemorrhoidum fluor videtur, uti in tympanite contingit. Alvi lotiones ex aëre fixo optime tunc expedient. V. *aër fixus*.

Dum vero ex notis cauſſis occaſionalibus curſus naſcitur, occurritur ii refrigerantibus remediis, primarum viarum purgatione, alvi ductione ac reſolventibus et roborantibus, prout res, quae circumſtant, id deſiderare videntur. Vid. *pulvis ecphracticus* et *elixirium reſolvens*.

Haemorrhoides mucoſae fluentes.

Pituitae curſus ex ano interdum criticus eſt, tumque nequaquam ſupprimi debet. Quibus enim ex conſuetudine ferebatur, iis ruunt humores pituitoſi, dum hic fluor deſiit, verſus ſuperiora. Quo facto tollenda eſt acrimonia ope haematocatharticorum corporisque exercitiorum, quae vero ubique fere non ſufficiunt.

Debilitatem nonnunquam ani ſolam ſupponit is pituitae curſus, ubi commodiſſimae ſunt alvi lotiones ex aqua frigida.

Haemorrhoides urethrae.

A mictu cruento differunt curſu ſanguinis meraci, urinae non admixti, maxime vero, quod e moleſtiis haemorrhoidalibus naſcantur, unde haemorrhoidum anomalas vices gerere dicuntur. Praeſidio ſunt hirudines ano admotae, remedia diluentia, quae leviter urinam cient, atque ea, quae ſtaſes reſolvunt ſyſtematis venae portarum.

Haemorrhoides coecae.

Iunctae ſunt ſaepius cum fluentibus, ab iisdem cauſſis naſcuntur, licet ſtaſes abdominales atque obſtructiones viſcerum hic magis ſint extimeſcendae. Subinde vero ſolum ani prolapſum ſequuntur aut preſſionem mechanicam.

Varices ſupponere videntur vel ſtaſes in venis vel ecchymoſes humorum in tela cellulari. Preſſioni cedunt, neque dolores excitant. Ubi haemorrhoidum metus adeſt, hoc fluore fere tolluntur, qui itaque promovendus eſt. Quod ſi non contingit, varicesque maxime diuturnam habent moram, timenda eſt inflammatio eorum, comprimendi itaque

aqua frigida, vel, eo non ſufficiente aut ſanguine ex iis profuſo, cultro praecidendi ſunt.

Tumores inflammatorii eadem ratione tractandi ac inflammationes aliae. Qui ubi ſubito non diſcutiuntur, mature aperiendi ſunt, cum alioquin ſtagnantes humores acrimoniam concipiant atque in fiſtulas abire poſſint.

Sexus ſequior laborat nonnunquam inflationibus nympharum calidis, quae haemorrhoidum aut menſtruorum loco naſcuntur, ſuppurationique favent, quae a principio promovenda eſt.

DE VERMIBUS.

De eo hic tantum vermium genere, quod in corpore ipſo humano generatur, cuiusque ovula neque immediate in corpus deferuntur, neque quod extra corpus communiter vivit, praecipiendum eſt.

Utrumque poſterius aſſertum addo, quod in ulceribus apertis ſine negotio vermes aut larvae potius inſectorum generantur, quodque viventia animalcula nonnunquam cutim forant, in ea nidulantur, ad quod quidem genus vena medinenſis pertinere videtur. Contra omne id genus extrinſecus agere opus eſt, huc itaque cenſeri non merentur.

Satius itaque eſſet vermes, de quibus hic ſermo erit, ita deſignare, ut in corpore ipſo generari ſtatuerem,

tueram, dummodo conſtaret, ovula eorum ab exterioribus, quae corpus ambeunt, intrare.

Creditur vulgo, ovula animalculorum intra corpus humanum viventium per cibum potumve in corpus deferri: idque confirmari dicitur:

1. eo, quod vulgari ſententiae contrarium ſit, absque praeformatis omnino germinibus poſſe haec animalcula in corpore naſci. Cumque haud facile probari poſſit, congenita eſſe ea germina, nil ſupereſt, quam foris ea deſumere;

2. quod quidem veritatis ſpeciem aliquam adipiſcitur, cum easdem vermium ſpecies in piſcibus obſervari dicatur, hominesque in iis praecipue regionibus vermibus obnoxii ſint, quibus cibus familiaris e piſcibus paratur, atque ubi potus e ſtagnantibus aquis petitur;

3. ea ipſa animalcula, quae intra corpus vivunt, et extra id in aquis aliisque corporibus reperiri doctum fuit.

Contra ea quidem argumenta merito regeritur:

1. haudquaquam exploratum eſſe, quodcunque corpus animale ex praeformatis organicisque germinibus originem ducere debere. Tantum enim abeſt, ut hoc probatum ſit, ut potius quaevis fere phaenomena eam confirmare videantur ſententiam, quae corpora organica ex elementis chemicis formari ſtatuit, germina quidem adeſſe contendit, ea tamen

aliena eſſe a forma organica, ſed mixtionem eam recipere, quae modo, quo generantur, in corpora abeunt organica. Nequaquam itaque ſufficit doctrina de praeformatis germinibus ad negandam vermium in corpore ipſo generationem. Poſſuntne partes quaedam corporis ita formatae eſſe, ut, dum ſanum eſt corpus, non ſentiantur, in morbis vero abeant in vermiculos?

2. quod in iis regionibus, quarum incolae tum piſcibus tum aquis immundis paſcuntur, gregatim vermes animadvertantur, id quidem absque negotio ex infirmata digeſtione atque ex generata inde pituita, quae ſedes eſt vermium, declarari poteſt;

3. expertum eſt denique, differre ex toto eos vermes, qui intra corpora animalia vivunt, ab iis, qui extra id reperiuntur.

Quum itaque vulgaris opinio argumentis indigeat firmioribus, multo magis convenit coniectare, quod vermium primordia vel praeexſtiterint in corpore animali, vel absque organica cauſſa in eodem generentur. Et multae inſuper rationes opinioni vulgari adverſantur, quarum vel ea tantum hic notetur, quod a veritate recedere videatur ea ſententia, quae ovula ea foris illata credit abſque negotio digeri ſanguinique adſimilari, quod tamen fieri deberet, cum multoties vermes obſervati ſint in hepate, cerebro, aliisque partibus, quin reſidere viſi ſint

in infantibus recens natis atque in embryonibus, abortu excluſis.

Species ſequentes maxime vulgares ſunt:

Aſcarides et trichurides.

Aſcarides plerumque larvis acarorum, in caſeo nidulantium, ſimiles, interdum tamen adeo procerae ſunt, ut pro lumbricis venditentur. In craſſis duntaxat inteſtinis morantur, ubi ſtimulum excitant atque teneſmum.

Pruritu narium et ſpaſticis adfectibus, tum etiam excrementis ipſis cognoſcuntur.

Propelluntur laxante mercuriali, alvi lotionibus ex oleo, aëre fixo et aqua frigida. Ubi frequentia ſua paſſiones efficiunt, primas protinus vias purgare, tunc vero roborantia adhibere oportet.

Pertinent huc etiam trichurides, quae pollices aliquot longae latum habent corpus cum capite filiformi, unde *trichocephalorum* nomine veniunt. Coecum maxime inteſtinum occupant, purgantia deſiderant fortiora.

Lumbrici.

A lumbricis terreſtribus differunt, quod hi annulo verrucoſa ad capitis extremum praediti ſint, quo illi carent, quod tubulis variis compoſitum ſit lumbricorum humanorum orificium, cum unica

apertura gaudeat lumbricus terreſtris. Ovulis quoque propagatur hic, viventia autem parit lumbricus humanus. Polyporum ceteroquin more, praeciſo corpore vitam protrahunt, dummodo caput integrum ſuperſit.

Vermibus his obnoxii infantes maxime ſunt, adulti tamen quoque iis laborant, ſi cauſſae ſupra adlatae conveniunt.

Cognoſcuntur autem lumbrici ex appetitu ſueto plus intenſo, praecipue dum ſolidis, farinoſis, dulcibus paſtus fuerit aeger, quibus haud corporis volumen augetur: ex dolorum colicorum frequentia; ex feroſo adfluxu ad oris ambitum, dum ieiunus eſt aeger; ex recurrentibus ſaepe nauſeis, citra vomitum ipſum; ex alvo pituitoſa, parum compreſſa, ſeceſſione ciborum male digeſtorum; ex facie pallida, inflatione circa oculos livida, rubente autem facile poſt paſtum; ex inflatione alarum naſi, labii ſuperioris et genae partium vicinarum; ex male olente anima, citra ſordium ſigna; ex pruritu narium; ex oculis illacrymantibus, fixis et dilatata pupilla; ex ſomno inquieto et convulſis facile membris.

Tumet plerumque abdomen, ubi pituita abundat. Urina turbida eſt; pulſus intermittens, qui cum dilatata pupilla certum fere vermium ſignum praebet. Quum digeſtionem vermes laedant, ſanguis inde acrimoniam et nimis dilutam adipiſcitur

indolem, unde ſudores nocturni colliquativi; accedunt denique febres regulares remittentes, quae in putredinem vergunt. Vermes quoque nervos convellunt, curationeque neglecta febres hecticae et phthiſes facile conſequuntur. Alios etiam morbos, quos fortuito comitantur, exacerbant.

In curatione purgandae praeſertim et firmandae ſunt primae viae, cui fini apte autem non reſpondent vulgaria remedia. Diligenter laxanda eſt alvus ope mercurialium et radicis ialappae, roboranda deinde inteſtina adſtringentibus et amaris, regimen denique ita ordinandum, ut fini conveniat. Quae vulgo anthelminthica dicuntur, raro vermes per ſe fugant, ſed propellunt tamen roboratis inteſtinis.

Alternandi itaque pulveres anthelminthici cum pilulis purgantibus anthelminthicis, donec inteſtina rite purgata atque firmata fuerint.

Taenia.

Nomine vermis ſolitarii appellabatur, quod uno plures haudquaquam in corpore exiſtere perperam creditum eſt: experientia tamen conſtat, vel quinque vel ſex poſſe una exiſtere in corpore.

Plane ac lāta forma differt ab aliis, unde taeniae nomen. Longitudo varia eſt, octoginta cubitos ſaepenumero excedit: articulis componitur

unum aut duos pollices longis, quos ſingulos, ſalva vita, amittere poteſt, dummodo caput ſervet, quod filo longo tenuique conſtat, nodulo terminato, cui vel tubuli meri vel uncini adhaerent. An articuli ſinguli per ſe vivere poſſint et increſcere, ambigitur.

Discrimen poſuerunt auctores taeniarum vel iuxta tuberculorum varietatem, quae articulos obſident, quae pro tubulis olim perperam vendebantur, vel iuxta articulorum variam indolem. Is vero vermis, cuius articuli cucurbitae ſeminibus ſimiles ſunt, *cucurbitina* olim dicta, curatu difficillima habebatur.

Discrimen quoque verum adeſt inter vermes, qui facile purgantibus propelluntur, et eos, qui conatus omnes fere eludunt. Experientia tamen doctus ſum, hanc differentiam nequaquam verſari in articulorum varietate, ſed eos, quorum articuli cucurbitae ſeminibus ſimiles erant, ſine omni negotio, alios vero multo difficilius eliminari. Quin differentia ea articulorum fortuita magis quam conſtans eſſe videtur.

Curationis effectus maxime verſari videtur in uncinorum praeſentia ad tubulos aut defectu: qui ſi adſunt, difficillime profugantur vermes.

Taeniae ſigna fallacia ſunt. Sentiunt aegri, dum ſternutant, alvum deponunt aut vomunt, mo-

tum in abdomine undulatorium: borborygmi frequentes accedunt: ponderis cuiusdam gravitatem ſentiunt in abdomine, quod pondus ubi locum mutat, frigus in abdomine vel dorſo ſentitur. Facile tamen haec ſigna negliguntur, ac ſymptomata ex irritamento orta aliis tribuuntur cauſſis.

Acrium eſus taenias ſolet deorſum cogere, dulcium vero ſurſum. Nares non ſaepius prurire ſolent, alia autem adſunt lumbricorum ſymptomata. Raro exploratam habere taeniarum praeſentiam poſſumus, antequam fragmenta ſeceſſerint.

Specificis remediis quae contra vermes militare dicuntur, multum tribuere vetat experientia, quae me quidem docuit, ubi draſtica purgantia nihil efficiunt, ibi et alia omnia irrita eſſe.

Methodum purgans exhibendi eam ſequor, quam *Herrenſchwandtius* praecepit: quavis nempe veſpera cochlearia aliquot olei cuiusvis dulcis aut olei ricini exhibeo: matutino tempore autem gummis guttae grana decem, quibus ſi vermis non expellitur, iteranda eadem portio, et tertia vice exhibenda cum iusculo carnis, niſi irritamenti noxae extimeſcendae videantur: e lacte autem ſimul alvi lotio imperanda.

Quo facto dum cum capite vermis non expellitur, alia ratione haud facile aliquid perficiemus: tempori committenda eſt expulſio, quod ſponte

propulſionem ſaepius molitur. Putrida enim febris vermem enecare poteſt. Generatim vero ordinandum regimen ſimplex neque arte petitum, ut motus vermis, qui dolores excitant aliaeque moleſtiae mitigentur, cum non raro obſervati ſint vermes in animalibus bene ceteroquin valentibus.

ICTERUS.

Cognoſcitur ea valetudo flavido aut croceo cutis colore, quo et albuginea oculi ipſa adficitur: accedunt ſapor in ore amarus, digeſtio laeſa, flatus et colici dolores, alvus compreſſa, excrementa albida aut argillacea, urina praerubra, quae lintea flavido tingit colore ac ſedimentum recipit lateritium. Bilis in vaſa abiens pruritum in cute excitat. Non raro etiam motus excitantur febriles.

E colorum differentia icteri partitio oritur, vel enim *croceus* eſt vel *viridis* vel *ater*.

Cauſſa vero proxima complecti ubique videtur bilem veſicae felleae in ſyſtema lymphaticum repulſam.

Raro ſecretionis bilis impedimenta icterum efficere nequeunt, quum bilis ſecretione producatur. Quin ipſe venae portarum ſanguis nullum exhibet bilis veſtigium.

Raro quoque bilis hepatica morbi veri arcuati origines continere videtur:

1. quum ea neque colore neque amarore praedita ſit, doceatque experientia, digeſtionem laedi, obſtructo meatu cyſtico ac transeunte in inteſtinum ſola bile hepatica;

2. obſervati ſunt iecinoris infarctus ac calculi in meatibus biliferis, absque ictero;

3. expertum eſt, luridum et cachecticum ſequi colorem, ubi bilis hepatica in ſanguinem transiit, neque tamen perfectum oriri icterum.

Neque tamen eo minus ſtatui poteſt concentratio quaedam bilis hepaticae in meatibus biliferis ſtagnantis, ut ſpeciem quamdam huius morbi producere poſſit. Poſſe id fieri elucet ex concentrata bile animalium, quae veſiculis felleis carent, in amplioribus ductibus biliferis: quanquam ad rariores ſemper caſus id pertinere videatur. Plerumque bilis cyſtica verum idiopathicum icterum efficere ſolet.

Repulſa autem bilis cyſtica rariſſime per meatum hepaticum transit in venas hepaticas, quum id ſine obſtructo ductu communi bilifero fieri non poſſet, ea autem obſtructio ſaepius deſit, quum praeterea icteri nonnunquam adeo brevi tempore ſequantur cauſſam admiſſam, ut longam eam ac impeditam

viam ingredi haud videatur. Neque tamen profiteor, id nunquam fieri.

Per venam cyſticam via haec pari modo ducere non videtur, quippe quae in venam portae transeat, atque bilem ſecretioni novae iterum tradere debeat.

Poteſt tamen bilis interſtitia penetrare veſiculae felleae, recipique a vaſis abſorbentibus.

Ratio autem admodum vulgaris ea eſſe videtur, ut a vaſis veſiculae abſorbentibus recepta bilis in ſanguinem feratur.

Quaeritur tamen, quibus demum cauſſis ea reſorbtio efficiatur?

Repererunt nonnunquam, qui cadavera ſecuerunt, meatum cyſticum obſtructum, turgorem praeterea veſiculae, citra omnem icterum, verum quoque obſervaverunt arcuatum morbum ſine omni meatuum biliferorum obſtructione.

In ſpaſmo itaque ſumma rei verſari videtur, quod probabile ſit, ſi cauſſas icteri pleraſque irritamento agere obſervamus, licet obſtructio cauſſam ſtimuli remotam interdum praebeat.

Cauſſae autem ſunt:

1. calculi veſiculae felleae. Coniectare eas licet, ſi antea cardialgiae et anxietates poſt paſtum ſentiebantur, icterus vero ſine manifeſta cauſſa apparuit, recurrens certis quibusdam temporibus eo-

dem modo, ſi in morbo ipſo praecordia ſub cartilagine xiphoidea dolent ad coſtas usque ſpurias;

2. inflammatio iecinoris, cui morbus arcuatus vulgo adiungi ſolet;

3. obſtructio iecinoris et meatus biliferi communis ope concretionis, calculorum, vermium, bilisque pituitoſae ac tenacis. Quanquam protinus haec vitia excipere icterus non ſolet, facile tamen oritur, ſtimulo foris accedente, aut bile per ſtagnationem recipiente acrimoniam;

4. acres primarum viarum ſordes, quibus duodenum ac meatus communis bilifer contrahuntur, quod

5. vermibus quoque ſieri poteſt;

6. capitis laeſiones, quibus per conſenſum iecur adſicitur;

7. ſpaſmi hyſterici;

8. adfectus animi violenti, velut ira et excandeſcentia;

9. animalium quorumdam morſus, e. g. ſcorpionum, ſerpentum, imo ipſorum canum;

10. quandoque miaſma accuſandum eſt epidemicum, quod in vias biliferas praecipue agere videtur;

11. acrimonia ſcorbutica ac rheumatica;

12. putredo univerſalis humorum.

Prognoſis differt pro cauſſarum differentia. Ubicunque ad calculos proclivitas adeſt, facile ii recurrunt, licet per alvum ſeceſſerint. Quodſi a ſtimulis arte vincendis icterus oritur, ſatius id eſt quam dum cauſſa irritans vel latet vel ultra artis limites iacet. Ita icteri a capitis laeſionibus aut a morſu animalium venenatorum rabidorumque praecipitant aegrum.

Color quo dilutior eo melior. Qui ſi in nigrum aut viridem vergit, nervos convulſos ſignat et putredinem.

Communes medelae rationes complectuntur mollientia et antiſpaſtica. Opium exhibetur, unguenta mollientia et balnea tepida imperantur. Quodſi ſordes aut vermes in primis adſunt viis, egeruntur. Rheumaticae ſi ſaepe adſunt ſtaſes, ope balſam. ſulfur. terebinth. cum naphtha vitrioli reſolvantur, quod quoque remedium in calculis biliariis iuvat. Obſtructionibus opponenda reſolventia, maxime ſal ammoniacus, qui putredini etiam reſiſtit. Ubi calculos coniectaveris, a principio conferunt ſucci recentes herbarum amararum. Emeticis et pellentibus molimur concretionum egeſtionem. V. *pilulae balſamicae.* Poſt morſum animalium venenatorum ſive rabidorum vulnus, niſi excitetur ac uratur, molliri tamen ac exulcerari oportet, interne vero fortiora exhiberi diaphoretica et diuretica.

V. *potio antilyſſa.* Ubi reſolutio adeſt humorum, acida, antiſcorbutica et diaphoretica proſunt. Dum autem alia cauſſa materialis ſubeſſe non videtur, in opio ſubſiſtendum eſt, cuius portio gradatim augenda. Praeſidio interdum fuit electricitas. In hypochondriaco et hyſterico ſtatu inſerviunt aſa foetida, cortex peruvianus et opium. Priora et extrinſecus applicari utiliter poſſunt. Vid. *emplaſtrum reſolvens Schmuckeri* et *pilulae antihſtyericae.*

DE MORBIS VENEREIS.

Deſignantur ii morbi inflammationibus, ulceribus, maculis et tumoribus, qui peculiare aliquod venenum, contactu venereorum et applicatione ad vulnera et ea loca, quae excoriata aut praetenui epidermide tecta ſunt, propagatum ſupponunt.

Ortus huius veneni ſit in corpore quaerendus, velut veneris immediata ſequela, an foris accedat fortuna generatum, ambigitur etiamnum.

Poſt annum 1493, cum Columbus ex America rediiſſet, innotuerunt hi morbi, et primum quidem in Italia, exercitu gallico ibi degente, unde gallici morbi nomen derivatur. Quem quidem exercitum quum ſequerentur etiam Hiſpani, dilucido conſtare videbatur, hos morbos Columbum ex America in

Hiſpaniam apportaſſe, unde cum hiſpanicis cohortibus Italiam, indeque cum gallicis militibus Galliam aliasque adgreſſos eſſe regiones.

Mirum tamen eſt, neque Columbum, neque alios auctores, qui in America fuerunt, huius morbi, inſigni tunc ſaevitie graſſantis, meminiſſe. Quin exſtant auctores, qui biennio antequam gallicus exercitus Italiam invaſiſſet, populari modo ſaeviiſſe hunc morbum in Italia contendant. Populari autem modo graſſatum fuiſſe morbum patere videtur tum ex celerrima eius propagatione tum ex ſaevitie non vulgari.

Endemicae obſervantur puſtulae in America, ſporadice ibi obviae, eodemque, ac morbus venereus, contagio propagatae. Anglis nomine *Yaws*, Gallis nomine *Pians* veniunt, ab auctoribus, ob ſimilitudinem ruborum, *Framboeſia* appellatae.

Creditum fuit, hunc morbum venerei matrem eſſe, verum tamen, qui ſedulo eum obſervarunt, invenerunt, morbi acuti ſpeciem prae ſe ferre puſtulas Americanas, mercurium nequaquam ſpecificum praebere in eis auxilium, ſed ſponte nonnunquam aegros convaleſcere atque immunes a contagio eſſe, qui ſemel iis correpti fuerint.

Licet auctores nonnulli probare videantur, veteribus iam notum fuiſſe morbum venereum, nequaquam tamen antiquis temporibus vel tam vulga-

ris vel tam vehemens fuiſſe videtur, quam ſeculi decimi quinti fine et recentioribus temporibus, cuius quidem rei ratio nihil eſſe, niſi peregrinum quoddam ac externis cauſſis adductum virus videtur. Quod quidem virus duxerit originem ex aliis orbis terrarum regionibus, ſive pro inquilino habendum ſit, ob ſupra adlatas cauſſas eſt adhuc ambigendum.

Eius autem veneni indoles penitus nos adhuc latet. A veneno varioloſo et peſtilentiali ita differt, ut neque volatile ſit, neque per aëra propagetur.

Contagium autem adfertur:

1. dum partes vel vulneratae vel tenera cuticula tectae, e. g. labia, papillae mammarum, viro venereo tanguntur. Perſpiratione autem virus propagari haudquaquam credibile eſt, cum adeo volatile non ſit, ut per cutis ſpiracula poſſit diffundi. Sudoribus quidem, ſaliva ac lacte nutricum, maxime vero pure, tranſit: a veritate alienum praeterea eſſe haudquaquam videtur, ſuppuratione virus id magis ſubtile contagioque magis idoneum fieri, cum diutius in corpore latitare, absque ullis ſymptomatibus poſſit, ubi ſuppurationem non citat;

2. partu id virus communicatur;

3. maxime vero vulgaris contagii ſpecies coitu perficitur,

Discrimen ſtatuitur inter morbos venereos:

1. lues venerea, qua eae non ſolum partes laborant, quae immediato contagio adfectae ſunt, ſed ubi virus etiam per corpus divagans, vel latitat, vel aliena ciet ſymptomata;

2. ii adfectus, ubi partes contagio correptae protinus patiuntur;

3. ſymptomata ipſa ſingularia, quae vel ſubito poſt contagium, vel longo etiam interiecto tempore, ſive in ipſis locis contagio adfectis, ſive alibi etiam occurrunt;

4. ii praecipue morbi, qui vel e viro carolorum, vel e veneno blennorrhoeae oriuntur.

Sponte quidem et naturae ſolius auxilio ſanari hic morbus nequit: ſpecificorum remediorum uſum requirit, quorum primum quidem mercurius eſſe videtur. Eo autem omnes vere venerei morbi, niſi vel diutiſſime aegrum traxerint, vel vires penitus proſtraverint, curari poſſunt, praeſertim dum externa ſimul adſunt ulcera.

Agere autem mercurius ita videtur, ut contagioſam viri indolem non quidem mutet, ſed excretioni idoneam reddat. Haec quidem ſententia eo probatur, quod varios affectus venereos, ni apud nos, in calidis ſaltem regionibus, ſolis videamus fugari remediis, quae ſudorem movent. Accedit ſalivae in ptyaliſmo effluentis contagioſa indoles;

acce-

accedunt curationes adſectuum venereorum localium ſolo mercurii topico uſu, ubi vero virus, licet cum mercurio iunctum, haud tamen mutatum in corpus retropellitur, retropulſum breviori longiorive tempore deſtruentem ſuam exſerit facultatem.

Quod adſertum ſi cum veritate ipſa congrueret, quemadmodum rationes adductae id probare videntur, facile ſolvenda eſſet quaeſtio, quaenam potiſſimum methodus aliis praeſtet, ea, quae mercurii ope ſalivam provocat, an ea, quae, ſalivatione cautiſſime vitata, venenum extinguere ſtudet.

Equidem tum ob adlatas rationes theoreticas, tum maxime ob experientiam, exploratum habeo, tutiſſimam eſſe eam methodum, quae lente ſalivam leniterque movet, niſi aegri vires deficiant, niſi recens ſit morbus, niſi adfectus infans ſit, aut gravida eo laboret. Tunc enim multo certius et viri venerei et mercurii excretionem ſperare licet.

Quod ſi autem in carolis ſic dictis virus paratum non fuerit, quod ſi ptyaliſmo frequentiori praegreſſo, ſolidae partes fuerint iam debilitatae, quod ſi denique diuturna in corpore mora virus ex toto mutatum eſſe videatur, commodiora ſunt ea, quae et ſudorem et urinam provocant.

Mercurius vel in corpus ingeritur, vel externae partes eo fricantur. Utra autem ratio praeſtet du-

bii adhuc haeremus. Perinde ſaltem eſt, dummodo ſalivae ciendae ſtudemus. Ad internum uſum ſuadetur mercurius dulcis, cuius granum unicum quotidie initio exhibetur, aucta paullatim portione. Commoda etiam eſt Plenkii ſolutio, ubi mercurii dulcis acrimoniam noxas adlaturam eſſe timemus, ſive dum alvum nimis citam reddit. Exſtant tamen caſus mutati adeo viri, ut ſcrofuloſam adeptum ſit indolem, ubi expediunt aethiops antimonialis, mercurius ſublimatus et ruber praecipitatus, magis autem ſolutio mercurii in acido nitri. Generatim vero a veritate haudquaquam abeſſe videtur, mercurium non metallica quidem forma, ſed quatenus, acido vel foris admoto vel corpori familiari ſolutum, cauſticum redditur, in virus venereum agere poſſe. Idem ſaltem auxilium praeſtant mercurialia cauſtica in corpus ingeſta, ac frictiones hydrargyro inſtitutae.

Ad ſalivationem autem corpus praeparandum eſt. Regimen ante ſalutare imperandum: ſanguis abundans e vena mittendus: ſordes primarum viarum, ſi quae adſunt, eliminandae, calidumque maxime anni tempus ad curationem eligendum.

Initio quotidie drachma dimidia unguenti Neapolitani ad frictiones in pedibus inſtituendas adhibetur. Frictus aeger cubitum eat, aut calore ſaltem artus defrictos foveat.

Quam ubi rationem tertio iam die ſalivae curſus excipit, calida aqua pedes lavantur, abſtinetur autem frictionibus, quod praecox nimis ſalivae fluor hydrargyrum praepoſtere e corpore educit, antequam virus venereum poſſit ſecum efferre. Ubi autem ſalivae curſus ſeſe remiſit, frictionibus pergendum, ut ſalivae copia quotidie effluens libram aut duas aequet. Duo autem pondo ſine noxa egeri poſſunt, dumne vires, quarum ratio ſemper habenda, deficiant.

Quandoque ſaliva nequicquam fluens aliorſum provocari ſine noxa videtur, cui ſuccurrere omnino oportet.

Quodſi nimia ſalivae copia profunditur, tumentibus oris partibus, commodius fricare deſinimus, alvo mannae ope per aliquot dies ducta, pedibus aqua calida lotis, regimine imperato parumper frigidiuſculo, dumne refrigerium committatur.

Eodem plane modo agendum, ſimul ac motus acceſſerint febriles, fortuiti ii quidem, nec originem ex acrimonia venerea ducentes.

Generatim vero potus diluentes, mollientes, frequenter ordinandi eligendique iuxta aegri cupiditatem. Commodiſſime expedit ſarſaparila ob mitiorem ſaporem; cui, ſi cari nimis pretii videtur, graminis radix ſubſtituenda. Vegetabilibus paſca-

tur aeger, quae calorem non movent, regimen autem calidum potius ſit quam frigidum.

Tali itaque modo inſiſtendum, donec ſymptomata vel omnia ſublata fuerint, vel curatione viciſſitudines ulteriores non experiantur: quo facto, velut topici adfectus deinde tractati, proſperrimo plerumque ſucceſſu tolluntur. Ad eum finem attingendum ſeptem aut octo unciis unguenti opus eſt.

Viribus ad ſalivae profuſionem non valentibus, ſive aegro hanc rationem pertinaciter reiiciente, quotidie ante curationem balneum imperatur egelidum, quod repetitur etiam in ipſa curatione: potui vulgari inſervit ſarſaparilae ſive ligni ſancti decoctum: a mercurio abſtinetur, quoties gingivae leviſſimum tumorem pati incipiunt, alvo ſubinde ducta, aut, hydrargyro interne adhibito, iis remediis admixtis, quae leniter urinam cient, e. g. aſellis, vel exhibito protinus mercurio nitrôſo, qui urina maxime provocata, ſalivam movere non ſolet.

Quod ſi et hic internus mercurii uſus negotium faceſſere videtur, cauſtica remedia mercurialia plantis pedum cum adipe ſuperinungantur.

Saepius vero tanta mercurialium copia aegros iamiam exercuit, ut in valetudinem ipſam agere omnino non videantur, aut ut ſymptomata eorum

uſu utique peiora reddantur. Illic protinus humores aliis idoneis remediis purgandi, ſolidaeque partes firmandae, quo facto curatio ſaepius omnino expleta eſt, aut mercurii uſus poſtea ſaltem magis expedit.

Aggravatis vero affectibus, eo cautius abſtinendum a mercurialibus, quo peiora evadunt, ob humorum corruptionem, ulcera, quae vel gangraenam adigere poſſunt. Utrobique autem commodiſſime agunt et aquae minerales, et cortex peruvianus. Simile quoque veri videtur, hos potiſſimum eſſe adfectus, quibus opium, noſtris temporibus tantopere celebratum, maxime conveniat.

Lues venerea.

Plura is morbus complectitur ſymptomata venerea, quae viri venerei reſorptionem ilico ſequuntur.

Tumorem veli palatini protinus inferre ſolet, mox in ulcera abeuntem. Ad haec accedunt maculae faciei, pallidae primum, paullatim vero magis rubentes, flavida demum cruſta obductae. Eiusmodi ulcera in alias etiam partes deinde proferpunt, maxime vero in genitales. Ubi nulla ſiunt ulcera, dolores oſſium, noctu imprimis ſaevientes, excruciare ſolent. Accedunt oſſium tumores, qui, quamdiu molliores ſunt, *tophorum*, dum vero ob-

dureſcunt, *exoſtoſium* nomine veniunt, in cariem facile abituri.

Contagium ſemper ſequitur lues venerea, niſi virus e parte primitus affecta eluatur, priusquam in ſanguinem transire poſſit, praeſertim cum regimine calido aeger peccat.

Acrimonia denique adeo corroſivam adipiſcitur indolem, ut vel oſſium compagem vel viſcera exedat, hecticasque febres gignat, niſi egeratur.

Curationis ratio generalis ea eſt, quam ante imperavimus. Ut viribus parcatur, tanta protinus hydrargyri copia adhibenda eſt, quanta ſufficere videtur.

Aliorum praeterea morborum catervam lues venerea generare valet, qui vulgo ex aliis longeque differentibus cauſſis derivantur. Quod ut experiamur, inquirendum eſt ſedulo, fueritne aeger contagio unquam obnoxius, remediisque huic caſui idoneis uſus fuerit. Ubi id ambigitur, neque fortiſſima adſunt argumenta contraria, e. g. ſcorbutus, tentanda ſunt mercurialia, quorum deinde effectus indolem morbi in aprico ponere ſolent. Neque tamen inficias ibo, ab acrimonia blennorrhoica varias ortum ducere paſſiones, quae mercurialia quaevis eludunt, atque ſicut cognitu, ita et curatu difficillimae ſunt.

Paſſionum ſingularum eas duntaxat hic recenſendas eſſe arbitror, quae plerumque virus venereum, rariſſime vero alias ſupponunt cauſſas.

Carolus.

Caroli ſunt ulcuscula venerea, ea maxime, quae ad genitales partes, ad mammas ac in collo proveniunt. In utroque priori loco contagio admiſſo protinus ſupernaſcuntur: in faucibus vero luis venereae princeps conſtituunt ſymptoma. Pallide rubent, marginibus calloſis cincta, citiſſime proſerpunt, niſi ſpecifica opponantur remedia.

Virus carolorum primarium videtur ac peculiare eſſe venenum luis venereae, ſiquidem facillime reſorbtum celerrime univerſales generat affectus, mercurialibusque ſine ullo cedit negotio.

Circumſpiciendum itaque in externo mercurialium uſu diligentiſſime, ut ſufficiens eorum copia ingeratur, cum alioquin, affectu externo ſublato, venenum nihilominus ſuperſit. Praeter mercurialium internum uſum ulcuscula quoque per alioquod tempus cauſticis mercurialibus, i. e. hydrargyro ſublimato aut rubro praecipitato, conſpergantur, ut aperta ſerventur. Quod ſi, venenum eſſe excretum, exploratum habemus, neque tamen ulcera ſaneſcunt, ſaturninis eſt ſuccurrendum.

Dum maligna ſuper mercurii uſum ulcera fiunt, eo abſtinendum cortexque potius peruvianus exhibendus, locisque affectis antiſeptica et antiſpaſtica admovenda. Quotidie idcirco vulnus THEDENII aqua lavandum, unguentumque, quod opium excipit, iniiciendum.

Blennorrhoea venerea.

Ea intelligitur humoris pituitoſi, purulenti, contagioque venereo generati curſus ex urethra. Perperam dicitur *gonorrhoea*, cum ſeminis nihil effluere ſoleat.

Sequentium ſpecierum blennorrhoeae ex coitu impuro ortae diſcrimen notandum:

1. ſubinde, licet raro, ſymptoma eſt luis venereae. Id inde cognoſcitur, cum citra coitum praegreſſum eo afficitur aeger, cuius corpori virus quidem venereum inhaeret, neque tamen unquam blennorrhoeam ante paſſus fuit, quae ilico ſuper contagium naſceretur. *Symptomatica* dici poteſt *blennorrhoea*;

2. aliae extant, quae, absque praegreſſo coitu, homines corripiunt incaleſcentes, ſive blennorrhoea olim affectos, *diuturnae* vocandae.

Quarum quidem blennorrhoearum genus eo differt a venereis, quod mercurius in eas agere nullo modo poſſit. Exiſtunt caſus, ubi cum his fluoribus

alia ſimul adſunt ſymptomata venerea, hydrargyri uſu omnino debellanda, cui tamen hic curſus pertinaciter reſiſtit.

Videntur autem ibi ſupereſſe glandulae vel relaxatae vel obrigeſcentes, quae, incaleſcente corpore, phlegmonen concipiunt, ac corruptum eum ichorem profundunt. Non raro etiam dura invenitur proſtata in his caſibus.

Humor eo curſu effluens purulentus ſequaturne veram exulcerationem, magna diſputatum eſt contentione. Quamvis absque vero ulcere profuſa materies admodum livida eſſe poteſt, exulceratio tamen peculiaris ſaepenumero adeſt, quae, cuticula tantummodo affecta, eryſipelatis ſpeciem prae ſe fert: notandum inſuper, partes affectas glandulas eſſe, quae raro, hic autem fere nunquam, exulcerantur. Proſtatae tumor admodum dolens ſuper hanc blennorrhoeam, deinde vero ſedens, curſum humoris haudquaquam mutare conſueſcit. Quod ſupereſt, tota illa contentio, verba vel maxime complectens, minoris momenti inſtar habere videtur.

An mucus in hoc morbo profuſus ſubinde contagioſa expers ſit facultate, ambigendum eſſe arbitror.

3. Profluit interdum blandus quidam ac glutinoſus latex, qui praegreſſis blennorhoeis ſupereſt, e

laxatis vere partibus ortum ducens. *Blennorrhoea* vocatur *ſecundaria.*

Ea haud amplius contagium propagat, alias praeterea nonnunquam cauſſas ſupponens, ubi *blennorrhoeae benignae* nomine venit.

4. Maxime vulgaris fluoris huius ſpecies ea eſt, quae ilico excipit coitum impurum, *idiopathicae blennorrhoeae* appellatione digna.

Temporis ſpatium, quod poſt contagium praeterlabitur, aegre finitur, in octo usque dies protrahi poteſt. Incipit autem morbus titillatione ac tenſionis ſenſu in urethra, quem ardor violentus inter mingendum ſequitur. Eae moleſtiae nonnullos dies pergunt, effluit deinde ichor tenuis, acerrimus, ardorisque ſenſum augens: ſpiſſeſcit autem poſtea, ac puris ſimilitudinem adipiſcitur: ſuper haec tenſiones quidem minuuntur, neque tamen ex toto ſeſe remittunt, donec, eliminata quavis acrimonia, glutinoſam recuperet indolem, quo facto deſinunt omnes plerumque moleſtiae.

Quamdiu adſunt distentiones ac ardor inter mingendum, tamdiu etiam inflammatio quaedam ſubeſſe videtur, quae vel octo aut quatuordecim diebus tollitur, vel in plures etiam menſes porrigitur.

Effluente iam limpido illo ac glutinoſo latice, omnem eſſe excretam acrimoniam coniectandum eſt. Ex adverſa autem parte dubii etiamnum hae-

remus, poſſitne perſeverare doloribus iunctus fluor purulentus, licet quodvis venenum iamiam eiectum fuerit.

Germanitas ceteroquin huius morbi et catarrhi inde praeſertim probari poſſe videtur, quod eadem omnino acrimonia in tunica narium pituitaria coryzam gignere videtur.

Fit ſubinde, ut tractionis ſenſus ſponte ſua protinus iterum transeat, neque purulenti humoris curſus ſequatur. Quod quidem exponitur ita, ut acrimoniam ſtatuamus vel naturae auxilio egeſtam, vel vero reſorbtam eſſe.

Ubicunque ſtimulus adeſt atrox, doloribus vehementibus erigitur et curvatur penis, qui quidem affectus *chorda veneris* appellatur.

Oritur quandoque mero conſenſu teſticulorum glandularumque inguinalium tumor inflammatus, reſorbtionis etiam ope explicandus.

Qui profunditur humor purulentus, a veris quidem ulceribus promanare non videtur: pro muco urethrae potius corrupto habendus in iis ſaltem blennorrhoeis, quae contagium ſubito ſequuntur.

In glandulis potiſſimum Morgagnianis is humor parari, neque frequenter in initio a proſtata inde derivandus eſſe videtur.

Cum vero acrimonia tempeſtive non egeritur, exulcerantur omnino partes affectae ac indu-

reſcunt. Facile quoque virus reſorbtum ſanguini admiſcetur.

Materies blennorrhoeae eadem ſit ac virus venereum, ſive ab eodem omnino differat, ambigitur.

Perſuaſum tamen habemus, neglectas blennorrhoeas non facile excipi a lue venerea, aliosque venereos affectus multo citius cedere mercurialibus, quam blennorrhocam idiopathicam. Neque minus certum eſt, ſolis diluentibus et mollientibus remediis blennorrhoeam poſſe penitus ſanari. Conſtat denique, quas diuturnas ſupra dixi, hydrargyro haudquaquam levari.

Ea quidem argumenta, utique ſpecioſa, ſequentibus aſſertis infirmari videntur:

1. mercurialia tantum abeſſe ut blennorrhoeam vincant ubique, ut diluentia potius et mollientia ſufficiant, inde explicari poſſe videtur, quod mercurius per ſe urinam non facile citet, natura autem viam nobis eo parare ſoleat. Quemadmodum guaiaci uſus adverſus luem veneream in calidis climatibus, ita et diureticorum mollientiumque auxilia in blennorrhoea, veneream utriusque affectus indolem dubiam reddere nequeunt;

2. quod chronicae blennorrhoeae mercurialibus reſiſtant, inde exponi poteſt, quod hoc quidem non viro ſuſtineantur, ſed alienis plane cauſſis, ac cor-

ruptione topica, in quas mercurius nequit effectus ſuos exſerere. Conſtare ſaltem non videtur, humorem purulentum, qui in diuturnis profunditur blennorrhoeis, virus adhuc venereum ſecum ferre;

3. virus blennorrhoeae a venereo licet ſpecie differat, genere tamen differre neutiquam oportet. Coniectura ex hiſtoria petita conſequi poſſumus, illud ab hoc procreatum fuiſſe. Subtilitate ac penetrante ſua forſan vi privatum, reliquis haud adeo facile glandulis ſeſe inſinuat, ex utraque autem ratione hydrargyro magis reſiſtit. Admodum affine ſaltem utrumque ſibi venenum, dum inveteravit, mercurii vim omnino eludere, exploratum eſt;

4. quodſi denique experientia rite inſtituta fuerit, materies blennorrhoeae veros generat carolos, unde nullo modo dubium habere poſſumus, virus blennorrhoeae idem eſſe ac venereum.

Nihilominus variae rationes me adducunt, ut, exiſtere materiem blennorrhoeae, a veneno venereo omnino diverſam, arbitrer. Eae autem ſunt:

1. veteres cognoviſſe probabiliter blennorrhoeam e coitu impuro orientem;

2. medicos ſeculi decimi ſexti tacuiſſe blennorrhoeam, quia affinitatem eius ad veneream luem non agnoverint;

3. nullum virus carolorum univerſalibus cedere remediis, cedere autem acrimoniam blennorrhoeam;

4. id ſaepius virus ab herpetico partium genitalium exanthemate derivari;

5. quantamcunque excitet deſtructionem partium ſolidarum virus carolorum, ſanatio tamen curatione idonea perfici poteſt. Nunquam id vero contingit in morbis genitalium et viarum uriniferarum, quae ab acrimonia blennorrhoica oriuntur.

Cum itaque, blennorrhoeas exiſtere absque ullo venereo viro, negari non poſſit, differentes eae ſententiae omnes ſingulaeque probabiles videntur, dummodo idiopathicae blennorrhoeae duplex ſtatuatur ſpecies, quarum altera frequentior ſcrofuloſam quamdam acrimoniam, altera vero rarior verum ſupponit virus venereum.

In curatione blennorrhoeae idiopathicae habenda eſt ratio inflammatae urethrae, excernendaeque acrimoniae per urethram.

Dum inflammatoria perſeverat tenſio, antiphlogiſtica ex toto methodus eſt commendanda. Generalis diſpoſitio inflammatoria ſanguine e vena miſſo minuenda: ſuper haec addendi potus mollientes et ſolventes: commodiſſime autem conferunt avena excorticata, ſemina papaveris, cannabis et petroſelini cum nitro emulſa. Membrum autem mollientibus cataplaſmatibus fovendum.

Ea ſubinde ratione excernitur virus ac inflammatio discutitur, citra curſus purulenti metum.

Plerumque tamen is contingit, ſive potius medicus raro prius vocatur. Continuanda vero ratio ante praecepta, cum tenſio doloresque aegrum exercent.

Protinus ut deſiit maximam ſaltem partem inflammatio, purulento humore continuo fluente, diureticis ſubveniendum. Egregie autem expediunt balſamica, maxime terebinthina, caute tamen exhibenda, cum inflammationem vel augere, vel novum teſticulorum tumorem provocare, vel ſtimulo ſuo peculiari blennorrhoeas gignere poſſint ſecundarias. Initio igitur terebinthinae coctae, cum nitro et gummi arabica miſtae exiguae portiunculae devorandae, quae progreſſu temporis ſenſim augentur.

Iniectionibus varii medici utuntur, quae vero ſi irritant, inflammationem aggravare, ſi adſtringunt, urinae difficultates efficere diuturnas pòſſunt. Commodiſſima ſane Plenkii ſolutio eſſet, dummodo mercurii efficaciam in virus exploratam haberemus, dumne praeterea mera iniectio viri reſorbtionem promoveret.

Purgantia, quae medicorum vulgus in blennorrhoeis amat, neque uſui ſunt ulli, neque innocentia, cum ſtimulo et inflammare teſticulos, glandulasque inguinales et acrimoniae reſorbendae occaſionem poſſint praebere. Expediunt ſolummodo, ubi primarum viarum ſordes urinam reddunt acrem,

ſive inflammationem augent. Ibi vero conveniunt manna, tamarindi et cremor tartari.

Pervicaciam blennorrhoearum, quae indicata remedia eludunt, calor nimius et mala potiſſimum methodus producunt.

Ibine mercurialia utiliter conferrent? — Equidem nihil certi circa eorum in his caſibus uſum expertus ſum, neque ea aliquid per ſe efficere adverſus eos affectus poſſe perſuaſum habeo. Cautelae, quas aeger plerumque adhibet, dum mercurialia ſibi exhiberi ſcit, potiſſimam complectuntur rationem, praecipue cum guaiacum decoctum ſimul ingeſtum fuerit. Nocere autem poſſe mercurium hic imperatum, haudquaquam credibile eſt.

Certiſſime praeterea vel mea conſtat experientia, acrimoniam blennorrhoicam reſorberi poſſe, atque tum artuum dolores, tum cutis vitia generare, ubi mitiora quidem mercurialia nihil, cauſtica vero praeparata commodiſſime et optime conferunt.

In diuturnas nullam mercurio eſſe efficaciam, experientia me, quod doleo, docuit, ingenueque fateor me nullum fere peculiare remedium taedioſi eius affectus cognoſcere, licet tinctura antimonii Iacobi quandoque opitulari viſa ſit.

Veritati tamen haudquaquam contrarium videtur, omnes eos affectus, vere venereos, neque mercurio vincendos, oriri acrimonia blennorrhoica,

quae

quae a viro carolorum differt tum mobilitate minore, tum adſtringente magis facultate. Ibi omnino opium expedire poteſt, mollitis partibus, quae acrimonia irritatae contrahuntur, promotaque acrimoniae ſolutione ac excretione.

Blennorrhoeae praeterea ſecundariae omnibus ſaepius adſtringentibus reſiſtunt remediis, tempore duntaxat interdum curatae. Exſpectandum nonnunquam auxilium ab uſu diureticorum, e. g. tincturae cantharidum.

Symptomatica blennorrhoea, quae carolorum virus ſupponit, mercurio indiget.

Fluor albus venereus.

Inter eum et benignum discrimen intereſt, quod contagium ſolum excipiat, ardoreque in initio partium affectarum iunctus ſit. A blennorrhoea differt, quod feminas tantum exerceat.

Vaginam ſolam haec corripit inflammatio, raro ad urethram usque progrediens: ob laxiorem vaginae compagem dolores itaque haud adeo atroces initio infert, atque propter eandem rationem primum ſaepe ſtadium non percipitur.

Curatio quoque eius fluoris multo plura faceſſit negotia, quam blennorrhoeae medela.

Sola diuretica nihil iuvant: mercurialia et interne et externe adhibita, inveterato hoc plerum-

que affectu, qui vel disſimulatur, vel plane non agnoſcitur, irrita ſaepius fuerunt.

Fluoris albi indoles ex toto nos perinde latet ac blennorrhoeae natura.

Forte herpetum ſpecies vaginam afficientes muci congeſtionem eo nimiam provocant?

Exploratum ſaltem eſt, meaque experientia liquet, blennorrhoeas neglectas facile excipi herpeticis exanthematibus.

Quod ſi praeterea herpetes plerumque ſignent ſcrofuloſam acrimoniam, pertinentne ideo et fluor albus et blennorrhoea ad ſcrofuloſos affectus?

Cumque iis ſaepius egregie conferant mercurialia, nonne etiam in fluore albo et blennorrhoea utilia eſſe poſſunt?

Quod ſi denique ſolo regimine ſcrofuloſo ſaepius minuatur acrimonia, inde forte elucet, cur adverſus blennorrhoeas regimen nonnunquam ſolum expediat?

Ubi contigit nobis, fluorem album protinus ortum curare, commodiſſima eſt ratio iniicere mollientia: interna nihilominus remedia negligenda non ſunt, ſed, quem ſupra praecepimus, eo modo adhibenda.

Ubi autem iam inveteraverunt, cauſticis ſuccurratur mercurialibus, quae forma admodum diluta iniici poſſunt.

Bubo.

Eo nomine appellatur glandularum inguinalium tumor venereus, inflammationem facile concipiens, favensque exulcerationi, niſi arte ſtatim tollatur.

Bubones contagium vel ilico ſequuntur, vel blennorrhoeam, cum intenſa inflammatione, aut dum valide alvus purgata eſt aegerque nimis incaluit, vel vero carolos intempeſtive ſiccatos. Utroque priori caſu inflammatio per conſenſum oritur, tertio autem abſorbta plerumque eſt materies blennorrhoeae, unde curſus deſinit etiam ex urethra. Ultimo denique caſu ſymptoma eſt luis venereae.

Conſenſualis inflammatio e congeſtione lymphatica irritamento verſus glandulas pulſa, interdum oriri videtur. Eadem nonnunquam huius affectus ratio eſſe videtur, ac pleuritidum locum non raro mutantium.

Poſtremus quidem caſus reſorptionem omnino complecti videtur, neque tamen materiei purulentae iam ſuppreſſae, ſed acrimoniae potius ipſius, quae fluorem citaverat.

Quae quomodocunque ſe habeant, diſcutientia primum ſuperimponenda, donec fluor iterum manare coeperit. Calida fomenta tumorem nonnunquam augent, commodiora ſaltem frigida eſſe conſueſcunt.

Sublata inflammatione, vel tumor, vel, quod expeditius conferet, interna femoris facies qua reſorbentia vaſa glandulas tendunt inguinales, unguento Neapolitano fricanda, reliquumque tempus emplaſtro mercuriali Edinburgenſi obtegenda.

Tumor, qui facile non ſedet, mollis tamen hâc illâcve ad ſuppurationem adigendus eſt, neque tamen altius incidendus, quam qua non dureſcit. Quo facto tanquam ulcus venereum curatur.

Tumor, ex conſenſu ortus, dum diſcutitur, blennorrhoeae curſum iterum revocare ſolet.

Ubi vero veneni humoribus admiſti ſequela tumor eſſe videtur, ubi blennorrhoeam non excepit, ſed carolos potius ſive neglectos, ſive diuturnos, ſive praepoſtere ſanatos, ſuper externa remedia omnino interna etiam adhibeatur medela.

Teſticulus venereus.

Eaedem fere cauſſae, quae glandulas afficiunt inguinales, teſtium etiam tumores efficere poſſunt, qui vero obrigeſcunt potius quam exulcerantur.

Inciſio itaque haud facile ſuadenda eſt. Eodem autem modo, quem in bubonibus praecepimus, et hic agendum, maxime vero blennorrhoea reſtituenda. Ambulatio prohibeatur, burſaque teſticuli ſuſpendendi.

Inflammatio ubi e conſenſu orta eſt, ſemenque erecto frequenter pene in teſticulis congeſtum, frigida fomenta praeſentiſſima exhibent emolumenta.

Dum induruerunt teſticuli, mercurialibus fricentur, ne morbus inveteraſcat.

Phimoſis et paraphimoſis.

Phimoſis appellatur praeputii tumor non retrahendi. Paraphimoſis vero dicitur, cum id attrahi verſus urethrae orificium nequit.

Inflammationem plerumque complectitur, blennorrhoearum comes, propter easdem rationes, quibus teſticulorum, glandularum inguinalium tumores provocantur.

Eodem etiam modo huic affectui medemur. Tumor praegrandis, ut nulla profluere poſſit urina, lividus etiam, incidendus eſt, curandus autem aliorum ſymptomatum venereorum more.

Proſtata venerea.

Blennorrhoeam ſubinde proſtatae inflammatio comitatur, facile exulcerata, indureſcens, urinaeque difficultatem diuturnam et interceptum plane curſum producens.

Inflammatione praevalente contra eam agendum. Diligenter autem circumſpiciendum, ne dura ſuperſit pars, quae ut molliatur, externis reme-

diis effici poſſe deſpero. Commendanda forſan incisio, licet tempus regimenque ſalubre potiſſimum conferant.

Pertinent etiam hûc carunculae, quae in urethra obviae, mechanicum plerumque exſpectant auxilium.

Condylomata.

Ita cryſtallinae vocantur veſiculae ad glandem penis, labiaque vulvae provenientes, uvarum forma, intenſamque in molem nonnunquam auctae.

Praeter internam medelam opus eſt vel cauſticis, vel vinctura vel ferri acie. Optime etiam expediunt mercurius ruber praecipitatus, ſive ſolutio mercurii in aqua forti.

Ad veritatem proxime accedere videtur ea ſententia, quae cauſſam quaerit in acrimonia blennorrhoeae inveterata, cum facillime recrudeſcant, optimis licet exhibitis remediis.

Maculae et verrucae venereae.

Illae faciem praeprimis occupant, hae vero anum, *mariſcae* appellatae.

Praeter curationem internam inungendus iis eſt mercurius ruber praecipitatus, aut ſolutus acido nitri dilutusque.

Ii quoque affectus tantum abeſt, ut a carolorum viro ſaepius oriantur, ut acrimoniam plerumque blennorrhoicam potius ſupponere videantur.

Morbi oſſium venerei.

Virus venereum in oſſa delatum dolores excitat, noctu maxime excruciantes, contrectatione tamen non auctos. Senſim tumor oſſium ſimul oritur, qui, ubi mollior eſt, *tophi* ſeu *gummis*, ut vero induruit, *exoſtoſis* nomine venit. Carie denique oſſa, praecipue cranii tibiarumque, penitus devaſtantur.

Efficaciſſima ſunt mercurialia cauſtica et acria vegetabilia, e. g. mercurius nitroſus, daphne mezereum, euphorbium etc. Praeter internam medelam, ſi quid emortuum eſt, vel ferro, vel cauſticis mercurialibus praecidendum.

Eludunt tamen ſaepius ii affectus quaevis remedia vulgaria. Temporis autem mora, uſusque roborantium id ſaepe praeſtant, quod a nullo alio remedio exſpectari poterat.

Exoſtoſis ſequitur non raro tumorem, ubi oſſa admodum fragilia plerumque fiunt. Rarius vero oſſa penitus molleſcunt, adiudicanda forſan ea mutatio intempeſtivo mercurialium uſui. Equidem vidi oſſa adeo mollita, ut muſculorum vi cederent variisque modis flecterentur. Pars oſſium glutinoſa

penitus ſoluta, terreae vero partes admodum fragiles erant.

Scorbutus.

Diuturnam hic morbus complectitur putredinem humorum.

Primordium eius notatur ſingulari quadam laſſitudine corporis ac animi deſponſione, cute arida, prurituque gingivarum. Progreſſu gingivae intumeſcunt, ſanguinem facile profundunt atque a dentibus ſecedunt: dentes vacillant carieque devaſtantur, anima foetet, vires magis languent, ſpiritus opprimuntur, tibiae inflantur, maculisque lividis et ulceribus afficiuntur, artus doloribus exercentur, qui quidem alias cauſſas haud agnoſcunt.

Sanguis initio quidem non ſemper putridus, longiore valetudinis mora ita disſolvitur, ut nimias excitet profuſiones: vires quoque ita franguntur, ut quovis vel leviſſimo motu anima deficiat; oſſa denique adeo mollia fiunt et fragilia, ut cuivis cedant preſſioni.

Cauſſa vero ſcorbuti admodum differt ab ea, quae putridas febres excitat, quod tum ex differentia decurſus, dum ex diverſitate curationis patere videtur.

Quod ſupereſt, morbus neque contagioſus eſt neque hereditarius.

Alienum quoque diſcrimen id a ratione videtur, quod, pro remediorum differentia, inter calidum et frigidum ſcorbutum ſtatuitur. Perinde enim acidi fructus ac calida vegetabilia antiſcorbutica in quibusvis ſcorbuti ſpeciebus auxilium ferunt. Dandum tamen diſcrimen ſcorbuti conſtans, de quo infra praecipiam.

Magis adhuc recedit a veritate ſcorbuti diviſio in acidum, alcalinum, muriaticum et rancidum; cum acrimoniae indoles nos penitus lateat.

Quamquam ſcorbutum ex peculiari ſemper acrimonia derivare quidem non poſſimus, mirum tamen videtur, gregatim ſenſos fuiſſe ſcorbutos ſeculo demum decimo ſexto. Cuius vero rei ratio eſſe videtur, quod ſcorbutus mari tantum infeſtus ſit ac ſeptentrionalibus terris, veteres vero neque illud neque has rite cognoverint.

Cauſſae huius morbi remotae ſunt pluvioſa tempeſtas et frigida, victus praeterea pravus, quibus et perſpiratio opprimitur et digeſtio labefactatur.

Verum ſcorbuti diſcrimen ſtatuendum eſt tum ſporadici tum epidemici. Quamvis is morbus in longis navigationibus, ubi nautae veſcuntur carnibus inveteratis ſaleque conditis atque corrupta utuntur aqua, omne hominum genus corripiat, facile etiam aliquis ſibi perſuaderet, iisdem cauſſis adlatis, quae corpus infirmant, humores red-

dunt acres perſpirationemque impediunt, ſcorbutum poſſe in mediterraneis graſſari regionibus. Facile quoque eum ſub his conditionibus oriri liquet. Multum nihilominus intereſt inter ſcorbutum popularem et maritimum et terreſtrem, ac inter ſporadicum, qui in regionibus occurrit mediterraneis. Medela id maxime discrimen manifeſtat, ſiquidem ſaepius plethora abdominalis princeps videtur ſcorbuticae acrimoniae cauſſa. Hinc etiam ſaepenumero ea requiruntur remedia, quibus viſcera abdominis obſtructa reſerantur.

Excipit praeterea icterum ſaepius ſcorbutica humorum ſolutio. Inde humores non ſolum corrigendi, ſed obſtructiones maxime reſolvendae ſunt. Quae ab hac poſteriore cauſſa oritur ſcorbuti ſpecies, maiorem quoque habere ſolet diuturnitatem, unde frigidi potius nomine dignus videtur, ſicut maritimus calidi nomen meretur.

Oſſa ubique praeprimis pati, haudquaquam ambigi poteſt, unde nonnulli effecerunt, ſcorbuticam acrimoniam nihil eſſe, niſi corruptum oſſium ſuccum.

In curatione circumſpiciendum eſt, quatenus in cauſſas agere poſſimus, ſive ſecus. Sufficit ſaepius habitationis mutatio, ut laborantes ex udis frigidisque regionibus migrent in calidiores, ut recentes

comedant herbas fructusque, ut animi hilaritas reſtituatur, ut denique corpus motibus exerceatur.

Ratio ex toto habenda tum victus tum climatis, tum corporis motuum, animique temperiei, quibus rite adhibitis rebus brevi ſaepe tempore tollitur morbus.

Adverſus ſporadicum vero et mediterraneum ſcorbutum ſimul egregie valet optimorum reſolventium uſus. V. *elixirium antiſcorbuticum*. Ubi icteri comes eſt ſcorbutus, illius maxime ratio habeatur.

Commodiſſimus ad hunc morbum eſt aër fixus. Potibus inſervit aqua Selterana cum vino e Campania Francica, aut dum haec adhiberi nequeunt, maltum coctum. Quotidie inſuper fructus comedendi acidi et vegetabilia ſic dicta antiſcorbutica.

Humores vero generatim corrigantur atque verſus cutem trahantur, vitandae ſimul excretiones nimiae cuiusvis generis. Dum mera adeſt laxitas, conferunt acida mineralia vino nupta ac alexipharmaca. Gingivae devaſtatae alumine ſoluto et melle roſarum illinantur, ulcera utiliter laventur aqua Thedenii. Fixo quoque aëre tentanda eſt curatio, quod ita commode fit, ut eo lagenae vacuae in cella quadam, ubi cereviſia ſervatur, impletae ſuper ulcera effundantur. Dauci quoque radicum puls eo potiſſimum nomine utilis eſſe videtur, quod aër fixus inde eliſus ulcera corrigat.

Gingivae etiam ſaneſcunt, dum os colluitur acido tartari eſſentiali, terra alcalina mixto et aqua diluto. Mercurialium diuturnum uſum plerumque ſtomacace ſequitur, ſolis diluentibus et laxantibus remediis vincenda.

Sanguinis profuſiones tolluntur alumine, vino et theriaca mixto.

Ubi morbus ad ultimum iam proceſſit ſtadium, motus aegri et aëris viciſſitudines cautiſſime ordinandae ut animae defectiones et oſſium fracturae, quae facile alioquin ſequuntur, vitari poſſint.

Scrofulae.

Tumores eae ſiſtunt glandularum, acrimoniam peculiarem ſupponentes, cuius indoles nos etiamnum latens, arthriticae tamen et venereae progenies eſſe videtur. A vulgaribus glandularum duris tumoribus et ſcirrhis differunt mobilitate maiore, minoreque rigiditate.

Obnoxiae potiſſimum huic viro ſunt glandulae colli; axillarum et meſenterii, corripit tamen etiam feminarum mammas. Ubi glandula ſola thyreoidea afficitur, *ſtruma* appellatur. Intereſt tamen inter eam aliamque ſtrumam, quae certis quibus regionibus familiaris eſt.

Quandoque nullae videntur glandulae obduruiſſe, praeſente nihilo minus acrimonia ſcrofuloſa.

Cognoſcitur ea, praeſertim in puerulis, frequentibus oculorum inflammationibus, labii ſuperioris tumore, herpeticis exanthematibus, coctioneque ventriculi bene valentis debilitata.

Indoles eius viri haud liquet. Conſtat tamen, exanthemata quaevis ſcabioſa ſignis eius adiuncta frequenter eſſe. Equidem non raro expertus ſum, herpetes ſignis eius adnumerandos eſſe, eosque excipere blennorrhoeas neglectas aut interceptas. Quaenam vero ſit omnium eorum morborum germanitas, ex quonam reliqui originem duxerint, finiri etiamnum nequit.

Cum vero hoc potiſſimum reſpectu blennorrhoea albusque fluor parum ſint hucusque obſervata, quaerendum eſt, annon ſpes affulgeat, fore, ut hac potius ratione poſſimus earum valetudinum indolem extricare. A vero alienum eſſe mihi quidem non videtur, ſcrofuloſum virus e venereo degeneratum, herpetum ſimul, blennorrhoeae et fluoris albi cauſſam eſſe. Illa ſaltem acrimonia perinde contagioſa ſaepius eſt.

Neque abſonum plane videtur, reſorbentium vaſorum debilitatem cauſſae ſcrofularum partem complecti, cum roborantia nonnunquam ſola ad curationem ſufficiant.

Glandulae ſaepius lentiſſime exulcerantur, ut fungoſa aut carcinomatoſa ſiſtant ulcera. Glandu-

larum abdominalium obſtructionem macies facile excipit. Fertur nonnunquam acrimonia in pulmones, qui inde exulcerantur.

In puellis ſcrofuloſa ſymptomata deſinunt interdum aut minuuntur, dum menſtrua fluere incipiunt, ubi vero ab hoc curſu mulier defecta eſt, vel mammae, vel uterus denuo indureſcunt.

Tutiſſimum etiamnum remedium adverſus eam acrimoniam non cognoſcimus. Quamquam enim mercurialia et cicuta ſubinde auxilium ferant, virus tamen nunquam penitus exterminare poſſunt. Vid. *aethiops antimonialis*.

Expediunt praeterea fomenta cicutae cum ſpongia marina, ſive emplaſtrum, quod gummin ammoniacam cum mercurio excipit, ſive emplaſtrum Schmuckeri reſolvens. Victus diligenter ordinatus, quo ciborum potuumve acrium et calidorum quodvis genus vitatur, animi hilaritas ſervatur, habitatio praefertur in calidis regionibus, minerales aquae et internae et externae adhibentur, corpusque motibus idoneis exercetur, ſaluti ſaepius fuit.

Ulcera mercurio rubro praecipitato curanda: arſenico quoque utamur, dum maligna fiunt.

Dumne glandulae ſcrofuloſae tendinibus vicinis adglutinentur, ſperandum eſt, metaſyncriſi corporis ſolutionem eorum ſponte contingere poſſe. Ubi haec aguntur, lotio et ſudoribus provocanda eſt

acrimonia, cum alioquin facile hydropes, aſthmata aliaeque ſequantur paſſiones. Vid. *potio antilyſſa*.

Rachitis.

Teneris aetatibus plerumque infeſta eſt haec valetudo, ubi autem iam adolevit aetas, vel ante ſextum menſem, vel poſt decimum annum haudquaquam occurrere conſueſcit.

Sequentibus dignoſcitur ſymptomatibus. Extremae oſſium partes, inprimis epiphyſes, maxime artuum, intumeſcunt, unde media eorum pars attenuatur. Ad haec adeo molleſcunt, ut muſculorum actioni cedant variisque modis flectantur. Caput ſupra conſuetudinem praegrande fit. Abdomen, dextrum praeprimis hypochondrium, admodum inflatur. Carnes flacceſcunt, cutisque palleſcit. Digeſtio infirmatur, acorique gignendo ventriculus favet, unde dentes etiam depravantur.

Innoteſcere coepit morbus in Anglia, annis 1612 ad 1620: vocatus illic *rickets* et apud Gallos *noueure*. Sit vero novus, an monſtrorum quaedam genera, quorum veteres meminerunt, rachitici potius fuerint, certo non conſtat.

Cauſſa eius proxima verſari videtur in peculiari quadam acrimonia, cuius indoles nos latet, quae vero ſcrofuloſae affinis eſſe videtur.

Pueri, a parentibus geniti venereis, ſcrofuloſis, ſcorbuticis, quique frequentes paſſi ſunt animi affectus, pueri male nutriti, udisque ac immundis locis educati, aut nutricibus male ſanis lactati, frequenter huic morbo obnoxii eſſe ſolent. Hereditate vero ipſa acrimonia propagetur, ambigendum adhuc eſt, quamquam a veritate non plane alienum.

Infantes viribus animi maxime vigentes, maciem denique et ulcera; ſegnes autem ingenio hydropes facile patiuntur. Interdum naturalis oſſium forma reſtituitur, nonnunquam vero difformitas per totam ſupereſt vitam, unde mulieres partibus ſaepenumero difficilibus laborant.

Iecinore hîc maxime affecto alvi excrementa pallida ſaepius, aut albida redduntur, quod vitium ſecretae potius bilis, quam iecinoris obſtructionem ſupponit. Tanta enim acidi copia humores fere omnes laborant, ut oſſium glutine ſoluto, ipſa oſſa nimis fragilia reddantur.

Nullum autem exſtat ſpecificum adverſus acrimoniam remedium. Circumſpiciendum vel maxime, ut victus ratio corrigatur, infantes gaudeant aëre ſicco et ſereno, ut ipſi mundi ſerventur ſaepiusque detergantur, ut digeſtu facilibus leniterque nutrientibus cibis paſcantur, ut mucus mitioribus remediis, velut terra tartari foliata, ſive tartaro tartariſato ſolvatur, ut magneſia muriatica acor mitigetur,

tigetur, ut denique rhabarbaro ſordes eliminentur. Ad haec rumice aquatico cocto aut rubia tinctorum, quae vero calida nimis frequenter ne bibantur, perſpiratio leniter provocanda, amarisque, imprimis fumariae extracto (vid. *elixirium reſolvens* et *roborans*) digeſtio firmanda, artus autem frigidis balneis roborandi.

Potui vulgari aqua inſervit Selterana, quae, ubi copioſe bibitur, egregie confert.

Paedarthrocace.

Ulcerum ſpeciem ſiſtit hic morbus, quae vel rachitidis ſymptoma, vel ſub iisdem conditionibus occurrunt. Pueruli queruntur dolorem loci cuiusdam, ubi nihil ſub ſenſus cadit, neque preſſione dolor augetur. Tunc cutis inflatur et tenditur, tribus aut quatuor interiectis ſeptimanis tumor is rubere incipit, deinde fuſcum adipiſcitur colorem, apertus denique ſaniem profundit tenuem et cruentam.

Partes ea vicinas ad os usque devaſtat, quod inflatur ſimul et carie deſtruitur.

Ne cum ſpina ventoſa commutetur is morbus, cavendum: hic enim multo lentius procedit, minorem provocat dolorem minusque periculum.

Ubi morbus ante tumorem dignoſcitur, organa protinus digeſtionis purganda ſunt et roboranda,

locoque dolenti mercurius inungendus. Simul ac tumor apparet, quam primum fieri poteſt, aperiendus. Apertum ulcus ex conſuetudine fluens, neutiquam curandum: ſiquidem ſiccantia admodum nocent, plurimumque a natura exſpectandum, cui ſuppetias eundum eſt eo, quem indicant ſymptomata, modo.

Quodſi nimia immundities ulcus occupat, utiliter adhibetur mercurius ruber praecipitatus. Hinc reſolventia et ſanguinem corrigentia exhibeantur, eoque, quem in rachitide praecepimus, modo agatur.

Eſtne haec valetudo eiusdem indolis ac caries vertebrarum infra deſcribenda, cum nimirum haec nullis efficiatur externis cauſſis?

DE EXANTHEMATIBUS DIUTURNIS.

Ea febribus ſtipata non ſunt raroque ſolius naturae ope ſaneſcunt.

Quaevis fere cutis vitia huc pertinent. Equidem vero de iis duntaxat praecipiam, quae, absque ſanitatis labe non negligenda, morbos ſui generis conſtituunt. Licet omnia haec acrimoniam ſupponant bilioſam, ſcrofuloſam, ſcorbuticam ſive veneream, nonnulla tamen peculiarem quamdam hisque non affinem agnoſcunt acrimoniam.

Cruſta lactea.

Pueruli imprimis lactentes faciei ſaepius afficiuntur exanthemate, quod puſtulas ſiſtit exiguas latiuſculas rubras, valde prurientes, flavidumque pus profundentes.

Quamvis correpti hoc exanthemate pueruli bene ceteroquin valeant, originem tamen ducere videtur ex interna quadam acrimonia, forſan ſcrofuloſa, quod ii maxime infantes eo corripiuntur, qui vel parentibus ſcrofuloſis nati, vel eiusmodi nutricibus lactati fuerunt, quodque ſuper hunc plerumque morbum ſcrofulae etiam corpus occupant.

Infantum proclivitatem ad eundem cognoſcimus inflata ſupra conſuetudinem facie, maculis genarum praerubris, urinae foetore, frequentique contrectatione ac frictione faciei. Porrigitur morbus non raro in ſextum ſeptimumve annum, ubi ſponte ſua in ſanitatem abire ſolet.

Quamquam, ut ſupra iam dictum eſt, ab interna eiici acrimonia videtur, ex bona tamen infantum valetudine et impotentia omnium fere remediorum, efficitur exanthema ſemel provocatum, haud amplius interna ſuſtineri acrimonia, ſed frictione ſola: meri itaque cutanei morbi nomen meretur. Nihilominus tamen male conſulit aegro, qui ſiccantibus exanthema repellit, quo quidem facto plurimae

oriri poſſunt noxae. Aſſueſcit enim huic cutis turpitudini natura, ut curari nequeat ſine naturae auxilio.

Commodiſſime agimus, dum infantem a lacte deſuefacimus, maxime ſi conſtat, nutricem, dum infans eſſet, cruſtae lacteae obnoxiam fuiſſe: contagio enim et hereditate morbus propagatur.

Specifica adverſus ſcrofuloſam acrimoniam remedia ea propter commendanda non ſunt, quod aeger per ſe haudquaquam periclitetur, quod etiam remediorum eorum uſus nocere facile poſſit, absque certa ſpe eliminandae acrimoniae. Solet natura ipſa curare hanc valetudinem febris ope, qua inflammationis, ſuppurationisque ſpecie generata exanthema areſcit.

Conſultum itaque arbitror, exſpectari hanc criſin, maxime quod experientia doctus ſum, et mercurialia, et acidum vitrioli, et violam tricolorem huic valetudini vel nocere vel adminiculo ſaltem non eſſe.

Lympha ſaepius mero corrumpi videtur irritamento: ſiquidem infantes cruſtae lacteae obnoxii, ea, dum praeprimis dentiunt, corripiuntur. Vices ibi gerere videtur ſive tuſſis ſive diarrhoeae, expulſisque dentibus iterum ſicceſcit.

Achores.

Tineam capitis intelligo, cruſtae lacteae vel comitem vel pediſſequam, eiusdem quoque indolis. Minime etiam periclitatur infans, hac tinea laborans, pariter itaque naturae committenda.

Favus.

Alia eſt tineae ſpecies, puſtulas gignens, ſcabiei ſimiles, mellique adfine pus continentes.

Auxilium fert praeciſio capillorum uſusque mercurii praecipitati albi, maxime, dum veſicatorium ſimul apertum ſervatur.

Tinea capitis.

Contagioſum eſt id exanthema facileque naturae ſolius ope non ſaneſcit. Arida obducere caput ſolet cruſta, pollicem quandoque ſpiſſa, modo flavida, modo viridiuscula, modo albida. E loco quodam foetidum ſimul pus manare ſolet, cuius ope aliis inſeri poteſt tinea.

Bulborum potius vitium eſſe, quam ex internis oriri cauſſis videtur; ſustinetur ſaltem iisdem nequaquam, cum interna quaevis nihil iuvare ſoleant.

Vitanda nihilominus omnia, quae ſiccant aut repellunt, cum, eo caſu facile gigni et cachexias et hydropes, obſervatum ſit. Multo magis opitulantur, quae bulbos capillorum eradicant. Eo inſer-

viunt emplaſtra mollientia et adglutinantia, quibus caput per aliquod tempus ita obducitur, ut capilli cum bulbis emplaſtro adhaereſcant. Neque tamen quodcunque molliens emplaſtrum huic eſt uſui idoneum: leniora addantur eſcharotica: alcalia praeprimis commoda ſunt, ut cruſta duriſſima molliatur, quae alioquin ſolvi non poteſt.

Plica polonica.

Maxime differt et conſtanter a tinea, infeſta praecipue Hyperboraeis et Polonis, quorum regionibus familiaris eſt.

Complectitur humoris peculiaris glutinoſi profuſionem ex orificiis vaſorum capitis, quo humore capilli conglutinati in funes praegrandes prolongantur.

Prae aliis huius generis morbis ab interna videtur produci et ſuſtineri acrimonia.

Praegrediuntur humoris profuſionem dolores capitis, colli artuumque atroces, impeditaque excretione mala fiunt ulcera aliorum locorum, praeſertim unguium; ſequuntur caecitas, convulſiones et deliria: quae ſymptomata cum humoris excretio tollat, tamquam critica haec eſt conſideranda.

Morbus autem et contagio et hereditate propagatur. Indoles vero et ortus huius acrimoniae penitus nos latent. Immundities, pro cauſſa vendita,

conglutinare quidem capillos valet, alio autem modo ac in plica polonica id contingit.

Neque remedium quoddam adverſus eam acrimoniam ars nobis ſuppeditat. Omnia eius auxilia eo obverſa eſſe debent, ut humoris impeditam excretionem mollientibus remediis capiti impoſitis, veſicatoriis iisque, quae ſudorem movent, provocent, cauteque caveant, ne retropellatur: periculoſiſſima itaque eſt praeciſio capillorum conglutinatorum morbusque ipſe inſanabilis.

Herpes.

Impetigo id exanthema etiam dictum, apud Gallos *dartres* nomine venit.

Ulcuscula exigua ſiſtit, plerumque arida, puris veri loco acrem humorem profundentia, devaſtantia demum cutim, ut furfuribus aut ſquamulis fatiſcat, citra exanthematis ſanationem.

Differunt a reliquis exanthematibus, quod ſuperficiem tantum occupent, atque vel proſerpant, vel, eryſipelatis more, locum mutent.

Obſervatur cutis vitium, herpeticum quidem, ſed acutius, magisque affine eryſipelatibus. *Herpes miliaris* appellatur.

Qui proni ſunt ad ſcrofulas, herpeti maxime obnoxii eſſe conſuerunt: ſubinde tamen, aeque ac eryſipelas, a biliofa oritur acrimonia. Infeſtat eos,

quibus ſanguis per haemorrhoides ex conſuetudine non reſpondet. Blennorrhoica ipſa acrimonia herpeticae eſſe indolis videtur, cum facile impeditum eum fluorem herpetes excipiant. Exiſtant vere venerei herpetes, an ubique ex blennorrhoica oriantur acrimonia, non liquet. Venereos tamen nonnunquam herpetibus exaſperari, qui nec mercurio cedunt, licet cauſtica mercurialia externe adhibita egregie conferant, exploratum habeo.

Digniſſimus omnino hic morbus omnium medicorum attentione videtur. Indoles eius rite cognita plurimum lucis foeneraret et carcinomatibus et ſcrofulis et fluori albo ipſique blennorrhoeae.

Ubi acris videtur bilis ſubeſſe, ſuppetunt ſaepius purgantia mercurialia et veſicatorium ipſis herpetibus admotum. Ubi vero ſcrofuloſam adeſſe acrimoniam coniectamus, extus adhibeantur mercurius albus praecipitatus et magiſterium Saturni, quibus per quatuor aut quinque menſes protinus ungantur. Plurimum praeterea auxilii exſpectandum a victu ſalubri, potibusque, qui ſanguinem purgant et ſudores movent.

Quodſi ſuper haec acrimoniam ſubeſſe veneream divinamus, ſuppetias eundum mercurio ſublimato, ſolutoque in acido nitri. Summa autem curationis verſatur in victus ſalubritate, humorumque omnium correctione.

Scabies.

Conſtituitur ulcusculis ſingulis, noctu inprimis prurientibus, quae vel humorem ſolum vel pus continent verum. Priori caſu *ſicca*, poſteriori *humida* ſcabies dicitur.

Quaevis ſcabies haudquaquam ſuppuratur, ubicunque vero pus paratur, praecedere ſolet humoris accumulatio. Pleraeque igitur humidae ſcabies inareſcunt, neque tamen ea viciſſitudo in quacunque contingit. Exaſperat imprimis manus, rariſſime faciem.

Oritur:

1. in ſcrofuloſis aut ſcorbuticis, ubi eius acrimoniae abſceſſus eſſe videtur;

2. ab acrimonia venerea, ubi vero ulcuscula magis dolent quam pruriunt, ſaepiuscule faciem deturpantia;

3. a contagio foris adlato;

4. ſequitur interdum febres acutas, ipſique febricula adiungitur. Rariores vero illi caſus vel in caſtris, vel certis quibusdam anni temporibus familiares ſunt;

5. nonnunquam febrem intermittentem aut melancholiam ſcabies ſolvit.

Cauſſa verſatur in ſingulari quadam acrimonia, contagio facile propaganda. Acarorum quoddam genus cauſſam credunt varii medici ſcabiei, con-

trectatione communicatae: ea animalcula dicuntur ovulis in cutem depoſitis ulcuscula efficere prurientia. Neque, reperiri ea in ulcusculis ſcabiei, negandum eſt. Praeter haec vero animalcula alius cauſſae rationem eſſe habendam, pronius eſt ad fidem. Exponi ſaltem poteſt et alterna metaſtaſis et critica ſcabiei natura ex cutis potius vitiis quam ex acarorum praeſentia. Lympham quoque et vaſa abſorbentia praeprimis affici in morbis ſcabioſis, inficias nemo ibit, quemadmodum et methodus ipſa id lymphatici ſyſtematis vitium declarat.

Medela differt pro rerum, quas indicavi, diverſitate. Ubi ſcrofuloſa adeſt et ſcorbutica acrimonia, finis curationis ſaepenumero attingitur uſu interno ſulfuris, praecipue hepatis ſulfuris ſalini, quibus ut ſudores moveantur ſatagendum eſt.

Quae ubi non ſuppetunt, obviam eundum mercurii albi praecipitati externo uſu, balneisque calidis, quae pauculas drachmas hepatis ſulfuris excipiunt.

Venerea ſcabies curatur interno mercurii ſublimati, externo autem rubri praecipitati uſu.

Quae a mero contagio foris adlato oritur, ſolo etiam mercurio albo praecipitato, cuti admoto, tollitur. Quodſi ſcabies exiguas ſiccasque ſiſtit puſtulas, gregatim ſimul ſenſa, acidum vitrioli interne adhibitum expeditiſſimum eſt.

Critica ſcabies naturae committenda: dum vero in nimis longum tempus porrigitur, acrimonia eliminanda vel internis remediis, vel ulceribus arte citatis.

Lepra.

Scabiei humidae ſeu herpetum potius ſpeciem ſiſtens, a prioribus differt exanthematibus, quod non ſolum totum corpus ſed facies etiam obducatur ſpiſſa furfuraceaque cruſta, quae nudam ſaepius cutim obtegit.

Auctorum *vitiligo*, *morphaea*, *alphus*, *leuce* et *melas* ſpecies videntur eiusdem valetudinis.

Inter nos haudquaquam raro leprae quaedam genera occurrunt, atque herpetibus accenſendae videntur.

Scrofuloſas plerumque glandulas habent, qui lepra laborant, uſuque hepatis ſulfuris et in- et externo plures convaleſcere memini. Mercurialia raro duntaxat utilia ſunt, niſi veneream ſimul acrimoniam morbus complectatur, ubi a mercurio nitroſo plurimum auxilii exſpectandum eſt.

Victus ſalubritas, balnea tepida, lignique ſancti decoctum concentratum et matutino et veſpertino tempore, ita propinatum, ut ſudores copioſe moveantur, egregie nonnunquam proſunt, maxime dum in eorum uſu diutiſſime perſeveramus. Inveteratos vero caſus ſaepius macies excipere ſolet.

Elephantiaſis.

Quamquam is morbus leprae etiam nomine inſignitur, interſunt tamen inter utramque ſymptomata plura maligna, intereſt cutis rigiditas, tubercula ſenſum non excitantia, ut pellis elephanti ſpeciem prae ſe ferat. Pedes imprimis adeo difformes fiunt, ut elephantorum pedibus ſimiles ſint, unde appellatio originem duxit. Praeterea labia inflantur, narium alae expanduntur, cutisque tubercula in ulcera abeunt cacoëthea.

Primordia eius morbi cognitu difficillima ſunt, cutis tamen, qua malum erupturum eſt, colorem mutat ſenſumque amittit. Mutant etiam colorem pili eorum locorum.

Arabibus familiaris haec valetudo deſcribitur in codice Moſaico. Dicitur itaque Arabum lepra, ut diſtinguatur a lepra Graecorum.

Producit eam virus peculiare longe a venereo alienum, neque mercurio ſanandum.

Pari ceteroquin modo ac leprae, elephantiaſi quoque medemur. Externum in India remedium praebet cuſcutae ſpecies, cum ſucco limoniorum piſta, qua et maculae et tubercula unguntur.

Singulare huius morbi ſymptoma eſt ſalacia, cui aeger reſiſtere nequit: hinc veteres caſtrando ſubinde eam curarunt. Eſtne origo mali quaerenda

in nimia ſeminis ſecretione? Eſtne is morbus blennorrhoicae materiei mater?

Species quaedam elephantiaſis gregatim ſentitur in inſula Barbados, quae ab arabica conſtanter differt, maxime glandularum vaſorumque abſorbentium inflationem complectitur.

DE ULCERIBUS DIUTURNIS.

Ii quidem morbi chirurgicis vulgo adnumerati, eo diligentius a medico inquirendi ſunt, quo arctius cohaerent cum interna hominis valetudine, quoque frequentius in praecipiti eſſe conſuerunt, his ulceribus affecti.

Ulcus autem dicitur deſtructio quaedam partis ſanie ſimul profuſa. Suppurationem itaque omnino ulcus complectitur. Eſt autem is humor lympha mutata, quae ex ſolidarum partium ſolutione oriri non videtur, cum in plures ſaepe annos ulcera ſine ſolidorum ſtatim percipienda labe porrigi poſſint. Neque in iisdem aliquid ex ſanguine abſcedere videtur, quippe qui in vulgaribus ulceribus omni expers pure reperitur. Inter febrem quidem variolarum ſecundariam interdum aliqua parte humor is abſcedit, neque tamen ſuppuratio ipſa variolarum citra puſtulas obtingit. Hinc pus eſſe lympham in ulceribus mutatam et corru-

ptam, pronius eſt ad fidem. Irritans ea cauſſa ſpaſmum excitat extremorum vaſorum, quo purioris lymphae ſecretioni impeditae pus ſubſtituitur. Quo minor itaque adeſt acrimoniae copia, eo magis pus accedit ad blanditiem lymphaticam: quo magis autem irritat acrimonia, eo pravior, corruptior et acrior ſit humor purulentus.

Irritans igitur cauſſa vel transit vel perſeverat, id eſt, acrimonia vel in ulcere ſolo adeſt, ubi ſuppuratione protinus eliminatur; vel extra idem quaerenda, continuo in ulcus agere pergit: quo quidem caſu ad ſanitatem non pervenit aeger prius quam acrimonia ea in ulcus agens, ſublata fuerit et eiecta. Ad haec tertius quidam caſus obtinet, ubi acrimonia, in ulcere quidem reſidens, ſanguini tamen admiſcetur, ut ex hac penu adſiduo ulceris nutrimentum ſuppeditetur.

Oritur ea acrimonia a cauſſis vel externis vel internis. Utraeque tum transeunt, tum perſeverant. Transit autem interna acrimonia, cum in ulcere tota abſceſſit, neque nova amplius id afficit. Quod quidem contingit in vulgari externa phlegmone. Perſiſtit autem, cum aliquid acrimoniae ſupereſt, quod latius abſcedere pergit. Externae plerumque acrimoniae transeunt, perſiſtere tamen valent, dum in depravato ſanguine penum ſibi parant, quod in venereis fieri ſolet ulceribus.

Oportet autem magnam habere curam:

1. ut acrimonia et tollatur et eiiciatur,

2. ut partes ruptae iterum ſecum uniantur.

Primum quidem attingimus vel acrimoniae irritantis immediata excretione, vel dum obverſi ſumus ad eius effectus, ut vaſorum ſpaſmum molliamus, eoque acrimoniam eliminare ſtudeamus.

Protinus ut acrimoniae plurima ſublata eſt copia, quod et puris blanditie et partium ſolidarum integritate cognoſcitur, hae quidem in unum cogantur, ut vulnus ſaneſcat.

Olim quidem creditum eſt, pus eſſe nil niſi partium ſolidarum ſolutionem, ulcusque ſaneſcere prius non poſſe, quam deperditas organicas partes natura redintegraverit. Obſervationibus tamen conſtare videtur, partium ſolidarum maiorem copiam raro deſtrui, ſanationemque potiſſimum contingere nova epidernidis formatione.

Simul ac itaque purgatum eſt ulcus, novarum partium generatio haud exſpectanda, ſed vincturis potius, roborantibus et adſtringentibus, quibus frigida aqua et cortex peruvianus accenſentur, partes disiunctae in unum cogantur.

Ulcus locale benignum.

Pertinent huc ea omnia, quae ſanos ceteroquin homines afficiunt, ab acrimoniis transeuntibus

orta, pus profundentia benignum, quaeque rite tractata, celerius ſaneſcunt.

Cum naturae ipſius ope ad ſanitatem facile haec ulcera perducantur, naturae etiam potius committenda ſunt, idque arcendum, quod novum praebere ſtimulum poſſet. Suppetunt igitur vinctura ſimplex levisque, fovenda tamen ſimul ſunt ulcera mollientibus.

Ulcus locale pravum.

Id intelligitur, cuius primaria quidem cauſſa acrimonia transiens eſſe videtur, quod vero aliis potius irritantibus cauſſis ſustinetur.

Hae vero quaerendae ſunt:

1. in nimia inflammationis praegreſſae vehementia, quae gangraenam minatur.

Is exitus praecavetur, dum aqua frigida ulcus fovemus, praevertitur etiam ſale ammoniaco et cortice peruviano, quibus bonum ſaepe pus parari poteſt.

2. nonnunquam vero inflammatio altiores potius partes exedit, tempeſtive non adaperta.

Concluſum tunc pus maiorem ſolet ſolidorum partem reſolvere, mixtioque eius adeo mutatur, ut aëris contactu facillime depravetur.

Ulcus

Ulcus id ſatis apertum probe eſt purgandum, quod commodiſſime fit mollientibus, dumne ad gangraenam pronum ſit.

3. Acrimonia praeterea in ulcere contenta ita vehemens eſt interdum, ut vicinas partes continua inflammatione devaſtet eoque modo puris ſecretionem impediat.

Suppetunt hic quidem mollientia fomenta, et ad distentionem tollendam et ad acrimoniae exitum parandum.

4. Saepius proclivitas quaedam ad putredinem adeſt, quae quidem aëris contactu augetur.

Cum ulcerum humores generatim facile putreſcere ſoleant, maxima cura vitandum eſſe aërem, quod probe ligatis ulceribus commode fit, inter omnes conſtat.

5. Frigori obnoxia nonnunquam ulcera ſunt.

Nihil enim vel calore utilius vel frigore inimicius eſt, dum bonum parari pus oportet. Exponitur id imprimis e ſpaſtica vaſorum frigentium coarctatione, e laxatione vero, quam calor producit.

6. Dum partes ulcere affectae motibus nimiis exercentur.

Inde quidem, quae ad pedes fiunt ulcera, tam aegre ſaneſcunt, hinc quietis vel maxima habenda eſt cura in ulceribus ſanandis.

7. Nonnunquam tamen inflammatio praegreſſa nimis fuit levis.

Ea huc pertinent ulcera, quae priusquam aperirentur, aquei humoris plurimum continuerunt.

Irritantibus ibi remediis partium inflammatio eſt provocanda, cui quidem fini mercurialia praecipue idonea eſſe conſuerunt. Quandoque ſola roborantia et adſtringentia ſufficere videntur.

8. Tota ſaepius partium omnium compages debilitate et laxitate laborat.

Viribus autem utique opus eſt ad bonum pus parandum: ſubveniendum itaque iis, cum languent, roborantium corticisque peruviani uſu.

9. Male curatum ulcus ſubinde depravatur.

Irritantium maxime abuſu vulgares chirurgi peccant, maligna reddunt enim ulcera et diuturna, quae, naturae commiſſa ſoli, facile ad ſanitatem perducerentur.

10. Margines inſuper ulceris fungoſam ſaepius et praeduram acquirunt indolem, quod cauſſae quidem omnes, de quibus praecepimus, efficere poſſunt.

Fungoſae illae partes, vel cauſticis et vinctura tollendae, vel cultro ſunt praecidendae.

Priusquam autem ad ea transeam ulcera, quae perſiſtentem agnoſcunt acrimoniam, regula eſt praecipienda, quae nondum ſatis finita eſſe videtur.

Frequenter experti ſumus, ulcera varia, diutiſſime aperta, ſine ſanitatis labe facile ſaneſcere non poſſe.

Quin nonnulli medici omnino prohibuerunt perfectam ulcerum ſanationem. Neque tamen eo minus obſervatum eſt, inveterata varia ulcera ſine noxa ad ſanitatem perduci: cumque ulcus utique ſit affectus, cuius expers eſſe quicunque cupit, cum praeterea ulcus per ſe iam noxiis excipiatur ſequelis, opere omnino pretium faceret, qui leges eas ſanciret, quibus obſtrictos nos eſſe in ulcerum curatione oporteat.

Id quidem omnibus patere experientiis videtur, poſſe omnino in unum cogi quaevis ulcera, quae vel diutiſſime perſtiterunt, vel acrimoniae latentis maximam profuderunt copiam, dummodo fonticulum in partibus vicinis moveamus, cuius quidem noxae adeo praeſentes eſſe non ſolent ac ulceris ipſius.

Ulcera deinde, quae acrimoniis ſuſtinentur, quas remedia tollere poſſunt, ſine noxa citraque fonticulum ſanari poſſunt. Eo quidem venerea pertinent ulcera.

Quae vero, e latitante ſuborta acrimonia, diutiſſime perſtiterunt, ut iis iam aſſueverit natura, in unum ſine negotio cogi non debent, niſi fonticulo prius appoſito. Obſervatione praeterea diligentiſſi-

ma opus eſt. Quoties enim curato ulcere vel minima corporis viciſſitudo obtingit, qua periclitari aegrum extimeſcimus, protinus ſunt iterum aperienda ulcera, curſusque humorum reſtituendus.

Circumſpiciendum deinde, ut puris probi ſufficiens paretur copia, ne aegri vires infringantur, neque, reſorpto pure acri et pravo humores corrumpantur.

Ulcera ab acrimonia bilioſa oborta.

Eryſipelas neglectum ſaepenumero excipiunt ulcera diuturna, quae expeditius iuvant remedia quaevis evacuantia.

Surarum praeterea exiſtunt ulcera, quae iecinoris corruptioni ſuperveniunt, ut nonnunquam inde aliquid abſceſſiſſe videatur.

Naſcitur nimirum in ſura tumor exiguus, praedurus, altiora petens, doloribus iunctus, vel vehementioribus vel levioribus: motum is offendit, ſenſimque augetur, licet durus maneat, cutisque color haudquaquam mutetur. Fluctuare denique incipiunt altiora, quo vero facto tantum abeſt, ut tempeſtive aperiendum ſit ulcus, ut potius oſſa iam dudum exeſa eſſe ſoleant, utque amputatione ſola ſubveniendum ſit, quae vero mortem praevertere plerumque non poteſt, cum in aliis facile partibus aliquid abſcedere ſoleat.

Ulcera venerea.

Naſcuntur plerumque initio puſtulae rubrae, acrem effundentes humorem, transiturae demum in ulcus praerubrum, dolore ut plurimum expers.

Pus ſolet eſſe flavido-viride ac peculiare aliquid olere. Ubi pura ſunt ulcera, in curatione interna ſubſiſtendum, unguentum duntaxat mercuriale molliens admovendum: immunda vero ulcera cauſticis tractanda ſunt mercurialibus.

Quodſi ſponte ſua ſaneſcunt, virus venereum eſſe omnino eliminatum, certo nobis poſſumus perſuadere. Ubi autem, admodum pura, ſufficienterque ſuppurata, copioſo mercurialium uſui cedere neſciunt, iis in unum cogenda ſunt, quae ſiccant.

Ulcera ſcorbutica.

Manat ex iis ſanies foetens atque cruenta, partibus vicinis fungoſis et lividis.

Egregie conferre ſolent acidum vitrioli cortexque peruvianus, et fomenta e dauci radicibus. Utiliter etiam adhibentur aëris fixi vapores, ulceri admiſſi.

Ulcera ſcrofuloſa.

Glandulas ea ubique occupant. Lentiſſimo modo pus paratur, unde tumores ne praepoſtere aperiantur, cavendum eſt. Fungoſas reddunt ſolidas

partes, bonumque pus raro effundunt, ſed ichorem potius acrem et glutinoſum.

Ratio primum habenda molliendarum partium, quae obduruerunt, quod quidem externo plerumque cicutae uſu perficitur. Quae ubi non ſufficit, mercurialia adhibeantur cauſtica. Expletur curatio balneis frigidis, plumbo extus applicato corticisque interno uſu.

Herpes exedens.

Extant ulcera cutem ſolam occupantia, adeo vero eam devaſtantia ut phagadaenicorum et ἐσθιομένων nomine veniant. Interdum eam habent pertinaciam et malignitatem, ut carcinomatis ſpeciem prae ſe ferre videantur.

Subtrahunt tamen ſaepius periculo mercurius ſublimatus et arſenicum tum interne tum externe adhibita. Sufficit mercurius praecipitatus albus, dum ſuperficiem occupant, neque vicinas partes adeo devaſtant.

Variae praeterea corporis indoles, ni ulcera per ſe proliciant, ita tamen in ea agunt, ut magnam earum curam habere oporteat. Pertinent huc acrimonia arthritica, viſcerum abdominalium obſtructiones, ſanguinis profluvia ſuppreſſa, languor virium vel topica debilitas, acrimoniae exanthematicae etc.

Carcinoma.

Differt *occultum* a *manifeſto.* Illud quidem glandulas occupat. Earum enim tumores dolorem pungentem inferentes, abire in ulcera carcinomatoſa conſuerunt.

Apertum autem carcinoma malignum, foetidiſſimum, partes vicinas vehementer exedit ac dolores ſaeviſſimos adfert.

Inter ea ulcera et phagadaenica id intereſt discrimen, quod haec e glandulis oriantur obdureſcentibus, quod fungoſis ſtipata ſint inflationibus, quod putidiſſime foeteant, quod pervicaciam eorum ars vix ulla vincere valeat.

Quum vero occultum carcinoma glandulas ſolas occupet, membranas tamen etiam et muſculos ulcera devaſtent carcinomatoſa, efficitur inde, quodvis carcinoma apertum haudquaquam neceſſario ortum fuiſſe ex occulto.

Caminorum purgatores in Anglia corripiuntur ſaepenumero ſcroti ulceribus cacoëthibus, quae *carcinoma ſcroti* auctorum, *verrucas* vero *fuliginis* vulgi conſtituunt.

Gradatim iis exeditur ipſe teſticulus, inde transit morbus in abdomen, ubi gangraenam producit letiferam.

Qui morbus quum inter nos non occurrat, li-

thanthracum potius fuligo eam habere acrimoniam videtur, ut exedentia poſſit ulcera efficere.

Praeter exſtirpationem aegros vix ulla medicina periculo ſubtrahit: exſtirpandi etiam teſticuli, ubi vel nondum vel per breve tantummodo tempus laborarunt. Protinus vero ac ad viſcera proceſſit abdominalia malum, irrita plerumque omnia artis ſunt conata.

Sitne acrimonia affectus mere localis, an oriatur ex peculiari quadam acrimonia, dubii adhuc haeremus.

Cum autem non raro cauſſas duntaxat internas, citra externam occaſionem, ſupponere videatur, haudquaquam elucet, quanam ratione mere topicum habitum ſit vitium. Requiri autem interna peculiaris quaedam diſpoſitio manifeſto videtur, ad quam augendam aliae cauſſae, praecipue animi adfectus et ſanguinis profluviorum ſuppreſſiones concurrunt.

Oriatur autem carcinoma a ſingulari ſibique propria acrimonia, citra quam nullus glandularum tumor poſſit in carcinoma transire, alia eſt quaeſtio, quam affirmare haudquaquam auſim. Sentitur non raro acrimonia omnino ſcrofuloſa, neque tamen tumores ſcrofuloſi obdureſcentes ubique fiunt carcinomatoſi. Veri ſimile eſt, acrimoniam, ulcus ſtimulo ſuo faciens carcinomatoſum, diverſae admo-

dum indolis eſſe, unde ulcerum eorum differentes formae et curationis ambiguus ancepsque exponitur effectus. Exedens praeterea acrimonia oritur forſan in ipſo carcinomate, peculiari quadam ſolidarum partium indole producta.

Interna quidem remedia nihil adhuc ſubtrahere morbi vel ſaevitiei vel periculo potuerunt. Opitulata ſunt aliquando et arſenicum et cicuta, tum intus, tum extus adhibita.

Subinde vero etiam victus ſolus, quies, animi hilaritas et potus, quibus ſanguinem purgare ſtudemus, ſuffecerunt ad occulta carcinomata discutienda.

Quae quidem effectuum, quos medicamenta praeſtant, ambiguitas ipſam ſignare videtur indolis eius morbi differentiam.

Tutiſſima eſt exſtirpatio, ubi, quaevis corrupta loca poſſe praecidi, exploratum habemus. Si quid enim, vel minima tumoris pars, iterum obduruerit, metus eſt, novum inde oriundum eſſe carcinoma, irritamque adeo fore curationem. Id quidem praedictu utique difficile eſſe ſolet. Nihilominus incidimus noſtris temporibus in eam cauſſam, quare mammarum carcinomata, rite iamiam curata, toties recurrant. Inveniuntur enim ad internam ſterni faciem ſub pleura exiguae quaedam glandulae, ab anatomicis etiamnum neglectae.

Quae ſi labe iamiam carcinomatoſa affectae ſunt, ſuperflua eſt curatio, cum ulcus ſoleat ubique recrudeſcere. Extimeſcendum id eſt, dum punctiones ſentiuntur, qua vaſa mammaria inter ſecundam tertiamque coſtam exteriora legunt, mammas aditura.

Utiliter ea carcinomata generatim exſtirpantur, quae ab externis effecta ſunt cauſſis. Raro vero aut nunquam forte conveniet, ubi plures iamdudum glandulae carcinomate affectae ſunt, quod cum finitu admodum difficile ſit, morbus is ex toto inſanabilibus etiamnum adnumeratur.

Quod ſi denique, quicquid irritat, e medio tollitur, citra vitae periculum aut ſanitatis inſignem quamdam labem occultum carcinoma in longiſſimum ſaepe protrahi poteſt tempus, unde remediis quibusvis cautiſſime omnino agendum.

Caries.

Differt ab exulceratione, quod et oſſa ſola occupet, et ad ſphaceli naturam propius accedat.

Tantum abeſt, ut pure benigno partes ſolvantur, ut ſanie potius acerrima devaſtentur, foliisque oſſa ſecedant.

Oſſis compages modo humida et atra, modo arida et admodum candida eſt. Hoc demum caſu nulla etiam emanat ſanies, ſed os penitus emortuum reperitur. Proprie vero caries appellatur, dum de-

ſtructio oſſis ab externa eius facie ad internam prorepit: ubi vero ex adverſo progreditur, os mire inflatum *ſpinam* ſiſtit *ventoſam.*

Necroſis dicitur, dum os candidiſſimum penitus exaruit.

Cauſſa ubique complectitur vaſorum oſſis corruptionem, quae vel acrimonia irritantur vel omnino exeduntur. Quo mollior eſt oſſis affecti compages, eo citius cariem concipit: quo durior vero, eo aegrius foliis fatiſcit.

Transferendum autem in curatione conſilium eſt ad reſtituendum naturalem vaſorum ſtatum, quod fieri duntaxat poteſt, cum acrimonia quaedam in vaſa dalata eſt. Accedit ea vel ad veneream, vel ad ſcrofuloſam, vel ad rheumaticam, vel ad rhachiticam, cuius differentiae utique ratio eſt habenda.

Quodſi vero nimis magna pars oſſis fuerit exeſa, nil ſupereſt niſi emortuas partes eximere.

Saepius id natura molitur, oſſe deſtructo foliis fatiſcente, interdum vero ad ferramenta perveniendum eſt. Ut foliis vero ac laminis ſecedat, quicquid exeſum eſt, arte etiam efficitur, dum oſſis partem nondum penitus emortuam, iis quae ſiccant et exedunt, omnino enecat. Sic foratur os corruptum, adhibentur cauſtica remedia, quae partium

vicinarum ſanarumque bonam excitare valent ſuppurationem.

Foraminibus quae ferramenta fecerunt, inditur quidquid emollit, purique bono gignendo occaſionem praebet.

Dum vero artuum oſſa adeo devaſtata ſunt, ut aegri vires ſufficere haudquaquam videantur, ad ſegregandum foliis quidquid exeſum eſt, ad amputationem eſt refugiendum, maxime dum articuli iamiam laborant.

Sphacelus.

Ita appellatur affectus partium mollium, quarum humores, circuitu intercepto, ſtagnant, acres fiunt partesque ſolidae ſenſum amittunt.

Triplex autem ſtatuitur diſcrimen:

1. *gangraena*, ubi, licet putreſcant humores, ſenſus tamen nondum penitus amiſſus eſt;

2. *ſphacelus* ipſe, ubi partes deſtructae, emortuae viribusque organicis omnibus privatae ſunt;

3. *necroſis*, ubi putredo quidem non percipitur, ſed partes ſolidae, ſenſibilitate paullatim deſtitutae, emoriuntur, vitaque ſimul protracta, ſecedunt.

Ad ultimam hanc ſpeciem is pertinet morbus, quem Galli *ergot* nominant, variique auctores convulſioni adiudicant cereali, a qua autem ſymptomatibus manifeſto differt, licet uterque affectus victum ſequatur pravum et corruptum, panisque praeſertim

non ſalubris eſum, dum tempeſtas ſimul humida ſanitatem offendit.

Huic deinde morbo adnumerandus eſt *digitorum pedis ſphacelus*, qui tantum abeſt, ut a pravo oriatur victu, ut proceres potius laute viventes afficiat: obſervatur is quidem ſine manifeſta cauſſa vel externa vel interna, dum gregatim rheumatici morbi ſentiuntur.

Principio pes dolet, maculaque livida naſcitur ad internam digitorum pedis minorum faciem, cuius demum cutis ſecedit. Paullatim tibia intumeſcit digitique emoriuntur.

Oritur ſphacelus a nimia inflammationis intentione, ſive a nimia partium ſolidarum debilitate aut acrimonia.

Internarum partium ſphacelus in mortem utique praecipitat. Praecipitare etiam poteſt externarum partium ſphacelus, cum ad interna usque viſcera proſerpit, dum humor malignus putridusque reſorptus febrem excitat malignam, aut protinus enecat, dum ſingulari modo nervos infeſtat.

Circumſpiciendum eſt, ut, quidquid ſphacelo emortuum eſt, eximatur.

Contingit id, dum partes vicinae bonum parare pus valent: ſponte enim ſua emortuae tunc partes ſegregantur, aut, cum nimiae eae ſunt, periculumque reſorptio minitatur, amputando praeciduntur.

Ubi acrimonia urget, inflammatioque vehementer intenditur, antiphlogiſtica ſuadenda eſt ratio, molliendaeque ſuper haec partes affectae. Egregie ibi conferunt et opium et camfora.

Ratio tamen ſimul habenda acrimoniae cuiusvis, qua inflammatio vel effecta fuit, vel intenditur. Animi praeterea affectus, maxime moeror et ſollicitudo, praeprimis accuſandae ſunt in gignendo ſphacelo, quos itaque lenire iisque blandiri decet.

Ubi languet viribus corpus, ubi laxae admodum ſunt ſolidae partes, ubi humores cohaerentia ac blanditie carere videntur, exhibeatur cortex peruvianus cum acido vitrioli, cum floribus ſalis ammoniaci martialibus et camfora, quae etiam extus admoveri oportet.

Sphacelum digitorum pedis neque cortex iuvare, neque periculo morbi ſubtrahere aliquid praeciſio artuum ſolet. Impediunt vero progreſſum eius et opium et mollientia fomenta, pice maxime parata.

Generatim vero ab amputatione in necroſi nil exſpectandum, licet in ſpontanea partium emortuarum ſeceſſione ſaepius auxilium ferat: promovenda itaque ea ſeceſſio eſt et roborantibus et balſamicis remediis.

DE TUMORIBUS.

De iis hic tantum praecipere licet, qui cauſſas agnoſcunt internas, citraque mechanicum auxilium phyſicis omnino remediis indigent.

Diſpenſantur:

1. in *albos tumores*,
2. in *hydropes*,
3. in *emphyſemata*.

TUMORES ALBIDI SEU LYMPHATICI.

Ii intelliguntur, in quibus abſceſſiſſe aut generata fuiſſe acrimonia quaedam videtur, qui promptius abeunt in ulcera cacoëthea, citra inflammationem manifeſto percipiendam.

Rheumaticus articulorum tumor.

Fungi articulorum nomine is affectus venit, cum inflatae partes ſimul fungoſae ſunt.

Occupat plerumque genu, ſuper laeſiones externas rheumaticamque humorum indolem.

Reſidet autem in mollioribus partibus, totoque ambitu, qui inſignis eſſe ſolet, atroces excitat dolores.

Inflammatorius eſt initio morbus, deinde vero mala fiunt ulcera, quibus os denique ipſum exeditur.

Antiphlogiſtica itaque initio commodiſſima eſt ratio: veſicatorium ſurae partique affectae mollientia admoventur.

Expediunt etiam cataplaſmata e floribus ſalis ammoniaci martialibus aceto ſolutis.

Purgatis primis viis, potuum imprimis ope, qui diluunt ſudoresque movent, humores purgandi.

Dum inflammatio ſeſe remiſit, discutiantur ſtagnantes humores emplaſtro e gummi ammoniaca cum mercurio ſive emplaſtro Schmuckeri reſolvente, roborando denique partes aquis frigidis martialibus.

Experti etiam ſumus, colophonium ſpiritu vini ſolutum, expeditius ſaepius, reſolvendo tumores articulorum, iuvare.

Dum vero ad ſuppurationem morbus perducitur, ob ſaniei malignitatem amputatione ſola opus eſt.

Cum autem nonnunquam fluctuare tumor videatur, utiliter etiam aperitur. Auxilium ſaepius natura affert, dum in pedibus aliquid abſcedit.

Tumor articulorum ſcroſuloſus.

Fortuna plerumque ea ſpecies corripit ſcrofuloſos homines: poteſt tamen laeſio externa occaſionem praebere.

Paulla-

Paullatim intenditur tumor, unicumque eius locum dolor exercet.

Primitus laborant oſſa, ligamenta vero partesque molliores progreſſu tantum temporis afficiuntur. Hinc varii ſcriptores ſpinae ventoſae adnumerant eum affectum. Magis vero congruum duxi his eum accenſere, quod articulus ubique ſimul patitur.

Internis raro remediis ars quicquam perficere poteſt. Iuvant tamen nonnunquam initio tum cicuta tum mercurialia, ubi vel leviſſima viri venerei ſuſpicio adeſt.

Interdum uſus cantharidum internus morbum debellaturus eſſe videtur, neque tamen unquam earum uſu curationem univerſam perfeci. Quid quod ipſa ſaepius amputatio irrita fiat, cum aliae partes poſtea eodem morbo corripiantur.

Caries vertebrarum.

Eiusdem videtur indolis ac ſcrofuloſus articulorum tumor.

Sima paullatim fit dorſi ſpina, languentibus inferioribus artubus. Denique reſolvuntur omnino pedes; tantum tamen abeſt, ut, reſolutorum more membrorum, flacceſcant, ut potius obrigeſcere ſoleant.

Primordia ſaepius non dignoſcuntur, unde conata medicorum frequenter fruſtratur. Poſt mortem vertebrae, imprimis lumborum, carie exeſae obſervantur.

Gibbera plurima aut vera efficiuntur rachitide, aut hac demum carie.

Germanitas forte utriusque morbi quaedam naturalis ſtatuenda.

Ulcera principio arte excitata variorum medicorum obſervatione commodiſſima fuerunt. Atque profecto magnopere refert, ut pus paratum inveniat, qua emanare poſſit. Naturae enim ipſius ope in inguinibus femoribusque aliquid ſimile abſcedere ſolet.

Tumores inde orti nonnunquam totum femur ſuperius occupant citra dolorem colorisque mutationem. Qui ſi inſignes fiunt, paullatim atque cauteriis potius quam ferramentis emittendi ſunt humores. Dum vero oſſium devaſtationem impedire nequimus, ſuppuratione nimia in longum tempus protracta, macies denique ipſaque mors conſequuntur.

Magni intereſſet acrimoniae ſcrofuloſae rationem habere. Irrita nihilominus aliquando fuerunt remedia, a me adhibita, quae ſanguinem optime purgare poſſunt, nimirum radicum graminis taraxacique ſucci leniter cocti. Dum haec ſcribo, ſetaceum vertebris inflexis admotum, aſaque foetida

interne adhibita optime expedire videntur, quod reſolutum pedem aeger iterum movere incipit.

DE HYDROPIBUS.

Oriuntur ſero et lympha vel nimia copia ſecretis vel minus reſorptis, ſive vaſorum abſorbentium laxitate aut ruptura, qua lympha exire poteſt.

Continetur vero latex tum tela cellulari, tum corporis cavitatibus, tum ſaccis peculiaribus aut veſicis. Hoc demum caſu *hydrops* dicitur *ſaccatus*. Veſicae vocantur *hydatides*, quas vermibus, taeniarum generi adnumeratis, gigni recentiorum experimenta docuerunt. Neque tamen conſtat, vermibus iis humorem ipſum generari, hydatidemque quamvis vermibus his formari.

Latex quem tumores continent, aut ſerum eſt aut lympha. Rariſſime urina reſorpta tumores excitare viſa eſt. Lacteos autem huc vocare non audeo. Aqua cerebri ventriculis congeſta lymphae in coagulum pronae vel pauxillum, vel nihil continet, totaque calore diffunditur.

Efficitur hydrops:

1. viſcerum abdominalium obſtructione, quae cum ſuper quartanas febres ſaepius naſcatur, eas hydrops etiam excipere ſolet;

2. vaſorum ſanguiferorum obſtructione. Ubi ex conſuetudine ſanguis per menſtrua aut haemorrhoi-

des non reſpondet, colluvies nonnunquam naſcitur aquoſa. Generatur ea etiam concretione maiorum vaſorum, polypis et aneuryſmatibus. Pertinent denique huc compreſſio vaſorum mechanica, quam tumores cyſtici et embryones producunt;

3. abſorbentium vaſorum obſtructione. Ii videntur hoc laborare vitio, qui ſpirituoſis potibus abuſi ſunt. Ex eadem quoque cauſſa hydatides generari poſſe credibile eſt;

4. vaſorum abſorbentium ruptura, quae laeſiones externas ſequi nonnunquam videtur;

5. nimia corporis vaſorumque laxitate, unde hydropes ſaepius gignuntur et pravo victu et aëre immundo humidoque;

6. acrimonia irritante. Exanthemata retropulſa, arthritica acrimonia, colluvies biliosa, maxime in febribus intermittentibus, anſam facile gignendis hydropibus praebere poſſunt;

7. totius corporis languore. Ita nimias excretiones, convulſionesque frequentes hydropes excipiunt. Dubitatio quoque adeſt in hydropibus, qui quartanas ſequuntur, generentur potius obſtructione quam debilitate. Quodſi autem recurrente febre hydrops intenditur, debilitate potius obortum fuiſſe conſtat.

8. Hereditaria ſaepius proclivitas ad hydropem ſtatui poteſt.

Prognoſis verſatur in viſcerum viriumque indole dignoſcenda. Quae dum bene valent, arte ſaepius multum auxilii affertur.

Ubi vero macie iam confecta ſunt viſcera, in praecipiti ſolent eſſe laborantes.

Dum facile et urina et ſudores propelluntur, illaque neque nimis turbida, neque admodum ruffa eſt, ſalutis indicium eſſe conſueſcit.

Alvo autem nimis cita, quae aquam ipſam effundere non videtur, timere plus licet quam ſperare, ob virium languorem ea effectum.

Mali ſunt hydropes quicunque recurrentes. Peiores vero motus febriles, quod maciem plerumque indigitant.

Praeſidio ſolent eſſe remedia, quae aquam eliminant, tolluntque cauſſas colluviei. Conſultiſſimum eſt, utrumque finem eadem medicina attingere.

Ubi interna non ſuppetunt remedia, cutis aptiſſime inciditur et aqua per tubulum emittitur: raro id autem ſufficit, dum interna remedia adhibita ſunt.

Tum urina tum alvo vomituque, tum denique ſudoribus aqua plerumque excernitur. Naturae autem nutibus obtemperare oportet, atque ad eam obverſum eſſe viam, quam natura commonſtrat: ef-

fectibus autem potiſſimum remediorum id coniectare licet.

Potus copioſi, olim penitus prohibiti, adminiculo ſaepius eſſe in hoc morbo, ubi vehementer ſitiunt aegri, experientia docuit. Concedendi itaque, niſi nimis phlegmatica fuerit corporis conſtitutio. Minerales inprimis inſerviunt aquae, quod urinam maxime ciere ſolent.

Protinus autem primae purgentur viae, quo facto finem curationis iamiam ſaepius conſequimur: ſiquidem hydropes ſuper affectus animi et tertianas febres male curatas nati, manifeſto ſaepius vomitoriis adlevantur. Tartari etiam cremor his praeſidiis adnumerandus eſt.

Prodeſt e vena ſanguinem mittere, cum eius abundantia ſyſtematis abſorbentis vitia generata eſſe videntur.

Dum ulcera vetera exſiccata aut exanthemata retropulſa accuſari videntur, arte ulcus excitandum eſt, ſimul autem ſulfur antimonii auratum exhibetur, portione paullatim aucta.

Ubi viſcerum obſtructiones nondum nimis inveteraverunt, finem noſtrum ſaepius attingimus hepate ſulfuris exhibito, quem vero ad drachmam usque exhibere licet.

Ubi debilitatum eſt corpus et laxatum, mitiora diuretica, e. g. aſelli, praemittenda, quae denique,

aucta ſenſim portione, ſcilla ſequi poteſt, efficaciſſimum plerumque remedium, niſi minoribus iam portionibus vomitum cieat.

Ubi ſpaſmi vigent, conferunt ſaepius diuretica cum opio et caſtoreo.

Circumſpiciendum autem, ne robur vires amittant. Extracta igitur amara in ſolutione ſalis alcalini concentrata cum aceto ſcillitico propinentur, (vid. *elixirium reſolvens*,) ultimo vero loco, excreta iam aqua, cortex exhibeatur peruvianus.

Ubi pronus eſt aeger ad ſudores, ſubveniatur ſis aceto ſcillitico cum alcali volatili.

Varii quidem hydropes draſtica requirunt purgantia, cui uſui vel maxime idoneae ſunt pilulae Ianini hydragogae.

Generatim vero tempus id eligendum, ubi medicina quaedam, iamdudum fruſtra tentata, ſubito demum efficaciam ſuam praebet: cuius vero temporis finitio a latentibus nonnunquam conditionibus pendere ſolet.

Iuvant quoque interdum radices ſenegae, armoraciae, naporum gongylodum, oleum terebinthinae et ſuccus baccarum ſorbi inſpiſſatus.

Ubicunque venerea aliquid acrimonia contulit ad gignendum hydropem, aptiſſime mercurius nitroſus ita adhibetur, ut lotium maxime provocet.

Oedema pedum.

Excipit id facile refrigerium, excretionesque nimias, ubi roborantibus cedere ſolet.

Graviditatem etiam non raro comitatur, ubi preſſionem ſolam in vaſa agentem ſequitur.

Cauſſae maior pertinacia hydropem ἀνὰ σάρκα et aſcitem pediſſequos facit oedematum.

Quod dum omnes medicorum conatus eludit, coniecturae locus eſt, hydropi thoracis corpus favere, cuius demum ortum aſthmatis cum oedemate alternum connubium manifeſtat.

Hydrops ἀνὰ σάρκα et leucophlegmatia.

Cum tota cutis facies contento in tela cellulari aquoſo latice inflatur, dicitur is morbus hydrops ἀνὰ σάρκα. Quem cum cacochymicus ſtipatur habitus, leucophlegmatiae nomine venit.

Neque alia hydropis ſpecies vel leviores agnoſcit cauſſas, neque facilius curationi cedit.

Plerumque ſuppetunt vomitoria, primas vias purgantia copioſusque cremoris tartari uſus.

Saepius excipit febrem ſcarlatinam, conferunt autem in eo caſu, quae ſudorem movent.

Ubi complicatur cum aliis hydropibus, eorum ratio eſt habenda.

Nonnunquam veſicatoria et punctiones, quae acubus fiunt, aquam emoliuntur: ubi humores

autem acres vireſque infractae ſunt, audendum id non eſt, cum eiusmodi vulnera gangraenam facile concipiant.

Hydrops aſcites.

Colluviem ſiſtit aquoſam in abdominis cavo.

Interſunt autem inter hanc aliasque hydropum ſpecies ſequentia ſymptomata: inflatur abdomen: ſtante vero aegro inferior, decumbente eo is maxime locus intumeſcit, cui aeger incumbit.

Fluctuantem aquam contrectans manus facillime percipit, aequali omnino tumore.

Adeſſe ſimul ſolent obſtructorum abdominis viſcerum ſigna, ſpiritus fit difficilis, ſitis male habet, urinaeque ruffae exigua tantum copia ſecedit. Pedes raro intumeſcunt, brachia autem ſenſim conficiuntur.

Pertinacia praeſtat hydrope ἀνὰ σάρκα, diureticis rarius debellandus. Multo magis iuvant draſtica purgantia. V. *pilulae Ianini hydragogae.* Quae ubi irrita ſunt, utiliter aqua tubulo emittitur: curandum tamen ſimul, ut lentiſſime paullatimque aquam emoliamur, ut inter haec vinciatur abdomen, ut diligentiſſime vulnus ab aëris externi aditu caveatur. Emiſſio enim nimis cita animae defectiones ipſumque exitium gignere poteſt; aërisque contactu, quidquid ſupereſt, facillime putreſcit.

Impedita aliquando aquae reſorptio, ſpaſmi ope eſſe videtur. Irritis itaque vulgaribus remediis, ſpaſmisque, maxime urinae difficultati, accedentibus aptiſſime opium opponitur.

Hydrops pectoris.

Non pronus ad cognoſcendum, cum externus haudquaquam adſit tumor, licet eum, qui in morborum cognitione verſatus eſt, raro effugiat.

Vulgaria autem ſigna verſantur in ſpiritibus difficillimis et anhelationibus motu auctis: in faciei pallente inflatione: in anxietate peculiari, quam, dum ſomnum quaerit aut eo expergiſcitur, aeger ſentire ſolet: in manibus tumidis: in pulſu inordinato: in moleſtiis inter cubandum: in ſignorum denique abſentia, quae ulcera pectoris comitantur.

Dum facilius in alterutrum latus aegri cubant, alterutro etiam pectoris cavo aqua contineri videtur, utroque vero, dum neutri incumbere lateri valent.

Palpitationes cordis frequentes, doloresque medium quaſi pectus perforantes, indicio ſunt pericardium aqua occupari.

Quae ubi, mediaſtinum tenet, facilius interdum in utrumque latus decumbere aegri poſſunt, difficilius vero in dorſum, pectorisque anteriorem partem nimis arctam ſentiunt.

Curatu difficillima haec hydropis ſpecies, plerumque et diuretica ſpernit et ſolventia: purgantia vero ſaepius adminiculo eſſe ſolent.

Ubi quis forare ſternum ſtudet, anceps is remedium eligit: cautiſſime itaque haec curatio inſtituenda.

Expediunt nonnunquam fonticuli pedibus admoti.

Interdum celluloſam pulmonum telam aqua occupat. Vocatur is morbus *hydrops pulmonum*, indicatus ei habitu cachectico et pedum tumoribus et ſpiritus difficultate tuſſique male habente. Pulſus eodem ac in hydrope *ἀνὰ σάρκα* modo, mollis ſolet eſſe et undoſus.

Curationis ratio eadem habenda, quam in hydrope *ἀνὰ σάρκα* praecepimus.

Hydrops peritonaei.

Burſas id quandoque format, quibus aqua occluditur.

Differt autem ab hydrope abdominis tum inaequalitate tumoris, tum eo, quod idem in quovis aegri poſitu maneat. Umbilicus magis prominere ſolet quam in aſcite.

Ceteroquin bene aeger valere ſolet, urinae quoque curſus ſimili plane modo, ac dum ſanus eſſet

aeger, obſervatur: in plures etiam annos tumor nonnunquam porrigitur ſine inſigni ſanitatis labe.

Quodſi iamdudum traxerit aegrum valetudo, manu potius et ferramentis curatur; inciditur nempe tumor, ut, quidquid in ſacco continetur, protinus emanet, ſuppurationisque ope in unum cogi poſſit vulnus.

Hydrops ovarii.

Inferioris abdominis latera tumor occupat, aegra bene plerumque valente.

Fluctuare aquam, tum ob poſitum tum ob aquae indolem aegerrime obſervamus. Forato enim tumore effunditur interdum ſpiſſus aliquis et melli ſimilis latex.

Arte quidem pauca tantum efficiuntur. Ruptis tumoris tunicis aſcites oriri ſolet.

Interdum tamen draſtica adminiculo ſunt purgantia. Contingit etiam, tumorem adeo intendi, ut aperiri poſſit.

Hydrops uteri.

Extus quidem fluctuantem aquam percipere non licet, quamvis tumidum ſentire uterum facile poſſimus, aegraeque prolabi fere uterum credant.

Cum debilitatem potiſſimum agnoſcat, diuretica itaque et ſolventia non ſufficiant, tum balneis

frigidis, tum aliis medicinis, quae corpus firmant, ſuccurrendum eſt.

Occluſum, quod interdum obſervatur, uteri orificium, et vaporibus calidis et pellentibus et ferramentis referetur.

Facile quoque hydatides uterum occupant, purgantibus eradicanda.

Hydrops ſcroti.

Adiungitur plerumque aliis hydropibus, apud infantes tamen per ſe exiſtit.

Suppetunt potiſſimum et ſolventia extus applicata et inciſiones.

Hydrocele.

Colluviem ea complectitur aquoſam in tunica vaginali teſticuli. Aegerrime teſtis ſentitur, niſi intumuerit ſive obduruerit. Pellucidus eſt tumor, ni cruor aquae admixtus ſit.

A ſarcocele differt imprimis maiore contractilitate. Praeputium autem ipſumque membrum nequaquam inflata obſervantur.

Internis raro curatur remediis. Ferramentis itaque ſcrotum incidendum, licet ſuppuratio moleſtias ſaepe inſignes excitet, meliusque perficiatur, dum ſetaceo et aperiatur ſcrotum, et ſuppuratio promoveatur et vulnus in unum cogatur.

Hydrocephalus.

Capitis tumor a colluvie aquoſa ortus hydrocephali nomine venit. Partitio autem eius ſtatuitur, quae externum ab interno diſcriminat.

Hydrocephalus externus.

Per ſe haec valetudo rara eſt, internum tamen hydrocephalum ſubinde excipit.

Cognoſcitur inflatis capitis velamentis, quae comprimi poſſunt. Occupat aqua vel locum, qui inter cutim, galeam aponeuroticam et pericranium, aut eum qui inter id ipſumque cranium eſt.

Illic quidem inſignior ſolet eſſe tumor et mollior: hic vero durior magisque dolens. Illum caſum plerumque cachecticus comitatur ſtatus: hunc vero produxit vel laeſio externa, vel hydrops etiam internus.

Eam circumſpicere differentiam debet, qui morbo mederi cupit.

Cachecticae corporis conſtitutioni opponantur ſolventia, diuretica et amara. Ubi vero bene corpus valet, inciſionibus et veſicatoriis aqua eliminetur, novaque colluvies arceatur pittaciis impoſitis et roborantium interno uſu.

Hydrocephalus internus.

Colluvies ſic dicitur aquoſa inter cerebrum et cranium aut inter velamenta utriusque. Poſſitne

aqua obtinere locum, qui cranium et duram intereſt meningem, dubium adhuc eſt, rariſſime ſaltem contingit.

Pueris duntaxat familiaris eſt valetudo, ubi cranii oſſa cedunt facileque a ſe invicem ſecedunt. Nonnunquam oſſa pariter ſpiſſa manent, interdum vero pellucida penitus fiunt.

Progreſſu quoque temporis interſtitia implentur ſubinde oſſea materie. Bulborum oculi dimidia tantum pars obtegitur palpebra inferiore. Segnes tardique et ſomnolenti fiunt infantes loquique dediſcunt. Frigidi pedes denique omnino reſolvuntur. Ad haec plerumque cachexia accedit.

Efficitur is affectus tum ſcrofuloſo et rachitico veneno, tum ſcarlatina febre, tum violentiis foris adlatis.

Curatio difficillima eſt, letifera inſuper emiſſio aquae, ni inciſionibus ea lentiſſimoque modo fiat. Emoliamur itaque laticem ope ſolventium et diureticorum, ad quem uſum ſuadeo praeſertim mercurium nitroſum: vincturis deinde paullatim comprimendum caput, ni oſſa iamiam concreverint.

Hydrops cerebri.

Colluviem complectitur aquae in ventriculis cerebri.

Licet adultiores, imprimis maniacos et melancholicos, non raro corripiat, frequentiſſimus tamen eſt in teneriuscula aetate.

Ab hydrocephalo interno non conſtanter ſed eo tantum differt, quod capitis oſſa expanſa non ſint. Easdem itaque cauſſas, in infantibus ſaltem, agnoſcit. Ubi aetas autem induravit, excipere poteſt morbos nervorum.

Cognitu difficilis eſt, cum nulla exterior inflatio obſervetur, ſimillimusque febri verminoſae ſit. Ciborum non ſolum coctio labefactata, ſed pruritus etiam narium ac pupillae dilatatio eam confirmare ſimilitudinem videntur. Quodſi vermes ſimul adſunt, primordia morbi aegerrime dignoſcuntur. Lucem plerumque infantes fugiunt: erecti ſedere nequeunt, cum tuſſis et anxietas male inde habeant. Ad haec continuum queruntur dolorem ſuper orbitis, ab altero tempore ad alterum progredientem, ac ſubinde cum doloribus colicis alternantem.

Accedunt colli obſtipitas aut rigor: membra convelluntur et reſolvuntur: tandem ſopores pulſusque exiles frequentiſſimique in mortem praecipitant.

Quatuordecim ſaepe diebus terminatur morbus, trahere tamen per plures poteſt menſes. Pulſus antea celeres, tardi deinde fiunt et magis inordinati. Superſunt cum calore febrili reliqua ſymptomata.

Inten-

Intenditur iterum frequentia pulſus ſex aut octo dierum ſpatio ante mortem, multoque magis quam initio, ſpiritus vero breves fiunt et tardi.

Circa cauſſas et medelam morbi nihil diffindere auſim.

Qui inflammationem credunt, quam transſudatio aquae ſequatur, ſententiam hanc praecipitante morbi exitu ſtabilire ſatagunt.

Dum protinus ab initio morbus cognoſcitur, non aliena ſunt derivantia, refrigerantia eaque remedia, quae urinam cient; ſanguis itaque e vena mittendus hirudinesque admovendae. Poſſunt etiam ad eum morbum veſicatoria.

Nihilominus nullum exſtat ſanati hydropis cerebri certum exemplum. Auxilio fuiſſe mercurius fertur ineunte morbo. Neque tamen negandum, frictiones nimis tarde, cauſtica vero mercurialia vehementer nimis agere.

Spina bifida.

Ad cerebri hydropem plerumque interni ſpinae cavi colluvies accedit aquoſa, cum e quarto ventriculo facile humor eo promanare poſſit: maxime vero ea coniectura locum obtinet, ubi artus inferiores reſolvuntur.

Subinde, praeſertim apud infantes, vertebrarum lumbalium proceſſus ſpinoſi fiſſi ſunt, quos pe-

rioſteum ſpinae penetrans prominentes excitat tumores, unde nomen morbus adeptus eſt.

Periclitantur fere,. quibus ii tumores incidun-tur, ac aqua emittitur: initio vero vincturis idoneis adlevari aegritudo poteſt.

Hydrops articulorum.

Genu imprimis iis obnoxium eſt tumoribus, ubi in articuli capſula aqua congeritur.

Cognoſcitur affectus e moleſtiis, quas motus afferunt, tumoreque, extenſo membro oriente, facileque comprimendo, minus vero, dum flectitur genu, percipiendo.

Ubi cachexia corpus occupat, violentias nonnunquam externas ſequitur.

Tentetur primum emplaſtrum reſolvens e mercurio cum gummi ammoniaca, addantur huic reſolventia et diuretica interna. Quae cum non ſufficiunt, ſuſpenſa manu incidatur cutis ſuraeque admoveatur veſicatorium. Emiſſa aqua firmetur membrum aquis frigidis martialibus. Manuum tumores aquoſi hydropi plerumque thoracis, velut conſtantia immorantur ſymptomata.

EMPHYSEMATA.

Efficiuntur ea expanſo aëre, qui cavum aliquod occupat. Diſtinguuntur ab aquoſis tumori-

bus, colorum dolorumque defectu et maiore contractilitate.

Emphyſema ipſum.

Vocatur ita inflatio cutis, quam aër gignit in tela cellulari contentus. Peculiarem contrectata prodit ſonitum, premique poteſt hâc illâcve.

Oriri ſolet, dum foris ingeritur aër atmoſphaericus. Ita penetrantia pectoris vulnera facile excipit, dum per laeſos pulmones in telam cellularem vicinam aër eliditur.

Contingit autem interdum, fixum aërem, qui corpora fere omnia occupat, fermentatione quadam fluidorum elici eamque cutis inflammationem producere. Talia emphyſemata adiunguntur nonnunquam et febribus putridis et ſphacelo et nervorum morbis.

Venenatorum praeterea animalium morſu ea ſubinde excitantur. Frigoris denique intenſo gradu gigni ea poſſunt.

Eius differentiae rationem habere oportet, qui morbo huic mederi cupit.

Aëre foris illato, cauſſa remota tollatur, aërique cutim occupanti inciſionibus via qua exeat, paretur.

Ubi vero ex humoribus aër evolutus eſt, negotii plurimum curatio faceſſet, ni natura opem ferat

praecipuam. Fermentationis eius cauſſa adeo latet, ut certa quaedam medelae praecepta ſuperſtrui iis nequeant.

Indicationes autem manifeſtas potiſſimum ſequamur.

Tympanites.

Appellatur ita abdominis diuturna inflatio, adeo ſaepius tenſa, ut ſonitum peculiarem percuſſa edat.

Intereſt inter hunc morbum et hydropem is fragor, intereſt fluctuantis aquae defectus maiorque aegri levitas, intereſt inflatio anteriorem potius abdominis partem, quam latera occupans: cachexia denique raro aeger laborat.

A colica flatulenta differt diuturnitate continua: meteoriſmus vero acutas potius febres comitari ſolet.

Nupta eſt haec valetudo plerumque pertinacibus alvi obſtructionibus, ſingultui vehementi crebrisque vomitibus.

Aër occupat vel inteſtina vel abdominis cavum. Hoc quidem caſu flatus nulli fere ſecedunt, neque dum ipſum ſedet abdomen, neque emiſſi levamenti aliquid afferunt.

Cauſſae ita agere ſolent, ut aëris fixi evolutioni faveant, excretionemque ipſius impediant.

His adnumerari poſſunt ſubitaneae ſanguinis profluviorum interceptiones, obſtructiones viſce-

rum pertinaces, ulcera abdominis interna, veſiculae praeſertim felleae, inteſtinorum denique vel coarctatio vel reſolutio.

Curaturum experiri oportet; inteſtina occupet aër, an abdominis cavum.

Quodſi enim cum levamento flatus interdum propelluntur, dolentibus ſimul inteſtinis, quodſi inaequales tumores inflationem comitantur, coniectare licet inteſtinis aërem reſidere. Quo quidem caſu primae protinus viae purgandae, remediorumque ope antiſpaſticorum tum internorum tum externorum aër propellendus: alvi ſimul quotidie cura habenda.

Quo facto in cauſſam inquirendum eſt, ut tolli denique poſſit.

Ad viſcerum obſtructiones poteſt vel ſulfur antimonii auratum, vel tartarus emeticus, auctis paullatim portionibus.

Laxitati opponenda extracta amara et roborantia.

Adverſus calloſas vero coarctationes ars nihil omnino valet. Dum ſpaſmus ſolus adeſt, uſui eſſe opium ſolet, mollientia tamen fomenta ſimul abdomini imponenda. Ubi reſoluta eſſe inteſtina videntur, glaciem abdomini admovere confert.

Diligenter interea circumſpiciendum, ſanguinis

profuſionibus faveat aeger, quae, dum ex conſuetudine non reſpondent, aptiſſime revocantur.

Irrita vero omnia ſolent eſſe conata, cum aër abdominis cavum occupans, obſtructiones pertinaciſſimas ſive ulcera excepit inſanabilia.

Paracenteſis ſaltem nulli unquam uſui fuit.

Fit nonnunquam, ut obſtructio pertinaciſſima nullis cedat remediis vomitusque ſimul creberrimi aegrum exerceant. Optime ibi expediviſſe alvi lotiones, quae aërem fixum excipiebant, expertus ſum, dum fruſtra quibusvis aliis remediis uſus fuiſſem. Alvum iis non ſolum duxi, ſed interceptum per haemorrhoides ſanguinis curſum ita reſtitui, ut abdomen protinus conſideret ceteraque ſymptomata fere omnia deſinerent. Aëris fixi intra thoracem colluvies certis quibusdam ſignis caret.

DE MACIEBUS.

Cuius corpus, non rite nutritum, macrum fit viresque franguntur, is macie laborare dicitur. Oritur is morbus:

1. vel ciborum coctione et chyli paratione infirmatis;

2. vel febre remittente et continua, quae corporis vires exhaurit. Priori quidem caſui plerumque motus adiunguntur febriles: tantum tamen abeſt,

ut maciem ii gignant, ut potius ſymptomata eiusdem habendi ſint.

Poſteriori vero caſu morbum quidem generat febris, efficitur tamen iisdem cauſſis, quae primam producunt maciei ſpeciem, internis nimirum ulceribus. Iuxta id diſcrimen macies abeunt in tres potiſſimum ſpecies:

1. *tabes* ſeu *atrophiae* vocantur aptiſſime, ubi macies haudquaquam febrem ſequitur;

2. *febres hecticae* dicuntur, ſi febris quidem maciem producit, ipſa vero exulcerationes neutiquam excipit;

3. *phthiſes* denique appellantur, dum et macies et febris exulcerationibus gignuntur.

ATROPHIAE.

Ad eos quidem morbos ſaepiſſime lenta accedit febris, eo autem tempore, ubi macies quodam modo iam inveteravit. Cumque ea febrem non ſequatur, hac etiam ſublata, morbus ipſe curari nequit.

Atrophia infantum.

Qui hoc laborant morbo infantes, vel nunquam cibos appetunt, vel iis aegre ſatiuntur, maxime ſolidioribus et farinoſis.

Intumeſcit ſimul abdomen et obdureſcit. Alvus ſolet eſſe vel rara et adſtrictior, vel cita ſimul

et ſine modo fuſa. Noctu ſitiunt multumque ſudant. Ad haec paullatim conficitur corpus, imprimis artus, animi vires languent, tandemque febris aegrum praecipitat.

Humor quandoque unguinoſus in glandulis cutaneis ſtagnans in vermiculi ſpeciem exprimitur, unde, non parvo errore *comedones* exire creditum eſt. Neque tamen vermiculi veri, neque maciei cauſſae ſunt, ſed hanc comitari ſolent.

Proxime vero antecedere morbum ſolet impedita chyli confectio ac nutrimentorum adſimilatio.

Remotis cauſſis accenſentur:

1. lac nutricum non ſalubre, ſed vel animi adfectibus, vel aliis demum cauſſis depravatum. Satius eſt, aliam eligere nutricem vel infantem a lacte nutricis deſuefacere;

2. nutrimenta abſona nimisque crebro ingeſta. Panis butyro illitus ſolanorumque tubera, nimia copia ingeſta, ubi motibus idoneis ſimul caret infans, ſaepiuscule maciem excitarunt. Qui quidem victus errores vitandi motibusque corpus exercendum eſt;

3. glandularum abdominis obſtructiones, quae vel ab acrimonia ſcrofuloſa vel ab ingeſtis nimia copia cibis oriuntur. Iis autem opponantur et liquor terrae tartari foliatae cum tinctura rei aquoſa

et aqua Rulandi benedicta, deinde vero amaris ſolida firmentur;

4. aër depravatus, quo et ſecretiones et excretiones offenduntur glandulaeque obſtruuntur. Saepiuscule vincitur morbus aëre puro ſiccoque, tum balneis initio calidis, poſt egelidis, paullatimque frigidioribus: ratio tamen cauſſarum dictarum ſimul habenda.

Phthiſis nervoſa.

Differt a proximis debilitate ſyſtematis nervorum ſingulari, qua omnes ſingulaeque functiones labefiunt.

Oritur:

1. excretionibus nimis frequentibus, e. g. ſanguinis profuſionibus, ſudoribus, alvoque ſupra motum cita;

2. iis affectibus, qui animum exaſperant continuo et infirmant, moerore maxime et ſollicitudine;

3. morborum nervis diuturnis, quibus praeſertim membra convellebantur;

4. potuum ſpirituoſorum abuſu.

Plurimum refert, corpus nutrire, variisque et motibus iucundisque remiſſionibus animum exhilarare, nervosque tandem et cortice peruviano et balneis martialibus firmare.

Quodſi potibus ſpirituoſis nimis aſſueti ſunt aegri, paullatim iis aliquid ſubtrahatur, medicamento ſpirituoſis vehiculis excepto.

Tabes dorſalis.

Phthiſis nervoſae ſpecies haec tum cauſſa tum curatione ab ea differt.

Prominent conſtanter ſpinae dorſi proceſſus ſpinoſi, ſenſusque oboritur, quaſi formicae per dorſum proſerpant. Dolores ſimul artuum accedunt animique vires paullatim langueſcunt.

Nimiam ſeminis profuſionem plerumque excipere ſolet.

In curatione nutrimentis cautiſſime agendum, quippe quae ſeminis ſecretioni faveant. Unicum afferunt adminiculum lacticinia, fructus horaei, olera, aquae martiales, balnea frigida atque abſtinentia earum rerum, quae pudenda irritare valent.

Maraſmus ſenilis.

Aetate confecti viribus fere magis magisque carent, partesque et rigent et obdureſcunt. Unde functiones fere omnes labefiunt, corpus autem neque rite nutritur, neque ſordibus bene privari poteſt.

Diutiſſime tamen pernities arcetur aëris uſu ſereni, motibus congruis, cibis, qui leviter nutriunt,

generoſi vini modico uſu, animi denique iucunda occupatione.

DE FEBRIBUS HECTICIS.

Lenta ſic appellatur febris, quae conficit corpus, viresque exhaurit, neque tamen exulcerationem ſequitur.

Quae quamquam continua ſit plerumque, intenditur tamen veſperi, noctu calorem cum ſiti ſudoribusque exagitans, ſomnumque ita turbare ſolet, ut nequicquam reficiat vires.

Paſtum quoque leviuscula quaedam excipit intentio, quae brevi transire ſolet. Lingua potius rubra quam immunda eſt. In plures ſaepius annos febris porrigitur, dum cum victus ſalubritate bene corpus valet cauſſaeque effectibus alternant.

Proxime efficere eam acrimonia videtur quotidie ſanguini admiſta, quae, ubi acutiſſimo ſenſu ſolida gaudent, excitare eam poteſt.

Per cauſſas, quae eam gignunt acrimoniam quarumque ratio eſt in curatione habenda, eae febres diſpenſantur. Etenim vel raro vel nunquam adverſus ipſam febrem agere poſſumus, quamvis virium conſervationi inſudare conveniat in quavis cauſſarum differentia.

Sequentes autem ſpecies maxime vulgares ſunt:

1. ſupernaſcitur febris ſordibus primarum viarum, quas ſuſpicari licet, ubi aliae cauſſae latent, ciborumque cupiditas vel nulla eſt, vel nimia.

Purgantibus tamen eae ſordes, ne eliminentur cavendum, cum vires iis admodum infringi ſoleant. Protinus itaque mobiles fiant, deinde vero vomitoriis propellantur. Univerſa ſaepe curatio perficitur auxilio terrae foliatae tartari, initio exiguis portiunculis exhibitae, quam aqua ſequatur Rulandi benedicta, ut vomitus citetur. Egeſtis ſordibus, corticis uſus imperatur ad recurſus morbi arcendos, eodem autem, quem in febribus intermittentibus praecepi, modo agendum.

2. Vermes ſaepiuscule, maxime in infantibus, hecticas generant febres.

Fugienda et hic ſunt purgantia, praeſertim mercurialia. Amara protinus anthelminthica, ante meridiem; veſpertino vero tempore potus ſalini frigidiusculi devorentur, vomitusque nonnunquam cieantur. Amaris tandem vitriolum martis adiungendum, quo mucus non ſolum verminoſus deſtruitur, ſed ipſa quoque inteſtina firmantur.

3. Organorum, quae digeſtioni inſerviunt, debilitas chyli confectionem impedire poteſt, quod et ſordium defectu, et ſatietate aegrorum ſupra conſuetudinem cita et mala cum ciborum cupiditate coctione cognoſcitur.

Egregie conferunt victus ſalubritas, potuum calidorum et ſpirituoſorum abſtinentia, corporis exercitatio, corticis peruviani aſſiduus uſus.

4. Debilitas univerſum ſaepe corpus occupat ſuper excretiones nimias, ſudores, alvi profluvia, ſalivae nimium curſum, ulcera externa et lactationem nimis protractam. Accumulantur ibi immundi facile humores.

Oritur tamen etiam febris ex aſſimilationis defectu nimiaque irritabilitate, cum vel leviſſima et alioquin inſons adeſt acrimonia.

Nutriatur ibi corpus et firmetur, ut irritabilitas minuatur, acrimonia autem vel ſponte ſua ſecedat, vel ſine noxa deinde egeri poſſit. Simul tamen magnam curam habeamus, ne nimiae excretiones aegrum trahant.

5. Supereſt quandoque morbis acutis imperfecte ſolutis acrimonia, quae lentam excitare febrem valet.

Ibi ſolutionis primum impedimenta e medio tollantur, deinde ſubveniatur excretionibus, quibus materiem ante propellere natura ſatagebat. Optime poteſt ad eos caſus ſulfur antimonii auratum, auctis paullatim portionibus.

6. Sustinetur quandoque acrimoniaillioſa affectibus animi continuis, velut cura, moerore et ſollicitudine, quibus demum hectica generatur febris.

Summa curationis tunc verſatur in removendis iis rebus, quae animum exaſperarunt, atque in eo exhilarando.

7. Repreſſa nonnunquam exanthemata febres hecticas gignunt.

Quae ubi acuta ſunt uſui eſſe ſolent et diaphoretica et diuretica et veſicatoria. Quodſi vero diuturna fuerint, velut ſcabies, herpetes, reſtituantur, ſive eradicetur potius diſpoſitio remediis congruis internis.

8. Excretiones habituales interceptae hecticarum quoque febrium cauſſis accenſendae, e. g. ſanguinis profluvia, ex conſuetudine non reſpondentia, ſudoresque pedum repulſi.

Cum virium maxime ratio habenda ſit in febribus hecticis curandis, ſanguis nequaquam protinus e vena mittatur, dum a profluviis eius defectus eſt homo, admovendae potius locis ipſis hirudines, revocandaque profluvia et motibus congruis et fomentis. Suppetit plerumque ea ratio ad ſudores revocandos.

9. Viſcerum obſtructiones efficiunt eas febres, dum et ſecretiones et excretiones offendunt.

Iungenda ibi ſunt roborantibus ſolventia, cum virium proſtrationem hydrops facile excipiat.

10. Pertinent huc acrimoniae peculiares ſpecifi-

cae, cum ſcorbuticam et veneream acrimoniam febres hecticae ſequi ſoleant.

Iuxta acrimoniae eius differentiam, curatio ordinanda. Ubicunque virus venereum velut cauſſa agnoſcitur, proſunt et lacticinia et mercurius dulcis cum cortice peruviano.

11. Hydropibus ſaepius immoratur febris hectica, tamquam ſymptoma, quod, ſublato hydrope, deſinit.

12. Attrahit denique debilitas univerſalis et inſanabilis hecticam febrem, quod quidem tum in maraſmo ſenili, tum in tabe dorſali, tum in phthiſi nervoſa, contingit.

DE FEBRIBUS PHTHISICIS.

Quodſi certum aliquod diſcrimen inter phthiſin et hecticam febrem ſtatuere cupiveris, eas febres hecticas phthiſium nomine inſignire oportet, quae e purulentae materiei reſorptione originem ducunt.

Vocatur itaque *phthiſis*, exulceratio quaedam interna aut ſuppuratio, quam hectica febris excipit. Exſtant quidem caſus, ubi febris ea, exulcerationes comitans, puri reſorpto tribuenda non eſt, quemadmodum ulcera interna citra omnem omnino febrem adeſſe poſſunt. Morbi tamen definitionem id non mutat, neque ullas gignit noxas.

Varii quidem medici adiudicant puri cauſſam febrilem materialem; nequaquam autem certo conſtat, reſorpto pure phthiſica febris gignatur, ſive ſequatur potius ſtimulum ſuppurationes internas comitantem inflammatorium, ſive materies febrilis ex impedita, pulmonibus obſtructis, aut exeſis, acrimoniae excretione oriatur. Neque tamen praeſidia artis inde petenda ſunt.

Plurimum intereſt, ut cauſſae ſuppurationis tollantur.

Sequitur ea vel manifeſtam inflammationem, vel citra eandem oboritur, vel materies etiam lympha potius corrupta quam pus, aut humor in ulceribus generatus eſſe poteſt.

Purulentus ipſe humor vel profunditur ex ulcere aperto vulgari, quo quidem caſu exulceratio dicitur: vel ſacco peculiari occluſus, vomicae nomine venit: vel effuſus in thoracis cavum empyema efficit: vel aſcites dicitur purulentus, dum cavum occupat abdominis.

Ubi manifeſta viguit inflammatio, ſuppurationis ſuſpicio oritur, dum vires vel infirmiores vel actuoſiores, inflammationi diſcutiendae pares non ſunt, dum nimiam adipiſcitur vehementiam inflammatio, dum inſignis adeſt humorum acrimonia, dum male tractatus eſt morbus, dum catarrhi acuti aegrum diutius traxerunt, dum remedia efficacia haud-

haudquaquam fuerunt, doloris exemplo, poſt ſanguinis miſſionem non mitigati, dum aptum diſcuſſioni tempus praeteriit, dolorque ſeſe remiſit, functione partis affectae continuo laeſa, dum denique ſolutiones, quibus diſcuſſio indiget, interceptae ſunt.

Ubi nulla praeceſſit ſuppurationem manifeſta inflammatio, metuenda ea eſt, dum partem quamdam frequentes exercent dolores, dum humores nimis crebro ex ea profunduntur, functione protinus laeſa, febriculaque cum horripilationibus accedente.

Tubercula interdum ſuppurationem concipiunt, citra praegreſſam inflammationem.

Poteſt vero in laxo quodam corpore, humoribus praedito acribus, latex aliquis diutius ſtagnans purulentam adipiſci indolem, adeoque phthiſin generare, quod divinare licet tum ex affectae partis doloribus, tum e febrilibus, citra aliam quamdam cauſſam motibus.

Sola exulceratio plerumque dolores contrahit.

Vomicam ortam extimeſcimus, dum dolor inflammationem comitans mox abit in ponderis ſenſum, ſuppurationis ſimul apparentibus ſignis, ſine puris eiectione. Quamdiu penitus occluditur ea vomica, nulla oritur phthiſis, quamquam hecticam poſſit febrem generare. Neque tamen is perſiſtere poteſt affectus, ſed aperitur vomica ita, ut pus

non penitus eiiciatur, parte eius in ſanguinem transeunte et febrem excitante hecticam, vel penitus aperitur.

Hoc demum caſu purulentus humor vel eiicitur e corpore vel in cava eiusdem effunditur, unde empyema et aſcites purulentus originem ducunt.

Cauſſae, quae citra inflammationem, ſuppurationem producunt, ſunt:

1. laeſiones, quibus vaſa partium vel rumpuntur vel adeo imbecilla fiunt, ut humor in iis contentus effundatur, ſtagnationeque in puris naturam abire poſſit;

2. ſtaſes arthriticae calculoſaeque materiei, tubercula ſiſtentes initio dura ac cruda, deinde vero molliora et cocta. Eorum tamen ſuppurationem praegredi videtur inflammationis quaedam ſpecies, partes vicinas afficiens, cum dolor utplurimum naſcatur pungens, cui vero febris neutiquam reſpondet. Reſidere vero in tela pulmonum cellulari videntur, differt autem phthiſis pulmonalis inde orta, ab ea, quae glandularum bronchialium ſuppurationem ſequitur;

3. exanthemata retropulſa. Ex acutis morbilli, e diuturnis vero ſcabies ſuppurationibus internis maxime favent;

4. ulcera externa, quae ex conſuetudine humo-

res profuderunt, praepoſtere in unum coacta, puris collectiones internas gignere poſſunt;

5. ſtaſes ſanguinis, cuius ſuetus intercipitur curſus;

6. peculiares huc etiam acrimoniae pertinent, praeſertim rheumatica, arthritica, ſcrofuloſa, ſcorbutica et venerea;

7. contagio praeterea variae ſuppurationes propagari videntur, quod in phthiſi pulmonali non raro contingit;

8. quin interna exiſtit opportunitas, qua, citra manifeſtam occaſionem, pus ſaepe colligitur.

Periculum afferunt utique omnes eae ſpecies.

Curemus autem:

1. ut ſuppurationis cauſſae arceantur, quod arduum profecto ſaepius eſt. Ubi leviſſima inflammationis ſuspicio adeſt, ex toto antiphlogiſtica curatio eligatur. Expedit autem opium, dum ſpaſmis potius ſtaſes collectae ſunt. Praeterea imperandus eſt is victus, qui corpus implet.

Tubercula arthritica et calculoſa, initio cognitu difficillima, negotii plurimum faceſſunt, dum poſtea latius patent. Discuti neſcia, ubi ſolvi coeperunt, eiectionem omnino promovere et antiſpaſticis et mollientibus oportet.

Exanthemata retropulſa vel revocentur vel iis remediis eradicentur, quae et ſolvunt et urinam

ſudoresque cient, vel ſpecificis e medio tollantur. Plurimum ad haec poteſt camfora.

Ulceribus externis in unum coactis ſubſtituantur et fonticuli et ſetacea, quae adſiduo nutriantur.

Si quid ſanguinis ex conſuetudine non reſpondet, id, quantum fieri poteſt, revocetur, ſive, pro virium ratione, ſanguis e vena mittatur, vel ſanguiſugae apponantur.

Ubicunque obſtructiones viſcerum abdominis ſanguinem verſus pectus pellunt, opus eſt multa ambulatione et exercitatione in aëre ſereno: paullatimque revertendum eſt ad equitationem, quae hoc demum caſu prodeſſe ſolet, ubique minime commendanda. Augetur enim puris collectio, admiſſo aëre ſereno, in variis phthiſicis.

Navigationes idcirco nonnullis bene conferunt, ob aëris maiorem humiditatem. Colligi etiam poteſt ex aëris fixi uſu in phthiſibus, aliquantum corruptum aërem profuturum eſſe, ubi nulla viget inflammatio. Vitent itaque aegri habitationem in montibus, eligant potius depreſſa loca. Ob eandem forſan rationem alienum non fuit in pecudum ſtabulis degere.

Adverſus acrimonias peculiares ſpecificis quibusdam opus eſt. In rheumatica expeditiſſimum ſiſtunt remedium, veſicatoria adſiduo nutrita.

Diligentiſſime fugiantur phthiſicorum perſpiratio, ſputorumque inquinamenta.

Naturalis vero diatheſis vel aegerrime, vel nunquam vincitur.

Ex toto vero prohibeatur, quidquid intendere ſuppurationem poteſt: caveat aeger, ne vel motibus vel animi affectibus, vel ipſis demum medicamentis incaleſcat. Opus itaque eſt, ut, quantum fieri poteſt, ſecretio quaevis et excretio promoveatur, ut aërem ſpiret purum quidem, neque tamen nimis concentratum: is enim puri quam maxime favet; opus eſt, ne quid animum exaſperet, cautiſſimeque et balſamicis et cortice peruviano agatur, quippe qui tunc demum exhibendus eſt, cum puris omnis collectio deſiit.

Ubi naturalem maxime diſpoſitionem ſuppurationi favere arbitramur, expeditius iuvant ſaepius ulcera externa arte nutrita. Inſerviunt enim inflammationi, quae plerumque praeceſſit, tollendae potius quam puri effundendo.

2. Cum vera iam adeſt ſuppuratio, ſatagat medicus, ut pus eiiciatur: fit illud pro partis affectae et vario poſitu et varia indole tum internis remediis, tum inciſione eius aut ſetaceis proxime admotis.

Externa ulcera arte petita tunc maxime utiliſſima eſſe ſolent, cum internum ulcus cum tela cellu-

lari corpus univerſum ambeunte cohaeret, ut itaque ab hac receptum pus per externum ulcus eiici poſſit. Hactenus tamen etiam conferent, quatenus purulentus humor in ſanguinem transiens eo egeritur.

Fatendum tamen, proficuum tantopere haud eſſe eorum effectum in eo caſu, quod transitum puris in ſanguinem augere poſſint, fonte illius eodem ſuperſtite. Magni itaque refert ſcire, nutriatur ulcus acrimonia interna, an ſaneſcere, eiecto pure, poſſit.

3. Simul tamen virium utique ratio eſt habenda, vitandae nimiae excretiones, imperandi cibi, quibus nec corpus incaleſcit, nec febris intenditur, vegetabiles itaque, viribus confirmandis pares, ne earum defectu acre fiat ulcus et cacoëthes.

Cortex peruvianus, facultate quidem praeditus purulentum humorem corrigendi, haudquaquam tamen conferet, ubi univerſum corpus ſuppurationi favet, cum, quae adeſt, ſuppuratio quidem corrigatur, nova tamen excitari poſſit. Generatim autem laxitati potius, quam inflammationi, purisque potius liberae effuſioni quam reſorptioni cortex eſt opponendus. Nulla ſane ratio citius praecipitare aegrum ſolet, quam corticis uſus in febre a pure reſorpto orta.

4. Ubi nullum adeſt ulcus verum, ſed ſtagnans in laxis viſceribus lympha acrem adepta eſt et purulentam indolem, egregie iuvant cortex et aër fixus ita imperatus, ut ex alcali et acido vitrioli in ventriculo demum elici poſſit.

Phthiſis pulmonalis.

Indicant eam dolores pectoris vagi, qui maxime ſub ſterno, interdum etiam aliis locis naſci videntur, tuſſis, initio levis quidem et brevis, continua tamen facileque excitata, dum aërem aeger ſpirat.

Ad haec accedit vox paulum rauca, clangoſa ſive obſcura: accedunt ſpiritus diffìciles horroresque frequentes cum vertigine et angoribus. Sputa paullatim purulenta fiunt, ſaporemque habent ſubdulcem aut ſalinum. Lingua eſt vel praerubra vel fuſca. Pulſus fit febrilis, tandemque vera accedit febris hectica.

Naturalis interdum et congenita adeſt diatheſis ad pulmonum ſuppurationem. Cognoſcitur ea facie oblonga, collo procero, ſcapulis altioribus depreſſoque pectore. Lactei ut plurimum coloris, admodum ſplendidi ſpeciem dentes ferre ſolent. Cutis eſt teneriuscula, maculaeque occupant genas praerubrae. Facile eorum hominum animus excandeſcit. Obnoxii praeterea anginis doloribusque

dentium frequentibus: ſanguinem facile tuſſi reiiciunt aut haemorrhoidibus profundunt. Diutiſſime ſaepius trahuntur, ſenſim tandem in phthiſin incidunt.

Aetatem, ab anno decimo quinto ad trigeſimum quintum, maxime is morbus corripit, eoque praecocius, quo celerius homines increſcunt, quoque frequentius cauſſis quibusdam, e. g. partu crebriori, lactatione nimis protracta, infirmati ſunt.

Pulmonum tubercula oriuntur vel e naturali quadam diatheſi, vel e materie arthritica et repulſis exanthematibus, ubi diu iam ante maciem brevis plerumque et leviuscula tuſſis male habet, quae ſaepiſſime negligitur.

Latius vero patent primordia phthiſis, quae veras pectoris inflammationes excipit. Cum quarto decimo die nondum ſoluta eſt pneumonia, dolore quidem ſeſe remittente, ſuperſtitibus tamen ſpiritus difficultate et tuſſi arida, cumque in neutrum decumbere latus aeger poteſt, dubium fere nullum ſupereſt, quin vomica exorta fuerit, occluſa quidem per aliquod tempus, ut omnes fere motus febriles deſinant, aegerque melius nutriri videatur, quae vero, vel leviſſimis occaſionibus, ex toto aperta pus in ſanguinem profundit, quo hectica generatur febris.

Acrimoniae rheumaticae, venereae et ſcrofuloſae non raro phthiſes procreant, paullatim orientes, et, ubi negliguntur, inveteraſcentes. Pertinet eo phthiſis illa, quae aſpera arteria eiusque ramulorum ſuppurationem ſupponit, *phthiſis* ideo dicta *trachealis.* Maxime anxiis ſpiritibus vocisque pertinaci raucitate et continua differt.

Catarrhi denique neglecti et inveterati phthiſi nonnunquam originem praebent: verum quidem ulcus ibi non adeſt, pulmones tamen adeo laxi ſunt, ut penum ſiſtant humorum corruptorum et purulentorum, qui, in ſanguinem abeuntes, maciem generant.

Dicitur ea *phthiſis pituitoſa*, differtque ab aliis, quod habitu phthiſico careat, quod laxitatis plus adſit quam irritabilitatis; quod e catarrhis originem duxerit, quod doloris gravans potius indoles ſit quam pungens, quod denique ſputum pellucidius et tenacius vero pure reperiatur.

Multa ſaepius obſunt, quominus experiri veram ſputi naturam poſſimus. Solet enim pus cum aqua coire facilius, citiusque muco ab ea ſecedere. Certum nihilominus iudicium, ex iis quae indicavi, peti oportet.

Opem nonnunquam huic phthiſis ſpeciei alia etiam profluvia ferre ſolent: e. g. fluor albus, hae-

morrhoides mucoſae, fluxus narium: ſolvitur interdum etiam rheumatiſmo chronico.

Licet praecedere omnes illas ſuppurationes inflammatorium ſtadium non ſemper videatur, molimina tamen ſuppurationem excitantia adeſſe elucet e pectoris diſtentionibus ſpaſticis, quas pro ſtatus praegreſſi ratione diiudicare oportet. Ea, quae ſpaſmos ſedant, cutim molliunt corpusque firmant, poſſunt ibi ad reſolvendas ſtaſes inflammatorias, poſſunt ſaltem ad pus bonum parandum.

Vomica, quae ſtatim non rupta humores contentos per aſperam arteriam profundit, praecipitare aegrum aut trahere ſine ulla ſpe ſolet.

Ubi occluſa manet, pus contentum eo acrius ſit, ſanguinique admiſtum eo vehementiorem excitat febrem. Quodſi protinus rupta, omnem effundit humorem, nulla ſequente febre, tuſſi ſeſe remittente ciborumque cupiditate et ſomno bonis, ſanitatis ſpes affulget. Symptomatibus vero, ulcere rupto, intenſis potius quam deſinentibus, metus naſcitur, fore, ut vel novum aſſiduo pus generetur, vel praeſens humor in malignam ſeu acerrimam abeat indolem.

Ubi ruptura vomicae inſtat, oriuntur plerumque vertigines, angores, tremores, animi defectiones metusque ſuffocationis. Quodſi rupta pus in pectoris cavum effunditur, empyema generans,

ſpiritus quidem paulo leviores fiunt, ſtatim vero multo difficiliores, ſenſo ſimul pondere diaphragmati incumbente, aegris in dorſum neque cubare valentibus neque antrorſum flecti.

Niſi lenta praeceſſeri febris, iam ſupernaſci, aut intendi ſolet. Ubi diutius febris aegrum iam traxit, ut lecto decumbere debeat, ubi ſupra modum, libero nihilominus ſputorum curſu, humores undique profunduntur, tumentibus manibus, creberrimisque teneſmis, in praecipiti eſſe ſolet. Exitium enim exhauſtas ſequitur vires, aut ſpiritus oppreſſionem.

Ars vero plurimum praeſertim eo tempore valet, ubi pus paratura eſſe natura videtur.

Circumſpiciendum ibi, ut tollantur ea omnia, quae ſtaſibus et inflammationibus pectoris favent, ut deinde obviam eatur inflammationi incipienti regimine antiphlogiſtico, viribus tamen ſimul parcatur.

Caveat itaque medicus, ne nimis tenuis ſit victus, cum ſpaſmos ideoque debilitatis ſpeciem quamdam ſtaſes inflammatoriae tantum non ſemper ſupponant. Valente iam ſuppuratione, plurimum auxilii a natura congruoque victu exſpectatur.

Summa cura habenda eſt, ut pus egeratur. Quaevis itaque e medio tollantur, quae offendere

eius excretionem poſſunt, novaeque inflammationes avertantur.

Opus eſt ſale ammoniaco cum demulcentibus quibusdam cocto, qui et febrem temperare, et reſolvere ſtaſes et ſputa promovere valet. Saepiuscule vero et is nimis irritat, vacet itaque omnibus iis medicamentis, quae efficacia quadam peculiari vigent.

Victus imperetur, quo neque incaleſcat neque infirmetur corpus, impleatur vero ita, ut proſterni ſaltem vires motibus nequaquam poſſint febrilibus.

Quae ad vomicae rupturam promovendam varii auctores ſuaſerunt, non ſatis tuta ea eſſe videntur.

Dum vomicae ſaccum et pleura et pulmonum componunt velamentum, fonticuli ſaepius et ſetacea parti affectae admota opem ferunt.

Paracenteſis vero eo magis anceps eſſe videtur, quo magis ambiguum eſt iudicium de vomicae ſede. Empyema quidem ſubinde paracenteſis ope pus effundere poteſt, mors tamen ea non raro praecipitatur.

Plurimum vero ars poteſt ad phthiſin pituitoſam. Mirum enim eſt, quantum cortex ibi valeat et fixus aër. In omni tali morbo magnum ex balſamicis praeſidium eſt. Sorbenda, e. g. myrrha, alcali cuidam nupta et acido tartari eſſentiali.

Minimum vero ſalutis ſperandum in phthiſi tracheali, maxime cum iam inveteravit. Commoda quidem ſunt initio morbi, praeſertim catarrhos excipientis, et veſicatoria, et ea quae cutim molliunt, et vapores mollientes, et mercurialia, PLENKII prae aliis ſolutio.

Ulceribus praeterea opus eſt arte excitatis, quibus praeſidiis ni impediatur morbus, mitigatur ſaltem et tardatur. Saepius vero praeter demulcentia nihil plane exhibere praeſtat.

Phthiſis hepatica.

Iecinoris ulcus cognoſcitur et ponderis ſenſu, dextrum prementis hypochondrium, et flaveſcente cute, et impedita ciborum cupiditate, et intercepta eorum coctione, alvoque compreſſa.

Iudicium praeterea a cauſſis praegreſſis petendum.

Puris quidem ſputa vel adſunt, vel etiam deficiunt, prout id vel reſorbetur, vel aliorſum ducitur. Defertur maxime pus in ſuras, ibique ſine auxilio aliquid abſcedere ſolet, unde ulcera ſaepius cacoëthea naſcuntur. Spiritus praeterea adeſt difficultas, tuſſisque male habet et continua vomituritio.

Reſidet nonnunquam vomica inter peritonaeum et hepatis velamentum, ubi tumor inde exortus,

arte aperiri debet. Effunditur ea vero etiam in abdominis cavum, aſcitesque purulentus inde natus mortem tandem afferre ſolet.

Phthiſis lienalis.

Sentitur ibi ſaepe ſiniſtri hypochondrii inflatio et pulſatio. Aegrius dextro incumbit lateri, ſiniſterque inprimis intumeſcit. Animi adeſt deſponſio et moeror.

Proximis ſolet eſſe rarior morbus, curationisque ſumma verſatur in ulcere ita aperiendo, ut exitus profundi poſſit humor contentus.

Phthiſis renalis.

Praeter vulgares cauſſas calculus etiam renum exulcerare eosdem poteſt.

Premuntur aegri ponderis ſenſu, lumbari regioni incumbentis, femorisque affecti lateris ſtupore. Pus ſolet urina ſecedere.

Praeſidia petuntur ab iis, quae leniter urinam cient, quorſum fixus praecipue aër pertinet, ab iis porro, quae molliendo exteriores partes fovent: ſanatur iisdem nonnunquam morbus, dumne calculus adſit, novas protinus inflammationes generans.

Phthiſis uterina.

Ex venere nimia, praeter vulgares cauſſas, is morbus naſci poteſt.

Malignitatem facile concipit exulceratio, nimisque ſero auxilium petere aegrae ſolent.

Experiri oportet, ſalutem ferant demulcentia et abſtergentia, (velut radices conſolidae maioris, cicutae et ſcordii,) iniecta.

Dum vero pituitoſa potius phthiſis ex immodico et aſſiduo pituitae curſu nata fuerit, opus eſt roborantibus et internis et externis. Conferent forte etiam fixi aëris vapores ipſi loco affecto admoti.

Phthiſis meſenterica.

Scrofuloſam potiſſimum excipit acrimoniam, ſanari forte ubique neſcia, cum facillime pus in abdominis cavum effundatur.

Phthiſis inteſtinalis.

Inteſtinorum ulcera fiunt vel ex acrium venenorum uſu vel e dysenteria.

Nil omnino ars valet, niſi ſtudeat, demulcentium ope puri viam parare, qua exeat, novasque avertere inflammationes.

DE MORBIS NERVORUM.

Ii ſic appellantur morbi, qui nervorum ſyſtema maxime afficiunt, ſenſusque et motus vario modo laedunt.

Duplex autem diſcrimen eorum ſtatuitur: nonnunquam enim nervi ſenſu adeo acuto praediti ſunt, ut leviſſimis cauſſis, quae ſanos homines nullo poſſunt modo afficere, inſignes excitentur paſſiones. Id alibi genus, proprios dixi nervorum morbos, *ſine materie* appellatos ab auctoribus. Alterum autem genus eos complectitur morbos, qui bene ceteroquin valentes homines, admiſſis manifeſtis cauſſis, corripiunt, dictos *cum materie* ab auctoribus. Quodſi fidem habueris ii, quam propoſui finitioni *morborum nervoſorum*, primum duntaxat genus mereri tibi videbitur id nomen, alterum vero *nervorum* potius *morbi* nomine dignum.

Sequor tamen haudquaquam eam partitionem, ſed differentiam hanc inter cauſſas potius recenſendas eſſe duco, ſicut praecipiendum mihi eſt generatim tantum de hoc affectuum genere, particulares autem affectus infra adferendi.

Antipathia.

Nervorum quaedam extat indoles, qua praediti, ſingulari plane et haud vulgari modo ea percipiunt,

piunt, quae reliquos homines vel leviſſimo vel nullo modo afficiunt. Ita animi defectiones nonnulli patiuntur e felis perſpiratione: alii tantopere abhorrent certa quaedam medicamenta, cibos aliasque res, ut ſenſibus percipere easdem nequaquam poſſint.

Morbus is eſt ſine materie, diciturque ex idioſyncraſia naſci, quae peculiaris quaedam et individua corporis eſt conſtitutio.

Id affectuum genus vel congenitum eſt vel innutritum.

Utrobique curatu difficile, oportet tamen id cognoſcat, qui alios curans morbos, huius rationem habere debet.

Malum hypochondriacum et hyſtericum.

Nomine eo complector nervorum paſſiones transeuntes, ortas e ſingulari nervorum imbecillitate, cauſſisque levioribus, quae neutiquam ſufficere videntur: ſpecificum autem effectum in his paſſionibus opium praebere ſolet.

Atque quemadmodum in febribus acutis ſymptomata ſibi contraria febres notant nervoſas, ita in diuturnis affectibus contrarium ſibi aliquid ac rationem certam non habens, hypochondriacum morbum et hyſtericum indicare ſolet.

Cum viri iis paſſionibus obnoxii, laborare ſimul obſtructionibus viſcerum abdominalium, feminaeque uteri vitiis ſoleant, nomen utrumque originem inde duxit, quod ſpecies differentes ſignare creditum eſt. Verum enim vero neque inſignes ſaepius obſtructiones, neque uteri vitia percipiuntur, iungitur etiam in feminis cum vitiis aliorum viſcerum abdominalium.

Omiſſo itaque alterutro nomine, apud viros *hypochondriacus*, apud feminas vero *hyſtericus* morbus appellandus eſt.

Quo magis vulgares, manifeſtae ſufficientesque ſymptomatum cauſſae adeſſe videntur, eo minus morbi noſtri nomen merentur. Quo magis vero cauſſae latent, quo minus valentes ſufficientesque eſſe videntur, eo dignior nomine eo eſt morbus.

Diſtinguendus itaque eſt, prout materies vel adeſt vel deficit: neque tamen materies ea in vulgaribus corporibus ſymptomata eiusmodi producere debet, cum hoc caſu mereri eam appellationem non videatur.

Sine materie rarius corripit viros, frequentius feminas.

Quo minus materiei adeſt, quo maior itaque imbecillitas et irritabilitas nervorum viget, eo citius oriri, eo vehementius urgere, eo celerius transire, eo facilius opio domari poſſunt ſymptomata.

Qui huic morbo favent, facillime excandeſcunt, moerore, formidine ſuſpicionibusque conficiuntur, in ambiguo eſſe, facileque exaſperari ſolent.

Ciborum etiam coctio vitiata eſt, flatuumque copia moleſtias ciet plurimas. Sanguinis inſuper ſubitanei oriuntur turgores, cordisque palpitationes, citra veram ſanguinis abundantiam: ſpiritus fiunt difficiles, ſenſusque haerentis in aſpera arteria corporis cuiusdam oritur. Nil vero, niſi ſpaſmus adeſt, quem *globi hyſterici* nomine inſignire ſolent.

Ex leviſſimis cauſſis anima deficit: alvus oritur fuſa, ſine commiſſis victus erroribus: viridis vomitur bilis: citra calorem ſitiunt: vertigine conciдunt, ſine ſanguinis abundantia vel ſtomachi vitiis: plurimum exſpuunt, facile frigore et horrore afficiuntur etc.

Quae quidem nervorum imbecillitas admodum debilitantes ſaepe cauſſas agnoſcit, e. g. excretiones nimias, animi affectus continuos eiusdem intentiones protractas. Ex conſuetudine adeſſe ea quoque poteſt, ubi aliam quamdam cauſſam, quae ſuppetat, indicere nequimus.

Vigente ea diſpoſitione ſequentes potiſſimum cauſſae hypochondriacos et hyſtericos affectus, vel generant vel augent pervicacesque reddunt:

1. diaeta incongrua, e. g. cibi dyspepti, potuum ſpirituoſorum abuſus vitaque ſedentaria;

2. excretiones impeditae, quibus aſſueverat natura, aut quae ipſi opem ferre ſolebant, e. g. ſanguinis et ſudorum profluvia;

3. animi affectus, e. g. ira, terror et moeror;

4. pituitae bilisque atrae colluvies in viſceribus abdominis, qua et concoctio et chyli confectio impeditur;

5. acrimoniae ſcrofuloſa, arthritica et ſcorbutica;

6. viſcerum abdominalium obſtructiones.

Ubi rite tractatur, raro in praecipiti eſſe, ſed in alios potius morbos illabi ſolet aeger.

Quandoque hypochondriacus morbus evaneſcit, dum aetas induravit.

Curationis ſumma verſatur in cognoſcenda ſymptomatum eorum indole. In vertigine et cordis palpitatione opus eſt ſanguinis miſſione iisque remediis, quae calorem minuunt; ubi cibos non appetit, vel alvo laborat compreſſa, quae evacuant, non ſolum inutilia ſunt, ſed effectus etiam periculoſos producere poſſunt.

Ubi periclitari videtur in inſultibus, aut ubi aegerrime eos fert, ea imperantur, quae ſpaſmos ſedant, maxime vero opium et aſa foetida, ni ſanguinis abundantia latiſſime pateat.

Extra inſultuum tempus manifeſtae primum cauſſae tollantur.

Victus congruus ordinetur, atque, ſi quid ex conſuetudine non fluit, id revocetur; animi affectus vitentur: conviviis gaudeat aeger; motibus exerceat corpus; ut ſordes biliofae aliaeque primarum viarum ſolventibus et evacuantibus propellantur, ſtudeat: obſtructionibus abdominis pulvis opponatur ecphracticus et elixirium reſolvens, acrimoniis autem peculiaribus peculiaria praeſidia.

Ad infarctus abdominis plurimum poſſunt ſucci herbarum, e. g. taraxaci, marrubii, fumariae, aſaeque, continuo adhibiti. Expeditiſſima ſunt eorum praeſidia, dum alvi lotionibus induntur.

Nervorum debilitas ita debellanda eſt, ut e medio tollatur, quidquid infirmare corpus poteſt, ut ferrum exhibeatur, ut balnea frigida corporisque exercitatio imperetur.

Animi deſponſio, formido facilisque excandeſcentia maxime eum morbum nutrire valent: etenim ea, quae fere adſunt vitia, ſine eo morboſo ſenſu haudquaquam tantopere aegrum afficerent. Hinc accuſantur ſaepius aegri, plurimam morbi partem ſibi imaginari, hinc optime conferunt ad ſanationem, quae animum exhilarare totumque vitae genus mutare valent.

DE ANIMI MORBIS.

Pertinent huc ea virium animi vitia, quae ab individua hominis natura originem non ducunt, ſed peculiaribus cauſſis praeternaturalibus nituntur.

Amneſia.

Vocatur ita memoria ſupra modum imbecilla, cum iudicio quidem laborante, eodem autem modo non labefactato.

Deficit utique vis, ideas aſſociandi, unde iudicium omnino etiam laborare debet. Ea tamen, quorum meminit, recte utique diiudicat.

Oritur autem memoriae imbecillitas:

1. a nimia animi intentione, nimiaque rerum, quibus occupatur, varietate;
2. ab immodica venere et ſtupris ſibi ipſi illatis;
3. a capitis laeſionibus;
4. a vehementibus animi affectibus;
5. a capitis doloribus diutiſſime protractis;
6. a potuum ſpirituoſorum abuſu.

Primo quidem caſu abſtineat aeger negotiis per aliquod tempus.

Altero caſu caveat ſibi a coitu: effugere ſtudeat, quidquid irritare pudenda poteſt, aqua frigida eadem lavet, roborantibus inſuper utatur.

Eadem porro ratione reliquae tollantur cauſſae, quarum curatio pluribus iam locis indicata eſt. Poſſunt eae quidem cauſſae hydropes et capitis et pectoris efficere, quibus memoria imbecilla conſtanter immorari ſolet.

Amentia partialis.

Nonnulli aegri circa unicam duntaxat rem iudicio falluntur, de aliis vero omnibus recte cogitant. Eo pertinet, e. g. imaginatio, quod pedem habeat vitreum fragilemque.

Noſtalgia etiam quodam modo his accenſenda videtur.

Cauſſas agnoſcunt voluntati praeprimis nitentes, quas in examen vocatas ita tollere ſtudeamus, ut voluntatis etiam vitia potiſſimum corrigamus. Graviſſima vero noſtalgiae ſymptomata reditu in patriam fere tolluntur.

Alii quoque eiusdem indolis affectus curantur ita, ut mentis erroribus aliquid largiamur. Ubi mentis ſuae compos non eſt, citra vehementes cupiditates, cerebrum ipſum pati videtur, pertinaciſſimo ſane affectu.

Melancholia et mania.

Qui animum ſemper deſpondet, formidine aſſidua angitur, ſolitudinem amat, iudiciique errorem

de una vel pluribus rebus patitur, is laborare *melancholia* dicitur.

Mentis vero alienatio graviſſima et diuturna *maniae* nomine venit.

Utriusque autem morbi cum cauſſae congruant, utrumque hic complecti ſatius duxi.

Melancholia hypochondriaci morbi intenſior gradus eſſe poteſt, oritur vero non raro ſine omni hypochondrica conſtitutione.

Mania vero melancholiae fortior eſt ſpecies: oritur tamen ſubito ſaepius, citra praegreſſum melancholiae ſtadium, tolliturque non raro ſine ſuperſtite et melancholia et hypochondriaſi.

A phrenitide vero mania differt et mora diuturniore et virium robore et febris defectu, quae quidem verſus finem accedere, neque tamen pro delirii cauſſa venditari poteſt.

Certorum praeterea ſtimulorum ſenſu carere ſolet maniacus. Verbera quidem, neque calorem vel frigus, neque veſicatoria eiusque generis reliqua ſentiunt.

Nonnunquam circuitum hic morbus habet, lucidisque intervallis interdum meminerunt aegri, quidquid furioſi commiſerint.

Spes vero eo minus affulget, quo magis cauſſae latent, quoque minus vincendae eſſe videntur, quo diutius morbus moratus iam fuit, quoque tardior

eſt pulſus: ſolent macie tunc demum confici; acuti vero morbi rarius eos praecipitant.

Cauſſae vulgares ſunt:

1. hypochondriaca et hyſterica diatheſis, aut imbecillitatis et irritabilitatis aliud quoddam genus, cuius cauſſa vel leviſſimae occaſiones gignendo morbo pares fiebant;

2. animi vehementes affectus, velut terror, moeror, ira, laetitia exſultans;

3. animi intentio continua aut deſiderium ardentiſſimum, cui ſatis facere nequit aeger;

4. excretiones nimiae;

5. exanthemata retropulſa;

6. ſuppreſſa ſanguinis ſueta profluvia;

7. organica cerebri vitia, de quibus tamen ii, qui cadavera ſecuerunt, nihil certi memoriae mandarunt. Cerebra enim vel nimis dura vel flaccida inveniuntur, quae quidem vitia morbo omnino producta eſſe videntur. Nonnunquam autem ſanum ex toto cerebrum obſervatur. Experti ſumus, piae meningis diſceſſionem probabilem cauſſam maniae effeciſſe. Equidem eandem in hominis cerebro, capitis fractura defuncto, ſolutam gelatina quadam vidi, cum aeger nihilominus ad mortis fere articulum usque ratione non caruiſſet. Saepius cranium invenitur durae meningi firmiſſime adhaerens: interdum etiam aqua vel inter cranium et duram me-

ningem, vel inter hanc et piam ſtagnat: poſterior vero ſingulari utique modo in hoc morbo pati videtur. Neque tamen, ut ſupra dixi, deſunt caſus, ubi ſana omnia in cerebro inveniantur, licet a veritate haudquaquam alienum ſit, cuiusvis delirii cauſſam proximam in cerebro quaerere;

8. ſordes bilioſae, maxime atrabilariae;

9. obſtructiones et vitia organica vaſorum viſcerumque abdominalium;

10. occurrit non raro in puerperis melancholia, in maniam ſaepiuscule transiens, quoque correptae admodum periclitantur. Subeſſe interdum praeter adlatas cauſſas metaſtaſes lacteae videntur: expertus tamen ſum eiusmodi morbos, quibus mors ſuperveniret, quorumque nec cauſſae nec mortis ratio inveniri potuit. Talis vero animi morbus altera quadam graviditate ſubinde tollitur;

11. exiſtunt etiam nonnullae obſervationes, quae congenitum fuiſſe hereditateque propagatum morbum docent: infantes eiusmodi recens nati motuum quodam robore ſupra modum nimio vigebant.

Ratio protinus cauſſarum manifeſtiorum eſt habenda.

Sanguis abundans e vena mittendus. Sordes bilioſae et infarctus abdominales moveantur vel tar-

taro emetico vel aqua Rulandi benedicta, auctis paullatim portionibus, quibus non raro finem curationis conſequimur. Ubi abdomen ſanguine admodum ſcatet, pulſu tardo rariorique, pellentibus opus eſt, iique forte cauſſae helleborum veteres opponere conſuerunt.

Quodſi ſcabie laboravit aeger, hepar ſulfuris ſalinum exhibeatur, aut inſitione ſcabies revocetur.

Imbecillitati et irritabilitati opponenda roborantia, veſicatoria balneaque frigida.

Ubi vero nullae fere patent cauſſae, camforam tentare licet, auctis paullatim portionibus, quae egregie ſaepius contulit, maxime dum motus ſimul febriles natura cieret, aut dum lactis aliquid abſceſſiſſe videretur. Quodſi ſatis humorum excretum eſt, robore tamen nimio ſuperſtite, opium magnis portionibus expedit.

Quae morales dicuntur cauſſae, magna imprîmis medici cura indigent. Summa praeterea curationis complectitur voluntatis morboſae commodiſſimam correctionem. Cavendum eſt, ne, dum ſine ratione aegro contradicimus, animum ipſius gravius exaſperemus: voluntati eius itaque, quantum fieri poteſt, obtemperemus, mentemque alienatam deflectere ab iis rebus ſtudeamus, quae furorem excitarunt, easque cautiſſime e medio tollere ſatagamus.

DE CONVULSIONIBUS.

Convelli dicuntur muſculi, voluntati obedientes, dum nimis citraque voluntatem contrahuntur.

Tonica vero ea convulſio dicitur, dum diutius vel perſiſtit, vel paullatim tantummodo ſeſe remittit.

Quodſi vero et contractio et laxatio muſculi citiſſime alternant, *clonicae* nomine venit.

Crampus.

Vocatur eo nomine tonica convulſio, quae dolores movet, a transeuntibus cauſſis orta, ſurasque imprimis afficiens.

Nonnunquam tamen reſolutiones membrorum praeſagit: ratio itaque cauſſarum eius tempeſtive habenda eſt.

Nonnunquam convulſiones clonicae hypochondriacos et hyſterias exercent: transeunt autem, neque peculiare aliquod morbi genus conſtituunt.

Triſmus.

Is quidem vel aliis convulſionibus, tamquam ſymptoma immoratur, vel per ſe, e primarum viarum irritamento, maxime noctu, oritur. Eius ſtimuli, quem vel vermes vel acris praebet ſaburra, ratio habenda eſt.

Riſus ſardonius.

Rarioribus accenſendus ſymptomatibus ſaepiuſcule cum ſpaſmo cynico commutatur.

Convellitur autem diaphragma perinde ac in riſu vulgari. Sententiam, diaphragmitidis continuum ſymptoma eſſe hunc riſum, refellerunt experientiae recentiores.

Agnoſcit is affectus easdem cauſſas, ac reliquae convulſiones, imprimis vero ranunculi ſcelerati eſum ſequi poteſt.

Spaſmus cynicus.

Inſigniuntur eo nomine muſculorum faciei convulſiones, quae vel alios comitantur ſpaſmos, vel tendinoſarum partium, maxillae aut artuum vulneribus producuntur.

Ibi vero, praeter opii uſum, nil ſupereſt ad curationem, niſi ruptarum partium perfecta praeciſio.

Interdum iungitur is ſpaſmus cum diuturno faciei dolore, qui praeſidia quaevis eludere ſolet.

Chorea ſancti Viti.

Qui hoc morbo affecti ſunt, continuo agitantur, ut vincere voluntate artuum motus non poſſint: ad haec plerumque ſui compotes eſſe, nonnunquam vero deſipere ſolent.

Aetati praeſertim ii infeſta eſt haec valetudo, quae inter decimum et decimum quartum annum incidit, nonnunquam vero adultiores etiam corripit.

Singularis ſaepiſſime adeſt acrimonia, materiesque irritans: e. g. vermes, repreſſa exanthemata etc., ad quas quidem res conſilium curationis imprimis transferre oportet.

Inſigni praeterea praeſidio eſſe et valeriana et zinci flores obſervatum eſt: ubi autem mera ſenſibilitas hyſterica viget, balneorum frigidorum et roborantium nervinorum opus eſt. Efficine poſſit is morbus in Italia, tarantulae morſu, merito dubitatur.

Epilepſia.

Convulſionum clonicarum circuitibus diuturnis deſignatur, aegris ſimul ſui non conſciis. Convelli plerumque omnia ſolent membra, nonnunquam vero partes duntaxat quaedam.

Plurimum autem intereſt inter inſultuum et vehementiam et moram. Solent saepiſſime decem ad viginti horae ſcrupula morari.

Certos vero quosdam atque fixos circuitus raro morbus habere ſolet.

In ipſis acceſſibus ſpiritus plerumque opprimun-

tur, ſpumaque os contaminatur. Pulſus eſt ſpaſticus, frequens et inordinatus.

Nonnunquam praecedunt inſultum alii affectus ſpaſtici, e. g. vertigines, urinaque praetenuis et pallida. Sentiunt aegri ſaepius ſpaſmum loco quodam ortum latius proſerpere, quod *aura* dicitur *epileptica*. Nonnullos noctu duntaxat ii inſultus infeſtant. Obſervatur praeterea, eosdem cum plena ſaepius luna congruere.

Praeter imbecillitatem totius corporis et irritabilitatem, diatheſis non raro hereditate accepta adeo latet, ut inquiſitionem noſtram plane eludat.

Iis vero cauſſis, quae occaſionem praebere ſolent, adnumerandae veniunt praeſertim ſequentes:

1. ſordes primarum viarum bilioſae, generatimque, quidquid et ventriculum et inteſtina irritat: e. g. vermes, maxime taeniae, ubi conſenuit iam aeger;

2. nimiae excretiones;

3. materies exanthematica, e. g. ſcabiei et variolarum;

4. materies arthritica;

5. ſi quid fluoris ex conſuetudine non reſpondet, praeſertim dum vetera ulcera praepoſtere exſiccata fuerunt;

6. eodem pertinet cauſſa, quae gignere poteſt febrem intermittentem;

7. ſtimulus vel phyſicus vel mechanicus, cerebrum aut alios nervos irritans: e. g. cranii depreſſio, ſcobes, feſtucaeque eiusdem, induratae membranae etc. Saepius vero praedisponentibus cauſſis accenſenda ſunt ea vitia;

8. in aetate teneriuscula oritur non raro is morbus, dum dentiunt infantes, dum acri lacte nutriuntur, aut ſaburra primarum viarum laborant;

9. affectus animi vehementes, imprimis terror et ira;

10. a protruſis ex veſicula fellea in duodenum ſive e renibus in veſicam urinariam calculis oritur non raro, irritatis magnopere ſolidis, comitialis morbus.

11. Naſcitur etiam e nimia venere in irritabilibus et imbecillis, ſive a nimia veneris abſtinentia, dum calida eſt corporis indoles. Cum ſubinde nulla pateat huius morbi occaſio, vel mere nervoſus eſt, vel ſtructurae partium vitia agnoſcit. Utroque caſu leviſſimae corporis viciſſitudines ſufficiunt ad inſultus generandos.

Leviores autem impetus morbi tutiores ubique non ſunt. Neque periclitantur, quibus ſpuma ex ore eiicitur: naſci ea videtur e vaſculorum minimorum ſpaſmo.

Quodſi diutius iam perſtiterit valetudo, pronisſima

ſima ſit ad recurſus, ut levidenſibus cauſſis facillime excitentur.

In diiudicando morbo ratio autem praeprimis cauſſarum habeatur, ſive manifeſtae ſint facileque vinci poſſint, ſive ſecus.

Proclivitas, quae hereditate producitur, aegerrime debellatur. Dum ante quartum decimum annum incidit, hereditate non producta, plerumque adoleſcente aetate deſinit. Poſt vigeſimum quintum vero annum pervicaciſſima curatuque difficillima eſt, ni ab aliis morbis pendeat, qui ſanari omnino poſſunt.

Multo maiore etiam pertinacia moratur, ubi paullatim orta eſt, quam dum citra omnem proclivitatem ſubito contigit.

Tollitur non raro vel quartana febre vel abſcedentibus in cutem humoribus.

In ipſo inſultu nihil medicus agat, niſi noxas impediat, quas percuſſionibus et lapſibus aegri inferre ſibi poſſunt. Qui pollices coërcent aut extorquent, multo magis infirmare aegros ſolent, quam qui eos ſibi ipſis committunt.

Aquae fragrantes pulmonibus facile nocebunt. Hyſtericis quidem feminis opem ferent graveolentia quaedam, velut aſa foetida aut plumae accenſae, naribus admota.

Dum graviſſime urget impetus, in longum nimis tempus protractus, curare opus eſt, ut alvus lotionibus antiſpaſticis molliatur.

Ubi inſultus praeteriit cutis et mollienda et mador eius ſervandus.

Eum autem, qui morbo mederi cupit, cauſſarum manifeſtarum rationem habere oportet.

Saluti ut plurimum eſſe ulcera arte excitata ſolent, praecipue eo loco, quo primordia inſultus nonnunquam aegri ſentiunt. Ulcera ea totam ſaepe curationem explent, dum varioloſa ſupereſt materies.

Ubi nulla manifeſta percipitur cauſſa, verique ſimillimum videtur, nervorum ſingularem quamdam debilitatem et irritabilitatem ſubeſſe, ſpecifica tentanda ſunt. Pertinent autem eo: opium, auctis paullatim portionibus, cuprum ammoniacum; cardamindum; camfora, folia aurantiorum; cortex peruvianus; aſa foetida; mercurialia; valeriana; moſchus, et oleum animale Dippelii. Viſci eandem eſſe ad convulſivos morbos rationem, ac corticis peruviani ad febres intermittentes, experientia haudquaquam firmatur, propterque cauſſarum differentiam fieri fere nequit. Plus vero ſalutis exſpectandum a floribus zinci.

Dum funditus malum everti non poteſt, dumque inſanabilia cerebri vitia ſupponere videtur,

quaevis e medio tollantur, quae nimis irritant ſanguinemque impetu quodam ad cerebrum ferunt. Commoda autem ea ratio eſt ad praecavendos, ni omnes, plurimos ſaltem inſultus.

Dum in artubus incipit ſpaſmus, vincturis impediri poteſt, quo minus propagetur. Quin praeciſio interdum nervorum ſaluti fuit.

Eclampſia.

Vocatur ita comitialis morbus, dum acutus eſt. Infantes plerumque recens natos, aut puerperas afficit, ubi vel citius in ſanitatem abit, vel aegrum praecipitat.

Cum ubique ſymptomatis forma alii morbo immorari ſoleat, curatio eius inſtituitur etiam iuxta morbi exſuperantis indolem.

Raphania.

Appellantur eo nomine convulſiones clonicae, quae ſine ordine potius membra convellunt, quam motus eorum continuo impediunt, quibus plerumque pruriens artuum dolor accedit, quaeque acutis morbis adnumerantur.

Id praeterea ſingulare habet haec valetudo, ut contagio propagetur: expertes tamen eo infantes lacte materno nutriti eſſe ſolent.

Dum graviſſime urget morbus, dolenter ſpaſticeque artus contrahuntur, animam aegri deficiunt, gravitas in praecordiis ſentitur, ac pituita multa cum inſigni eiicitur vomituritione.

Leviorem vero ſpeciem praecedere ſolet ſenſus, quaſi formicae per membra decurrant.

Pulſus plerumque tardiores, offenſi exilesque, frequentiores denique fiunt, ubi mors inſtat.

Remiſſiones huius morbi adſunt quidem, contracta tamen ſuperſunt membra, et ſtupor ſentitur in digitorum apicibus. Conſcius ſibi plerumque aeger eſſe ſolet, niſi et febris et dolores in delirium praecipitaverint.

De cauſſis morbi magna contentione disputatum eſt. Nomini quidem ea ſententia originem praebuit, quod e piſtis ſimul cum pane ſeminibus raphani raphaniſtri oriatur: alii lolium accuſarunt temulentum, alii demum ſecale cornutum. Cibos quidem pravos merito cauſſis accenſeri, proxime ad veritatem accedere videtur, omnibusque conſtat experientiis.

Omnes quidem eiusmodi aegros vermes infeſtare inteſtinales ſolent, quorum eiectio utilis eſt.

Maximam itaque curam habeamus, ut protinus primae viae purgentur. Quo facto, ſpaſmisque adhuc perſiſtentibus, uſui erit valeriana camforae nupta.

Interdum naturae ope ſcabioſum exanthema ſalutem ii morbo attulit.

Convulſivi nonnunquam morbi raphaniae ſimillimi mihi videbantur, ſcabiei tandem eruptione curati.

Differre autem admodum ab eo morbo, qui *ergot* Gallis dicitur, ſupra iam, ad necroſin, praecepi.

Tetanus.

Generatim quidem convulſio intelligitur tonica, qua conſcius ſibi aeger amplius non eſt.

Praecipuae vero ſpecies ſunt, quae ſequuntur:

1. *tetanus* per ſe dictus, muſculorum abdominis artuumque ſiſtit convulſionem tonicam, qua corpus longe expanſum, immobile fit et rigidum;

2. *opiſthotonus* convulſionem complectitur tonicam eorum muſculorum, qui caput poſtrorſum trahunt;

3. *emproſthotonus*, convulſio eſt tonica muſculorum colli anteriorum;

4. *ſpaſmus maxillae inferioris*, qua firmiſſime inferior maxilla ad ſuperiorem attrahitur, ut ne ulla quidem vi os poſſit aperiri.

Eae quidem omnes ſpecies eandem nonnunquam valetudinem comitantur.

Diuturna interdum, nonnunquam autem acuta eſt.

Praecipitare vero aegros in calidis potius regionibus ſolet, mortemque undecim dierum ſpatio afferre, refrigerium praeſertim excipiens.

Excitatur vero iisdem irritantibus cauſſis, a quibus reliquae pendent convulſiones. Maxime e ſtimulis in ventriculo et inteſtinis reſidentibus oritur, ſpaſmi maxillaris exemplo, qui dysenteriam non raro comitatur.

Experti etiam ſunt medici, eos homines, qui ex aëre hydrogene animam deficiunt, tetano vero corripi, ſummamque habere efficaciam torridae zonae aërem ad eum morbum gignendum.

Facile etiam ſpaſmus maxillaris vulnera excipit partium muſculoſarum et cellularium, unde patere videtur, nervorum potius irritamenta quaevis, quam tendinum efficere eum morbum poſſe.

In infantibus quidem ſaepius ex lactis acrimonia ſordibusque primarum viarum acribus originem ducere videtur, ubi tribus vel quatuor diebus enecare puerulos poteſt, ni tempeſtive ii occurratur. In calidis regionibus pueruli nono imprimis poſt partum die huic morbo obnoxii ſunt.

Nonnunquam mihi quidem varioloſa materies accuſanda eſſe videbatur, maxime cum ſpaſmi, variolas adnunciantes, tetano ii ſaepe ſimillimi eſſe ſoleant. Eundem quoque tetanum, variolarum popularium nonnunquam comitem, obſervavi.

Pronius mihi ad fidem videtur, cerebri hydropem eum ſubinde ſpaſmum poſſe generare, cum non raro eadem accedere ſoleant ſymptomata.

In ipſis vero inſultibus, opus eſt, calida aqua corpus lavare atque fricare.

In maxillae ſpaſmo alvi lotionibus ſaburra educatur, protinusque ut aperta eſt, opium exhibeatur, donec evacuantibus tuto uti licuerit.

Vulnera autem, ſi quae adſunt, amplientur, fomentisque mollientibus opiove nutriantur.

Nonnunquam tamen irrita ſunt quaevis noſtra conata, ipſaque membrorum amputatio impenſas fruſtratur.

Ex toto autem germanitas quaedam hunc morbum intercedit et rabiem caninam, ſive cauſſae formam, ſive periculum ſocium ſpectaveris.

Plurimum itaque intereſt, praecavere morbum ita, ut tenſas irritatasque vulnerum partes, nervorum dilaceratorum praeciſione, fomentis, mollientibus, blandisque anodynis et alexipharmacis, animique quiete, mitigare ſtudeamus. Plerumque enim periculoſa ea valetudo efficitur vel refrigerio vel animi affectibus.

Priori quidem caſu balnea tepida eaque praeſidia, quae leniter ſudores movent, inſigni auxilio eſſe ſolent.

Nonnullis et tetani et maxillaris ſpaſmi ſpeciebus utiliſſime oppoſita fuerunt et frigida balnea et profuſa derepente magnoque flumine aqua frigida.

Ceteris vero manifeſtis cauſſis eo, quo indigent, modo obviam eamus. Profuit interdum, mercurio partes fricare, ubi manifeſta lateret cauſſa.

Promiſſa ſunt noſtris temporibus inſignia praeſidia ex magnetis contrectatione ac frictione: experiri eum ſaltem oportet, dum reliqua nil iuvare medicamenta videntur, praeſertim in maxillari ſpaſmo, qui a frigore admiſſo oritur.

Ad praecavendum in infantibus ſpaſmum maxillarem, nonnulli praeceperunt, in ligando umbilicali funiculo ſanguinem ex parte abdomini adhaerente, antequam vinciatur, diligentiſſime eſſe exprimendum: noxas ſaltem id praeceptum inferre nunquam poteſt, unde conſultum id omnino duco.

Tremor.

Artuum capitisque aſſiduus tremor ſequentes potiſſimum agnoſcit cauſſas:

1. excretiones nimias, praeſertim ſeminis;

2. narcoticorum remediorum abuſum: deſinere ſolet is tremor, ſimulac ad ea iterum homo revertitur, quod quidem in iis praeſertim contingit, qui et vino et aliis potibus ſpirituoſis abutuntur;

3. tremore non raro afficiuntur opifices in fodinis mercurii degentes;

4. animi affectus et vehementes et diutiſſime protracti;

5. ſpaſmos, quo quidem caſu facile tremor transire ſolet;

6. acrimoniam rheumaticam;

7. membrorum reſolutionem;

8. decrepitam aetatem.

Occurratur autem ſingulis iisdem cauſſis eo, quem alibi praecepi, modo.

Contractura.

Quae, licet nervoſus proprie morbus non ſit, hactenus tamen his adnumeranda eſſe videtur, quatenus muſculorum motum impedit. Complectitur autem tendinum et ligamentorum, quibus immobiles partes iunguntur, id vitium, quo obrigeſcunt. Oritur is affectus:

1. ex artuum violenta et continua exercitatione. Tali modo obſtipa fiunt colla, ſi continuo flectuntur;

2. e ſpaſmo, qui nimis protractis eiusmodi rigiditatem et tendinum et ligamentorum producit;

3. e catarrhis, quorum acrimonia eam contractionem gignere poteſt;

4. e reſolutionibus membrorum: ſuperſunt enim colicae pictonum haud raro eiusmodi membra contracta;

5. ex acrimonia ſcorbutica, ſcrofuloſa, venerea et arthritica.

Curationis autem effectus pendet potiſſimum ab ea ligamentorum tendinumque indole, quae ad mollitionem fibrarumque extenſionem capax eſt: efficienda indoles ea remediis mollientibus, antiſpaſticis, ſudorem leniter moventibus et roborantibus.

Expeditiſſimum petitur praeſidium in aſa foetida. Tumidis ſimul partibus ſetacea apponantur.

Iam vero praecipiamus de reliquis morbis et ſpaſticis et nervoſis.

Vertigo.

Verſatur in ea hallucinatione, qua quaevis quae nos ambeunt, ſubito citoque circumagitari videntur.

Vocatur autem vertigo *ſimplex*, cum naturalem colorem ſervant; *tenebricoſa* vero, cum coloribus diſtinctae et obſcurae res cernuntur. Ubi denique ſui non amplius compos eſt aeger, ut impotens humi cadat, *caduca* appellatur *vertigo*.

Naſcitur:

1. ex imbecillitate, ſi quid nimis excretum eſt, ſanguinis profuſi exemplo;

2. e primarum viarum ſaburra;

3. ex abuſu potuum ſpirituoſorum plantarumque narcoticarum;

4. ex hyſtericis ſpaſmis;

5. ex abdominalium viſcerum obſtructione;

6. ex imminentibus vel ſanguinis profluviis vel exanthematibus;

7. e cerebri colluvie aquoſa;

8. ex abundantia ſanguinis.

Huic demum cauſſae vulgo tribuitur vertigo: tum demum vero ea contingit, cum ſanguinis profluvia, quibus natura aſſueta eſt, vel inſtant, vel eorum tempus iam praeterlapſum eſt. Eo quidem caſu ſanguis e vena mittatur ceteraque ſanguinis profluvia promoveantur.

Ubi humores in cerebro extra vaſa effuſos eſſe ſuſpicamur, alia accedere ſolent ſymptomata, quae forandam eſſe calvariam hortantur.

Quodſi exanthemata imminent, fricta cute, iis quae rubefaciunt et ſudores leniter cient, promovenda ſunt. Viſcerum abdominalium obſtructiones tollantur et reſolventibus et victu idoneo et congrua corporis exercitatione animique hilaritate.

Ubi hyſterica eſt vertigo, guttulae nonnullae laudani conferunt.

Primarum viarum ſordes eliminentur, potusque

ſpirituoſi et narcotica venena acidis mitigentur emeticisque expellantur.

Ubi imbecillitas ſubeſt, cibi expediunt, qui leviter nutriunt, expediunt roborantia remedia balneaque frigida.

Animae defectus.

Ubi vires ex toto deficiunt, *debilitas* dicitur, ubi vero impetu quodam vis vitalis peculiari modo et mutatur et proſternitur, animam deficere aeger dicitur.

Discrimen autem ſtatuitur ſequentium ſpecierum:

1. *lipothymia*, quae verſatur in ſubitanea, transeunte autem defectione animae, qua correptus ſui conſcius eſt pulſuque non mutato gaudet;

2. *ſyncope*. Hic quidem et pulſus et ſpiritus opprimuntur, calor minuitur ſibique mens non amplius conſtat;

3. *asphyxia*. Deficiunt ibi ſingulae vires; deſtituitur aeger et pulſibus et ſpiritibus: differt autem a morte is affectus, quod corpus haudquaquam putreſcat, licet in octavum usque diem deliquium porrigatur. Capitis imprimis poſitus non coactus indicat oppreſſas magis quam exhauſtas penitus vires.

Oriuntur autem ii affectus tum e circuitu ſanguinis impedito, tum e peculiari quodam irritamento.

Remotae cauſſae ſunt:

1. quicquid animum nimia intentione infirmat, vel affectibus exaſperat;

2. imbecillitas naturalis, quae hyſtericae potiſſimum conſtitutioni tribuitur, qua vel leviſſimae cauſſae eiusmodi affectus producere poſſunt;

3. vires vel fame, vel vigiliis, vel humorum profuſionibus exhauſtae;

4. primarum viarum irritamenta, vermium, ſaburrae, narcoticorum, (ſolani nigri, atropae belladonnae,) exemplo;

5. nimii labores, doloresque, qui parturientes et arthriticos corripiunt;

6. ſcorbutum nonnunquam animi deliquia comitantur;

7. frigus conclamatum;

8. aëris vulgaris defectus, ſpirituum in aqua et fixo aëre oppreſſorum exemplo;

9. polypi cordis magnorumque vaſorum, aneuryſmata, vomicae, obſtructiones viſcerum.

Iis animae defectionibus, in quibus ſanguinis circuitus non admodum laborat, nihil commodius eſt, quam aër ſerenus admiſſus, et aqua frigida adſperſa.

Ubi infirmantes cauſſae praeceſſerunt, faciem et manus vino lavare oportet. Fragrantes vero aquae vel inutiles ſunt, vel noxiae. Graveolentia quidem, velut aſa foetida, caſtoreum, plumaeque accenſae hyſtericis conferunt.

Extra inſultus nutriendum eſt corpus et firmandum, ſicut ea ratione id indigere videtur.

Tollenda inſuper ſunt quaevis irritamenta, quibus antiſpaſtica commode adduntur, aſam quoque foetidam et valerianam, tum ad propellendos vermes, tum ad ſordes eliminandas adhibeantur.

Narcotica, ſi quae adſunt venena protinus evacuentur uſuque acidorum liberali infirmentur. In partu, exanthematibus imminentibus podagraeque impetibus, ſanguinis abundantia vires ſubinde ita ſupprimit, ut anima, dum intenduntur, deficiat.

Expeditiſſimum ibi eſt, ſanguinem e vena mittere, quippe qui abundans pronus eſt ad profuſiones.

Dum ex graviſſimis doloribus deficit, qui ſpaſticae ſunt indolis, opium conferet. Commode etiam exhibetur adverſus inflammatorios dolores, ſi antiphlogiſtica ratio ex toto ante adhibita fuit.

In aſphyxia ſpiritus ſimul ſunt revocandi. Fit id aëre in os et nares inflato, quo vero cautiſſime ita agendum eſt, ut, adacta inſigni ſimul copia aëris in pulmones, pectus comprimatur, eoque facto inflatio demum repetatur, cum alioquin, ſi nimis

cito aër inflatur, ſuffocaretur prius aeger, quam ſpiritus reciperet.

Quos nuperis temporibus ad aërem inflandum ſuaſerunt, folles ea propter omnino praeferendi videntur, quod iis multo purior aër in pulmones adigi eosque potentius poſſit ſpiritibus irritare, maxime dum oxygenis copia cum aëre inflatur.

Praecipuam vero curam habeamus, ut aegri protinus multum trahant et purum aërem, ut vini aceto conſpergantur, ut denique leniter et aſſiduo fricto corpore, lanarum ope, ſanguis in circuitum revocetur.

Infantes recens nati in difficili, partu ſemimortui ſaepius in lucem prodeunt. Eos in vitam revocare valent tepida balnea, quae vinum aut vini acetum excipiunt, alvi lotiones, e tabaci fumo paratae, aërisque inflatio ipſa.

Ubi ſanguis abundare videtur, ex funiculo umbilicali ſanguinis aliquid mittatur. Commode etiam pedum plantae fricantur leniterque percutiuntur.

Quodſi ex conclamato frigore anima defecerit, cavendum eſt, ne ilico in calida hypocauſta aeger feratur: paullatim potius corpus incaleſcat. Primum itaque nive obtegatur modiceque fricetur: quo facto calidi potus, e. g. theae infuſum cum vini pauxillo, propinentur. Ubi vero, qui frigore obriguit, vires paullum reſumſerit, corporis exercitatio

imperanda. Priusquam vero ſpiritus omnes receperit, calida conclavia minime adeat.

Aqua ſubmerſi in aërem protinus purum ferantur, membra ipſorum fricentur, ut incaleſcant, alvi lotiones ordinentur, venaque ſecetur, ubicunque ſanguinis abundantis ſuſpicio naſcitur faciesque admodum rubet. Quae cum facta ſunt, ſtudendum eſt, ut ſpiritus recipiant: inflationem autem aëris ceteris omnibus remediis poſtponendam duco, quamvis apoplexia vera omnes ſubmerſos enecari omnino non arbitrer: dum enim purum iam aërem aegri ſpirant, eius defectus nequaquam unice aſphyxiam generare poteſt.

Ubicunque vel leviſſime turget ventriculus, emetico opus eſt, cui egregie ſuppetit aqua Rulandi benedicta, drachmis ſex ad unam unciam exhibita. Frictiones autem artuum continuandae ſunt.

Eadem etiam ratione curandi, qui ex aëre fixo vaporibusque narcoticis laborant, conſpergantur autem protinus aqua frigida, aceto vini corpus lavetur alvique lotiones ex aceto imperentur.

Quodſi in ſubmerſis aſpera arteria colluvie copioſa inundata eſſe videtur, qua ſpiritus ſupprimuntur, inciſionem aſperae arteriae tentare opus eſt.

De fulgure vero ut praecipiamus, duplex eius actio eſſe videtur: vel enim electrico modo corpora percellit, vel materie quadam aër ita corrumpitur,

ut

ut ſpirari plane non poſſit. Illic reſolvi videtur corpus, hic vero ſuffocari.

Protinus ut aliquis fulgure percuſſus eſt, actionis huius differentia explorari nequit. Ex toto vero commodiſſimum eſt, eo, quem ad narcoticis vaporibus ſuffocatos praecepimus, modo agere.

Quodſi tum demum reſolutiones membrorum ſuperſunt, peculiari eae indigent curatione.

Agrypnia.

Praeter febres, quas vigiliae comitantur, oriri ſolent a ſequentibus cauſſis:

1. a nimiis doloribus;
2. ab animi graviſſimis affectibus;
3. a ſpaſmis hyſtericis;
4. ab imbecillitate ventriculi, digeſtioneque laeſa;
5. ex ſenectute.

Differt autem curatio pro earum cauſſarum varietate.

Dolores vel inflammationi conſtanter immorantur, vel nervorum ſequuntur immediatum irritamentum.

Utrobique opium expedit, ni ſanguis abundet, ni ventriculus ſordibus ſcateat, ni alvus compreſſa fuerit: inflammationi vero idonea opponuntur praeſidia, quae et reſolvunt et diluunt et molliunt.

Sopor.

Praeternaturalis ſomni triplex ſtatuitur discrimen:

1. *coma*, ubi perpetua adeſt ſomnolentia, quam interpellere nequimus.

Dum continenti gravique ſomno premuntur, *coma* dicitur *ſomnolentum*; ubi vero discutitur facile ſomnus, mens tamen temulentia laborare videtur, *comatis vigilis* nomine venit.

2. *Lethargus:* accedit huic ſopori graviſſima imbecillitas, ſpiritus opprimuntur, animumque adeo deſpondent, ut nihil curent, omniaque obliviſcantur;

3. *carus:* ſit is adeo altus, ut expergiſci aeger nequeat; tardi ſimul et graviores ſpiritus eſſe ſolent.

Coma autem vigil potiſſimum febres comitatur, occurrit quoque in iis affectibus, quos vermes excitarunt.

Contrectatio quoque ſingularis quaedam ſomnolentiam movere poteſt, quae in imbecillis ac irritabilibus hominibus facile abit in morbum.

Reliquae vero ſpecies humorum abundantiae plerumque ſupernaſcuntur, narcoticis praeterea vaporibus, arthritidi retrogreſſae, eryſipelati et ſcabiei, effuſis in cerebrum humoribus, quibus id comprimitur, laeſionum, metaſtaſium, hydrocephali exemplo; ſupernaſcuntur nimiae ſolis efficaciae, animi affectibus, nimiis excretionibus, ſpaſmis hy-

ſtericis, ſcorbuto, peripneumoniae nothae, ſenectuti aliisque cauſſis, quae vel conſenſu agunt vel immediate cerebrum comprimunt.

Lethargus ſaepiſſime ſociam habet febriculam habitumque cachecticum, diuturni morbi ſpeciem prae ſe ferre ſolet.

Carus vero cauſſas agnoſcit et graviſſimas et vinci neſcias, paucos duntaxat dies perſiſtere ſolet.

In multos vero annos protrahitur nonnunquam coma ſomnolentum, cuius omnino extant exempla.

Ubi naturalis ſomnus diutius aegrum premit, vires labefactare ſolet: magnopere autem periclitantur, qui affectibus ſoporoſis laborant.

Ratione etiam carere videtur, ſomnolentiam praeternaturalem ullo modo aegrum iuvaturam eſſe. Facilius vincuntur ſopores ex repletione orti, quibus itaque vires opprimuntur magis quam deficiunt, quam ii, quibus vires omnino exhauſtae ſunt.

Facilius quoque auxilium exſpectatur, ubi conſenſus ope cauſſae egerunt, quam dum cerebrum primitus compreſſerunt.

Excitantibus opus duntaxat eſt, ubi narcotici accuſantur vapores; alibi autem ceterarum rerum, quae circumſtant, ratio eſt habenda.

Avertere ſtudeat medicus quidquid humores impetu quodam ad caput ferre poteſt, paullo erectius itaque ſedere aegrum iubeat.

Licet vera ſanguinis abundantia raro in cenſum veniat, mittendus tamen omnino ſanguis e pedúm venis, dum humores turgent, ſatius autem eſt ſordes, ſi quae turgent, vomitorio prius expellere.

Ubi humorum aliquid in caput abſceſſiſſe videtur, revocandi iterum in cutem ſunt veſicatoriis, epiſpaſticis, frictionibus et diaphoreticis. Calvaria fracta foranda eſt, ut effuſi humores, qui cerebrum comprimunt, expellantur.

Idoneis autem generatim remediis antiſpaſtica iungantur, maxime ubi hypochondriaca et hyſterica adeſt conſtitutio.

Si vires deficiunt, ortusque eſt ex inanitione ſopor, labores noſtros penitus fruſtrari ſolet morbi pertinacia.

Narcotica denique venena vel vomitoriis expellantur vel acidis infirmentur.

Paralyſis.

Ubi viribus motricibus muſculi deſtituuntur, pars ea, quam movere debebant, reſoluta dicitur.

Omni interdum ſenſu ſimul caret pars affecta: raro tantum dolores ſocii adſunt.

Motus etiam deficiens varios agnoſcit gradus, ſiquidem reſoluta membra nonnunquam convelluntur. Pulſus arteriarum in artu affecto vel imbecilli ſunt exilesque, vel omnino deficiunt.

Strictiori ſenſu *paralyſis* dicitur artuum reſolutio: *hemiplegia* vero, dum alterutrum latus, capite excepto, deficit: toto autem corpore, citra caput, reſoluto, *paraplegia* appellatur. *Pareſis* nomine venit ea reſolutio, quae colicos excipit dolores.

Subito interdum aegros corripit, nonnunquam vero et ſtuporis et frigoris ſenſus in artubus praegreditur.

Cauſſae ſunt:

1. ſanguis in maxime ſenſibili corpore abundans;

2. vapores arſenici plumbique;

3. acrimoniae rheumatica, ſcrofuloſa, ſcorbutica, arthritica, venerea et ſcabioſa;

4. affectus animi vehementes crebroque recurrentes, maxime ira et terror;

5. ſi quid humorum nimis profunditur, quo vires adeo infringuntur, ut et dyſenterias et ſanguinis profluvia interdum reſolutiones membrorum ſequantur;

6. circuitus nonnullae paralyſes habent;

7. imbecillitas hyſterica aut nervoſa;

8. dolorum atrocia: colicos enim dolores graviſſimos non raro reſolutiones membrorum excipiunt. Pediſſequa autem vere ſit reſolutio dolorum, an morboſus humor potius in membra abſceſſerit, non liquet;

9. ganglion thoracicum, e quo nervi naſcuntur

brachiales, vomica frequenter comprimitur, ut manuum reſolutio inde originem ducat;

10. in hydrocephalo interno et ſpina bifida facillime artus inferiores reſolvuntur;

11. inveſtiganda autem ex toto eſt ſpina, dum artus inferiores deficiunt. Caries enim vertebrarum, aut externa violentia incurvata ſpina reſolutiones attrahit, quae non niſi reſtituto ſpinae poſitu, adeoque aegerrime, tolluntur;

12. ex nervis laeſis protinus membra reſolvuntur;

13. plurimis tandem apoplexiis eae defectiones ſupereſſe ſolent.

Quo diutius iam artus defecerunt, eo minus ſpei concipiendum eſt.

Eo maior etiam pertinacia, quo diutius ante acceſſum prodroma adfuerunt.

Gravior etiam eſt, dum aliis morbis ſupernaſcitur.

Prius autem ſaneſcere ſolent aegri motibus febrilibus agitati. Ubi vero flaccida membra et frigida ſenſu omni omnino carent, irrita plerumque ſunt artis conata.

Circumſpiciendum autem eſt, ut cauſſae materiales e medio tollantur.

Acrimoniae peculiares remediis idoneis vincuntur.

Sanguis abundans vel e vena mittendus, vel reſtitutis profluviis eius ſuetis minuendus eſt.

Ubi plumbi vapores accuſantur, expeditius iuverunt acida vegetabilia, mercurialia et demulcentia. Arſenici vaporibus opponantur oleum aniſi et balnea, quae ſulfur excipiunt: conferunt ea etiam ad acrimoniam ſcabioſam et ſcrofuloſam.

Affectio rheumatica debellanda eſt aucta maxime perſpiratione, ad quem uſum tinctura guaiaci volatilis imprimis idonea eſt.

Noxas, ex animi affectibus ortas avertimus bile expulſa, continuo aquae benedictae Rulandi et ipecacuanhae uſu, balneis praeterea frigidis nervos firmantibus, quae exhauſtas quoque vires egregie reficiunt.

Si qui circuitus morbo ſunt, cortice opus eſt: cum vero hyſtericam agnoſcit conſtitutionem, protinus opium, deinde vero martialia roborantia iuvabunt.

Cuti quoque commodius inunguntur irritantia, maxime cantharides. (V. *unguentum nervinum.*)

Ubi mera adeſt imbecillitas, vino artus laventur, balneaque e formicis parentur.

Praeſidia, quae extus applicantur, proxime partis affectae nervis admoveantur. Reſolutis enim artubus inferioribus externa remedia et femori et popliti et inguinibus; dum brachia vero et manus

deficiunt, vertebrae potius ſeptimae cervicalis regioni, aut, qua deltoideus inſeritur, apponantur. Ubi lingua reſoluta eſt, e raninis venis inciſis praeſentiſſima manare ſolent commoda. Rheumatiſmis inveteratis electricus torrens ſaepiuscule egregiam fert opem.

Apoplexia.

Si quis ſubito ſenſibus deſtitutus concidit in ſoporem, ſpiritibus ſimul oppreſſis et membris reſolutis, is laborare apoplexia dicitur.

Complectitur itaque haec valetudo ſoporem cum ſtertoribus et reſolutionem tum ſenſuum tum muſculorum.

Differt autem ab aſphyxia, quod ſpiritus trahere pulmones, circuitumque abſolvere ſanguis pergat; primo autem aſpectu aſphyxia facile cum hoc morbo commutatur, dum reſoluta eſſe membra non ſtatim cognoſcimus.

Exquiſita vero dicitur apoplexia, ubi ſui neque conſcius eſt aeger, neque membra quocunque modo movere poteſt: *parapoplexiae* vero nomine dignus eſt morbus, dum neque penitus aeger ſenſibus caret, neque motus omnino deficit.

Modo alios excipit morbos, modo per ſe naſcitur. Hoc quidem caſu praeſagiri ſolet per aliquot annos variis prodromis, e. g. vertigine, cuius cauſ-

ſa congrua indigitari nequit, torpore artuum facile transeunte, ſomnolentia minime reficiente, memoriae defectu, dentium ſtridore, maxime noctu, urinae praeter voluntatem curſu. Linguae demum gravitas aut loquelae praecipitans et voluntati contrarius uſus proxime inſtare huius morbi impetum minitantur.

Enecare autem acceſſus ſolet duorum vel trium dierum ſpatio: vel vero febris oritur remittens, cuius acceſſus revocare inſultum apoplecticum conſueverunt. Nonnunquam vero, dum quivis motus febrilis deficit, ſuperſtes reſolutio in longum trahere aegrum ſolet.

Febris nervoſum ſervat characterem, cuius recurſibus facile intermoriturus eſt aeger.

Quae vero febris ubi rite curatur, ſolutionibus peculiaribus ex toto reſtituere aegrum poteſt: nihilominus ſupereſſe ſolet reſolutio, poſtquam febris iamdudum deſiit.

Raro teneras aetates corripit; plerumque obvia, ubi aetas iam induravit.

Senſibus acutiſſimis praediti, ſpaſmis obnoxii, qui immodice corpus implent cibis praeſertim calidis, qui multum ſedent, collumque habent breve et craſſum, caput etiam intra humeros ſitum, proniſſimi eſſe ad hunc morbum ſolent.

Proxime apoplexiam efficit reſolutio nervorum, qui et conſcientiam et ſenſus et muſculorum motus producunt. Quaerendine ſint ii nervi in cerebro ſolo, perhibere non audeo. Si quidem capitis gravia vitia nullam ſaepius reſolutionem nullumque ſenſuum errorem producunt: cum vero medullam afficiunt ſpinalem, iis gignendis paria videntur.

Naſcitur autem cerebri reſolutio e laeſione externa, contuſionum concuſſionumque eius exemplo. Expertus tamen ſum, tertio tandem die os parumper distrahi, cum omnino ſui conſcius eſſet aeger: ſecto autem cadavere cerebrum effuſo ſanguine obductum reperiebatur.

Apoplexia efficitur etiam colluvie capitis ſeroſa et lymphatica, quae vero rarioribus tantum caſibus adnumeranda eſt. Quibus caput laeſum eſt, extra vaſa effuſum eiusmodi humorem ſaepius habent, citra veram apoplexiam.

Maxime vero vulgaris eſt congeſtio ſanguinis in cerebri vaſis, quae tanta eſſe poteſt, ut rupta vaſa ſanguinem profundant. Immerito autem is extra vaſa effuſus ſanguis pro cauſſa apoplexiae habitus fuit, cum perinde effici cauſſis remotis ac ipſa apoplexia videatur. Negari tamen nequit, ſymptomata eo graviora reddi.

Quodſi haec nervorum reſolutio capitis vitia ſupponit, apoplexiam ſiſtit idiopathicam: cum vero

a congeſtionibus oritur, quae remotarum partium ſtimulis efficiuntur, conſenſu generari morbus videtur. Illa vero ſpecies rarior eſt curatuque difficillima.

Feruntur plerumque humores impetu quodam in caput, dum ſpaſmis vaſa contrahuntur. Nonnunquam tamen tantum abeſt, ut ſpaſmi iure accuſentur, ut recurſus ſanguinis e capite organico potius vitio eius impediri videatur. Exiſtunt forte aliae etiam cauſſae, quae certo etiamnum definiri nequeunt.

Poſſitne citra quemvis humorum impetum apoplexia gigni, poſſitne cerebrum ſpaſtice contrahi, ſufficiatque compreſſio aut ſtimulus in alios nervos nervorumque tenerrimos ramos agens ad producendam hanc valetudinem, dubii adhuc haeremus, quamvis argumenta nonnulla militare pro ea ſententia videantur. Id ſaltem exploratum habemus, ſubinde ſectum cadaver nihil omnino vitii, quo comprimi cerebrum potuerit, oſtendere: e contrario etiam ulcera ſaepe inſignia, colluvies aquoſae oſſiumque tubercula, citra praegreſſa apoplexiae ſymptomata, inveniuntur. Variarum praeterea cauſſarum remotarum natura ita comparata eſſe videtur, ut per ſe nervos afficere poſſit. Imbecillitatem totius corporis ſequens apoplexia perinde ac aliae reſolutiones partiales e ſola nervorum compreſſione

a vaſis ſanguiferis orta declarari nequit. Inſignis autem germanitas apoplexiam iungere cum febribus nervoſis videtur: veram ea ſaepius febrem nervoſam complectitur, cuius primordia vel vulgaria ſiſtunt prodroma apoplexiae vel celerius transeunt, vel eodem plane modo deficiunt ac in febribus nervoſis acutis.

Irruunt autem in caput humores, ſtimulumque id patitur, dum ſequentes contingunt conditiones:

1. ſanguinis abundantia, quem natura profundere ſtudet;

2. nimia ſeroſorum humorum et pituitae copia, dum ſpaſmis corpus favet;

3. affectus animi ſubito ingruentes;

4. colluvies ſordium biliofarum et vermium in primis viis;

5. impedita perſpiratio cum rheumaticae acrimoniae abundantia, aut ſudorum, quibus natura aſſueta erat, regreſſus;

6. abdominis viſcerum obſtructiones;

7. circuitus quandoque haec valetudo habet;

8. nimia ventriculi impletio;

9. potuum inebriantium exagitans effectus;

10. vapores narcotici;

11. radiorum ſolis vehementiſſima in corpus actio;

12. frigus ſubito admiſſum;

13. arthritis retrogreſſa;

14. exanthemata repulſa;

15. polypi cordis vaſorumque maiorum, tumores et aneuryſmata;

16. virium defectio, ſi quid nimis excretum eſt. Effunduntur autem humores in cerebrum, comprimitur, admiſſis omnibus in iis cauſſis, praeterea vero etiam violentia foris illata, lenteque exulcerata cerebri quadam parte.

Tanta cauſſarum dictarum differentia, minime omnes complecti ſpecies discrimen apoplexiae ſanguineae et ſeroſae, manifeſto docet: licet adſit omnino, neque negligendum ſit eiusmodi discrimen.

Notatu tamen dignum eſt, irruere ſanguinem etiam in caput, ex pituitae ſerique abundantia. Ubi itaque ad curationem adhibere id discrimen cupimus, humorum non ſolum in capite congeſtorum indolem, ſed irritantium et congerentium cauſſarum naturam circumſpicere oportet. Etenim, cum ſanguis a pituitae ſerique colluvie abdominali in caput fertur, ea apoplexia minime ut ſanguinea tractanda, neque ita appellanda eſt, ut errores practici vitentur.

Idoneum magis eſt discrimen apoplexiae *ſanguineae*, *gaſtricae* et *malignae*.

Periculum morbi variat, pro cauſſarum gravitate vel acceſſus ipſius vehementia. Quo plures cor-

ripit partes apoplexia, eo magis aeger periclitatur. Periclitatur etiam, dum deglutire non poteſt, licet vi quadam poſſit aliquid protrudi.

Malum etiam eſt, cum protinus febris non accedit.

Inſigne metuitur periculum, ſi remedia nihil agunt, internae partes reſolutae eſſe videntur praeterque voluntatem humores excernuntur. Quo diutius prodroma praegrederentur, eo periculoſior eſt morbus: maxime cum non primus eſt impetus.

Si vero ſuper alios naſcitur morbos, multo maius habet periculum, quam cum per ſe adeſt.

Patet autem e cauſſis allegatis, triplici potiſſimum curatione apoplexias indigere, *antiphlogiſtica* puta, *evacuante* et *diaphoretica*, quae vero ſecum iungi ſaepius debent.

Ex toto vero ratio habenda eſt humorum, qui congeſti ſunt, eliminandorum, tum vero cauſſarum, maxime ſpaſmorum tollendorum.

Conſilium protinus, qui curat, transferat in congeſtiones verſus ſuperiora: erectius itaque ſedere aegrum iubeat.

Facie praerubra, pulſibus magnis plenisque, praeſertim in arteria carotide, habituque ſanguinis abundantiam vel maxime exprimente, ſanguis ilico e vena mittatur, e iugulari vero, dum impetus vehementiſſimus eſt. Quodſi revocanda ſimul ſunt

ſanguinis profluvia intercepta, pedum potius venae eligantur.

Copia vero ſanguinis e vena mittendi iterataque eius adminiſtratio pro pulſuum conſtitutionisque differentia definiuntur.

Protinus ut ſanguis miſſus eſt, alvi lotiones imperentur: requiruntur autem ad eas ſola mollientia, dum praeter ſanguinis abundantiam et ſenſus acutiſſimos nulla ſubeſt cauſſa; laxantia vero, dum ſordibus ſcatent bilioſis primae viae: irritantia denique, dum eae pituita abundant.

Simul vero, ubicunque ſpaſmi ſoli et ſanguis abundans accuſatur, temperantia ordinentur et antiſpaſtica.

Ob diſtentiones abdominis frequenter ſocias, praeter alvi lotiones emollientibus permulceatur abdomen.

Videntur etiam in his caſibus frigida prodeſſe fomenta, capiti admota, ſanguine nimirum prius miſſo, alvoque ducta.

Ubicunque ſanguis non abundat, aut ſufficienter miſſus alvusque ſoluta eſt, plantis pedum epiſpaſtica ſurisque veſicatoria admoveantur.

Turgentibus bilioſis et pituitoſis humoribus, alvus copioſe liquanda, aut, ubi ventriculo maximam ſordium partem contineri perſuaſum habemus, vomitus ciendus eſt.

Generatim vero tantum abeſt, ut venas in quavis apoplexia ſecari oporteat, ut potius nocere facile ea ratio poſſit, dum vires deficiunt, facies pallet, pulſus exiles ſunt ſerumque et pituita abundant.

Cum perſpiratio ſudoresque ſueti ſuppreſſi ſunt, vapores aut balnea calida ad fovendas partes adhibeantur. Eodem agatur modo ad exanthemata repulſa podagraeque anomalos impetus, ubi vero ſumma curationis verſatur in epiſpaſticis et veſicatoriis.

Quodſi frigus derepente admiſſum accuſatur, alexipharmaca et camfora proſunt.

Narcotici vapores acidorum poſtulant et internum et externum uſum.

Prohibenda omnino quaevis excretio, dum vires penitus proſtratae ſpaſmique adſunt hyſterici. Expeditiſſima ſunt balnea tepida, quae vinum excipiunt, iuvant etiam moſchus, valeriana aliaque, quae ſpaſmos ſedant, cum ipſis epiſpaſticis.

Febrim apoplexiae ſociam temperantibus ne mitigare ſtudeamus: adhibeamus potius, praeſertim cum viſcerum abdominalium infarctus ſuspicamur, ea medicamenta, quae potentius reſolvunt. Plerumque eodem, quem ad febres nervoſas praecepimus, modo agatur.

Si

Si qui circuitus morbo ſunt, tempeſtive corticis peruviani uſu avertantur.

Ecſtaſis.

Vocatur ita affectus, ubi motus quidem praepediti non ſunt, aegri tamen mentis vires tantopere in unam rem intendunt, ut aliarum omnium conſcii plane non ſint.

Mentis ipſius errores utplurimum ſupponit id vitium, neque periculo penitus caret.

Opus vero eſt animi remiſſione, exercitatione corporis, victu ſalubri, balneis frigidis iisque medicinis, quae corpus firmare, ſpaſmosque ſedare valent.

In eam, quae ſequitur, valetudinem frequentius tranſit.

Catalepſis.

Acceſſus quosdam format, in quibus ſui non amplius compos eſt aeger, neque movere ſe poteſt. Poſitum autem eundem ſervat, quo morbus ipſum corripuit, facile tamen flexis ſingulis artubus.

Ii quidem acceſſus ultra horam dimidiam raro protrahuntur. Exiſtunt tamen caſus, ubi catalepſis in longum tempus porrigitur.

Convulſionum defectu differt ab epilepſia: a tetano autem flexis facile artubus: ab animae defe-

ctione eo, quod et pulſus et ſpiritus et poſitus aegri nullo modo mutentur.

Sequitur autem is morbus cauſſas morborum nervoſorum omnes: niti tamen praeterea videtur ſingulari quodam nervorum vitio quod plerumque labores medicorum fruſtratur.

Raro tamen in exitium impetus morbi praecipitant: periculum duntaxat affertur paſſionibus, quae ſupernaſcuntur.

Excipiunt autem hanc valetudinem et apoplexia et reſolutio nervorum et hydrops et macies.

Equidem catalepſin aliquando curavi iis remediis, quae primas evacuarent vias: orta ea eſſe videbatur a lumbricorum ſtimulo.

Catochus.

Varium omnino affectum eo nomine auctores appellant. Commodiſſime vero catalepſi ſimilis quidam morbus, ubi flecti nequeunt artus, ita vocatur.

Intereſt autem eum et tetanum, quod ſpiritus facile trahantur, neque partes internae ſpaſmis tantopere vexentur. Curatio eodem, quem ad catalepſin praecepimus, modo adminiſtranda.

Somnambuliſmus.

Plures eius affectus ſpecies obſervatae ſunt, quae gradu tantum differre videntur.

Minimo quidem gradu loquuntur aegri dormientes, moventque artus, lecto tamen decumbentes.

Ubi ſecundus adeſt, ſurgunt, continuo dormientes, variasque perficiunt actiones, expergiſcuntur autem citra omne negotium.

Tertio demum gradu corripiuntur non ſolum ſomno oppreſſi, ſed interdum etiam, dum muneribus ſuis funguntur. Continuant eadem, licet ſui non amplius compotes ſint, neque facile ad ſemet ipſos redeunt.

Expergefacti ea, quae egerint, minime reminiſcuntur; imitari plerumque in ipſis acceſſibus eas videntur actiones, quas ſui compotes ſaepius inſtituerunt. Neque tamen eo minus obſervationes docent, ea etiam complecti actiones morboſas, quarum ratio a cauſſis in ipſo inſultu aegros afficientibus petenda, iudicium aliquod ac animi vires deſiderare videtur. Maxime id valet de cauſſis, quae tactum afficiunt, quarum omnino conſcii eſſe videntur.

Animadverſum eſt, praeter ceterorum nervoſorum affectuum cauſſas vulgares hereditate etiam hunc morbum propagari, eosque, qui narcoticis et inebriantibus abuſi fuerunt, ſubinde eo corripi.

Qui imaginatione nimis agili atque depravata praediti ſunt, qui inſomniis obnoxii facillime e ſomno expergiſcuntur, adeo favent huic morbo, ut cauſſis vel leviſſimis oriri poſſit.

Satius eſt impedire, ne quid damni capiant, quam ſuscitare eosdem. Interdum vero verbera in ipſo acceſſu non nihil iuverunt, unde elucet, non omnem omnino animi vim ac conſcientiam deficere.

Fertur etiam, electricum torrentem expeditiſſimum eſſe.

Inquirenda praeterea ſunt ac tollenda quaevis corporis vitia, quo facto curatio ſaepe expleta fuit, ni hereditarius fuerit morbus, ni animi vires nimis imbecilles erroribusque obnoxiae ſint.

Arte is morbus excitatus nuperis temporibus, tamquam remedium adverſus alios morbos, laudes ſuas tulit. An vero arte effici omnino poſſit, repetitis adhuc fidisque obſervationibus confirmari oportet: ratione vero penitus caret medela eo inſtituenda, quamvis commodiſſimum ſit in variis morbis, leniter corpus permulcere.

Hydrophobia.

Complectitur is morbus potulentorum omnium horrorem, ut ſolo nonnunquam aquae aſpectu aegri vehementiſſimis corripiantur convulſionibus.

Triplex autem discrimen eiusdem ſtatuendum.

Prima ſpecies eſt *ſymptomatica.* Ad alios accedit morbos, plerumque transiens. Supernaſcitur enim et inflammationibus et febribus nervoſis et

diuturnis nervorum morbis. Oritur etiam ex abuſu ſpirituoſorum plantarumque narcoticarum, ſingulari curatione raro indigens.

Altera eſt ſpontanea, rariſſime homines afficiens. Viſa eſt poſt animi affectus vehementes. Ii etiam caſus huc pertinere videntur, ubi immodicum calorem ſummumve frigus aliquis toleravit.

Tertia a morſu canis naſcitur rabidi. Cui ſi delirium immoratur, rabiei caninae nomine venit. De hac vero tantum praecipiam.

Complector vero utramque poſteriorem ſpeciem, quamvis idoneo egeat nomine, cum ſaepius aeger minime deſipiat, ſubinde aquam quoque non abhorreat, eodem omnino morbo manente.

Spaſticos generatim affectus in eo morbo ſingulares videmus. Ferocia quaedam aut formido ex oculorum aſpectu elucet. Nonnunquam pupilla admodum dilatata iridisque color mutatus eſt.

Magnopere etiam ventriculus doloribus vomituque vexatur, cutis autem acutiſſimo valet ſenſu. Interdum rationis omnino compotes aegri bibendi deſiderium exprimunt, neque tamen id perficere valent.

Non raro ſimul delirant, mordere cupiunt, ſputaque in eorum, qui circumſtant, faciem iniiciunt.

Quandoque bene quidem deglutire potulenta poſſunt, reliquis tamen vèneni hydrophobici effectibus crucientur.

Cauſſa verſatur in ſaliva viroſa, quae in vulnus admiſſa ſingularem quandam in nervos efficaciam habet.

Quousque tandem id contagium progrediatur, expoſitu difficillimum eſt. Liquere nihilominus ex auctorum videtur obſervationibus, hominum etiam bene valentium morſus excipere poſſe hydrophobiam. Quin fertur, ſolo rabidi animalis halitu, ſanguineque hominis hydrophobici eum morbum ortum fuiſſe.

Exploratum habemus, furibundi canis morſu tantum non ſemper hanc attrahere valetudinem, contagioque eam propagari.

Eane etiam rabies, quae ex aliis cauſſis citraque morſum vere rabidi canis corripit homines, contagioſa ſit, nondum conſtat.

Cognoſcitur autem, rabidum eſſe canem, ſequentibus indiciis; moerere iam diu videtur, neque potum neque pabulum curat, neque domino blanditur, licet ii initio tamen obtemperet. Aures remittit et caudam, gannit potius quam latrat.

Mox neque dominum amplius cognoſcit, incipitque mordere quidquid proximum eſt. Tandem vagari, nusquam vero recta, ſed undique variis gy-

ris diſcurrere, linguam longiſſime protenſam, aridam eam et lividam, remittere, mordereque quidquid occurrit.

Tum demum humi concidere, derepente iterum ſurrigere, circumquaque mordere; nychthemero denique uno vel altero plerumque enecari.

Si quem in ultimo ſtadio momorderit canis, is eodem certe morbo, contagii vi, corripitur.

Quanam vero ratione in canibus oriatur haec valetudo, maxime incertum eſt.

Praecipuam quidem cauſſam et tempeſtatis nimius calor et ciborum calefacientium uſus et potuum defectus praebere videntur.

Conſtat quoque, lupos, feles aliaque animalia ii obnoxia eſſe.

Vermis ſic dictus, quem ſub lingua canes ferunt, particula potius glanduloſa eſſe videtur, inſons omnino in hoc morbo, ni ſecretionem ſalivae viroſae promoveat. A nonnullis habetur ligamen tum potius, quod continendae linguae canum praelongae inſervit.

Vulnus, quod ex eiusmodi ulcere fit, tantum abeſt ut facile exulceretur, ut potius ſtatim in unum coëat.

Effectus eiusdem vel praecocius vel tardius apparent. Accelerantur tamen et opportunitate ſingulari et maiore irritabilitate et animi affectibus, ma-

xime formidine. Eo etiam prius excitantur rabiei ſymptomata, quo propius glandulis ſalivalibus vulnus eſt.

Obſervatum praeterea fuit, hydrophobiam ſive delirium poſt quatuor aut ſex tandem ſeptimanas, interdum vero poſt totidem menſes erupiſſe.

Protinus naſcuntur dolores ſurarum aut cicatricis, lividus tumor eiusdem, cumque cicatrix recrudeſcit, inſtare morbus ſolet.

Aeger et miris angoribus et formidine et vigiliis aſſiduis exercetur: cor continuo palpitat, totum corpus friget horretque, neque appetere cibos neque ſitire ſolet: mox dolores in totum proſerpere artum, tunc autem derepente, aſpectu aquae, aut ubi bibere volunt, potulenta abhorrere.

Alii fluida medicamenta deglutire valent.

Alii devorant quidem aquam, ilico tamen eam revomunt: alii nulla cruciantur aquae horrore, ſed alienis plane nervorum paſſionibus. Interea pulſus fere ſemper ſpaſtici, neque tamen ubique febriles eſſe ſolent. Aeſtum ſaepe torridiſſimum in gula morſaque parte ſentiunt. Subinde eo vehementius ſitiunt, quo gravior eſt aquae horror.

Saepiuscule tantopere acutis praediti ſunt ſenſibus, ut neque lucem ferant neque minimum aëris motum neque leviſſimum ſonitum. Spaſmis vigen-

tibus urina etiam mirifica quadam vi propellitur membrumque virile doloribus erigitur.

Delirant modo, modo ſui compotes ſunt. Alii praecordiorum et inteſtinorum doloribus premuntur.

Alii mordent, neque abſtinere a morſibus, vel rationis compotes, poſſunt. Alii latrare dicuntur: eſt vero ea potius vociferatio doloribus eliſa aut lamentatio, ſpaſmis et distentionibus organorum vocalium producta.

Moratur is morbus vel tres vel ſeptem dies, denique animam deficiunt, ſoporibusque oppreſſi in mortem praecipitantur.

Quod ſupereſt, morbus ſeſe remittere nonnunquam ſolet. Animadverſum etiam eſt, circuitus rationem quamdam cum lunae phaſibus habere.

Proxime vero hanc valetudinem ſingulare aliquod gulae vitium antecedere non videtur: ſecto enim cadavere ſana ſaepius gula reperitur. Atque ſolida utique ſine negotio deglutiuntur, maxime cum offa gulam iam intraverit. Inventae quidem poſt mortem ſunt inflammationes et ventriculi et inteſtinorum bilisque atra ac putrida: verumtamen ea potius effici hoc morbo quam cauſſae eſſe videntur.

Singularum quemdam nervorum ſpaſmum proxime praegredi hunc morbum credibile eſt. Ne-

que tamen ii ſpaſmo et aliis nervorum vitiis germanitas quaedam eſſe videtur, cum obſervatum ſit, tempore eo, quod inter morſum et morbi primordia incidit, homines et variolis et febribus intermittentibus ſalvos ſuperfuiſſe. Nervorum peculiaris affectio patet non ſolum e ſymptomatibus, ſed inde etiam, quod opium ibi perinde ac in aliis nervorum morbis, vel maxima portione exhibitum, narcoticam ſuam virtutem exſerere non ſoleat.

Morſus canis utique periculoſior eſt in ultimo rabiei ſtadio, quam in primo, periculoſior omnino ſani animalis morſu. Priori autem caſu citiſſime ac derepente morbus erumpit.

Sibi ipſi commiſſus letum plerumque afferre ſolet. Neque arte quicquam effici poteſt, licet proſperorum quorundam ſucceſſuum exſtent exempla.

Facilius curatur, qui diutius praeſagitus fuit, quam qui ſubito incidit.

Ubi graviſſima iam ſaevitie viget, proſtratis penitus viribus, labores omnes, qualis noſtrorum temporum ars eſt, fruſtrari ſolet morbi atrocia.

Redit itaque artis auxilium ad praeſervandum potius morbum. Curam habeamus, ut e vulnere venenum pellatur, aut transitus ſaltem eius in humores impediatur.

Summa autem curationis verſatur in exſtirpanda, incidendaque, quantum fieri poteſt, morſa parte:

ſuppuratio praeterea diutiſſime ſervetur. Id vero potiſſimum fit cantharidibus vulneri inſperſis, fidem autem in iis collocare eo maiorem audemus, quo plures exſtent obſervationes de uſu earum interno.

Perſuaſum etiam habeo, utiliter poſſe mercurium rubrum praecipitatum adhiberi. Ea vero ratio in recenti duntaxat vulnere inſtituenda eſt: ubi vero iam diu in unum coiit, nihil iuvat, iterum id aperire.

Quodſi exſtirpare vulnus protinus vel omnino non poteſt, conferet, lavare vulnus et eluere continuo aqua frigida. Atque id exſtirpato iam vulnere non negligendum eſt.

Plures quidem ſtatim ſuadent ſanguinem e vena mittendum eſſe. Cum vero magnopere referat, tollere nervorum irritabilitatem, circumſpecte omnino ſuspenſaque manu et ſectio venae et alia, quae corpus infirmant, adminiſtrentur.

Alteram ſequeretur rationem, qui antidotum quoddam adverſus virus reſorptum exhiberet. Lichenum quaedam ſpecies, (*Peltigera* canina *Hoffmann.*) *atropa* belladonna, mercurialia, canthariides, meloëque maialis profuiſſe ſaepius dicuntur: uſui quoque manifeſto fuerunt varia antiſpaſtica, maxime moſchus, licet tantum abſit, ut antidotum viri aliquod ſiſtant, ut ſpaſmos duntaxat mitigare videantur.

Experientiae tamen, quae exſtant, ambiguae adeo ſunt, ut effectus eorum remediorum aegerrime definiri poſſint.

Equidem mallem iis protinus uti remediis, quae urinam provocant, augere autem paullatim eorum doſin, quod qualibet mora magis adhuc aeger periclitatur, quodque nullum ſupereſt experimentis tempus.

Ad haec magnam imprimis curam habeo, ut cutis molliatur. Utrique fini inſerviunt et cantharides et meloës maiales; tum ſenegae radix, tum camfora, theriacaeque ſolutio in ſpiritu ſalis ammoniaci volatili. (V. *potio antilyſſa.*)

Inſervit denique mercurius nitroſus, cuius uſus eo magis praeferendus eſſe frictionibus videtur, quo facilius iis, proxime loco morſo inſtitutis, venenum, perinde ac venereum, poſſit in corpus retropelli. Semel vero adhibui eos, poſtquam exſtirpata eſſet morſa pars, ſuppurationemque eius promoviſſem, neque ulla inde ſecuta eſt hydrophobia.

Mercurialium autem remediorum efficacia, ſaeviente iam morbo, neque ſatis cita neque tuta videtur. Malim ibi dictis remediis uti, quae et ſudores et urinam proliciunt. (V. *potio antilyſſa.*)

Quodſi viri reſorptionem neque impedire, neque mutare eius vim potueris, graviſſimo iamiam

modo ſaeviente valetudine, tertia adhuc ratio ſuperest, ut nimirum nervi ea omnino vi priventur, qua venenum percipiunt. Non alienum eſt, ea propter et moſchum et opium et virum, hauſtibus copioſis, devorare. Ea vero omnia vitare oportet, quae irritare quocunque modo valent.

Hinc neque cogere licet aegros, ut bibant: raro vero aut nunquam praeſidia ea, quantum noſtrorum temporum ars valet, finem curationis attingunt. Deſtituti potius nervi eo ſenſu videntur, quo antiſpaſtica percipiunt.

Caput igitur totius medelae verſatur in exterminando per vulnus, ſudores et urinam, veneno. Contingit autem ſecunda valetudo ii forte nunquam, qui primus a rabido animali, ultimo rabiei ſtadio, morſus fuit.

DE SINGULARUM PARTIUM AFFECTIBUS.

Primum quidem huc ii pertinent, quibus ſingulae tantum partes laborant, quarumque cauſſa in ipſa latet parte, morbi ideo et idiopathici et topici dicti.

Tum vero eos his accenſendos duco, qui, ex conſenſu quidem orientes, cum praeternaturalem totius corporis conſtitutionem ſequantur, functionem nihilominus ſingularis cuiusdam partis laeſam ſupponunt.

DE MORBIS CUTANEIS.

Quandoquidem praecipuos iam ad diuturna exanthemata tractaverim, de iis hic duntaxat praecipere licet, qui quidem fere ſemper, perinde ac illa, maximam ſaltem partem, ex internis oriuntur cauſſis, ut topica tamen potius vitia conſiderandi ſunt, cum ſingulas tantum partes cutis afficiant, raroque plures afferant moleſtias.

Ubique nituntur acrimonia, quae vel internam ſequitur corruptionem, vel in ipſa cute elicitur.

In plenum vero commoda ſunt, quae lente leniterque reſolvunt, e. g. cucurbitarum, taraxacique

ſuccus, lac ſulfuris, balnea tepida, victus tenuis, multaque exercitatio in puro aëre. Agunt enim ea omnia in perſpirationem, adeoque in partem ipſam affectam.

Ephelis et lentigo.

Ephelides oriuntur, cum frequentius aliquis ab inurente ſole concitatur. Citra tamen ſolis vim eae ſubinde maculae naſcuntur, *lentigines* dictae, dum et calore et forma lentes referant.

Utrobique internam ſequi acrimoniam videntur, cum ii potiſſimum illis obnoxii ſint, qui vel rheumatiſmis, vel viſcerum abdominalium obſtructionibus laborarunt.

Expediunt autem praeter ſalubre vitae genus, ea quae ſanguinem purgant, corporis inſuper exercitationes, uſusque externus magiſterii ſaturni.

Gravidae non raro talibus afficiuntur maculis, maiori tamen ambitu differentibus, et poſt partum iterum evaneſcentibus.

Gutta roſacea.

Rubor ita vocatur narium totiusque faciei, qui ſpirituoſorum potiſſimum abuſum ſequi ſolet. Interdum vero eryſipelatis ſpeciem quamdam prae ſe ferre videtur; commoda tunc eſſe ſolent et reſolventia, praeſertim emetica, exiguis adhibita portiunculis,

et acidum vitrioli et laxantia antiphlogiſtica, praeſertim cremor tartari.

Erythema.

Eo nomine appellatur inflammatorius cutis rubor, facile transiens.

Naſcitur autem a frictionibus, acrimoniis externis irritantibus, e. g. a Rhoë toxicodendro, a morſu inſectorum, ab igne et frigore.

Ubi acrimoniae accuſantur, externe mollientia, interne autem et acida et laxantia conveniunt antiphlogiſtica.

Aduſta cutis extracto ſaturni diluto, frigore autem obrigeſcentes artus oleo cerae et petrae nutriantur.

Lichen.

Exanthema leviusculum herpeticum ſic dicitur, quod neque pruritum vehementem neque cutis ſubiacentis rigiditatem affert, ſed ubi ſquamulis fatiſcit cuticula.

Praeter ea praeſidia, quae ſanguinem corrigunt, extus applicanda herba boni Henrici recens et magiſterium Saturni.

Naevus maternus.

Variam ii habent indolem, modo ſolas ſiſtunt maculas, modo tumores excreſcentes.

Illae

Illae quidem curari fere nunquam poſſunt: hi vero vincturis interdum eradicantur.

Therminthus.

Puſtulas ſiſtit dolentes, purpureo margine apiceque atro praeditas, quae et forma et volumine piſa referunt. Nonnunquam in gangraenam abeunt: plerumque vero cruſta decidit tertio vel quarto die.

Cauſſa quaeritur in acrimonia putrida, quam acidorum et laxantium antiphlogiſticorum ope tollere licet.

Epinyctis.

Singulae ſunt puſtulae, artus obſidentes, noctuque praeſertim dolentes. Implentur nonnunquam pure mucoſo: oriuntur autem ex interna quadam acrimonia.

Indigent iis remediis, quae ſanguinem corrigere valent, balneisque. Externe applicanda ſunt folia recentia ariſtolochiae rotundae, chenopodii boni Henrici, ſedique quarundam ſpecierum.

Varus.

Excitatur is utplurimum cibis acribus, quibus facile corpus incaleſcit.

Averti id vitium ſolo victu, tolli autem laxantibus antiphlogiſticis poteſt.

Malum mortuum.

Puſtulas complectitur, cruſtis aſperis, rigidis et nigriusculis obtectas, quae interdum decidunt, iterumque adnaſcuntur, quibusque ſubiecta cutis et rubet et exareſcit. Nomen inde originem habet, quod nulla quidem acrimonia percipiatur, neque contagio puſtulae propagentur, neque alio modo proſerpant.

Suppetunt plerumque ad ſecundam valetudinem, praeter victum bene ordinatum alvique ductiones, mercurialia cauſtica extrinſecus applicata.

Intertrigo.

Puerulos afficit id vitium, ex acri urina aut lacte eiusdem indolis. Tolli itaque non ſemper poteſt externis ſolis remediis, quae abſtergunt et ſiccant, e. g. aqua frigida et ſulfure adſperſis: unde vel alius nutricis mammis admovere infantem vel lacte omnino depellere oportet.

Comedones.

Preſſa quandoque puerulorum cute promitur latex unguinoſus ac tenax, vermiculi ſpeciem prae ſe ferens. Supernaſcitur potiſſimum glandulis obſtructis, ubi nutritio labefactata eſt.

Iuvant autem tum balnea, quae furfures excipiunt, ut cutis molliatur, tum ea remedia, quae

obſtructiones tollere valent. (V. *liquor terrae foliatae tartari.*)

Phthiriaſis.

Diſcrimen ſtatuitur quarundam eius morbi ſpecierum:

1. pediculorum copia in capite obvia infantes non raro laborant;

2. pudendorum et ſuperciliorum pili nonnunquam animalculis iis ſcatent, *morpions* a Gallis dicuntur;

3. veſtium pediculi;

4. exſtant etiam exempla, pediculos prodiiſſe ex oculis, naribus, auribus, aliisque partibus, eo autem morbo confecti aegri facilius enecantur.

Immundities commerciumque cum aliis et perſpirabilis materiei ſingularis quaedam acrimonia has ſpecies progignere videntur.

Interna itaque ea opponantur, quae ſanguinem corrigere poſſunt. Externe iuvant ſeminis ſabadilii infuſum et unguentum mercuriale.

DE CAPITIS AFFECTIBUS.

Cephalalgia.

Eo appellantur nomine dolores totum caput occupantes, ſive certum aliquem locum prementes.

Vocantur vero *cephalaea*, dum acerbiſſimi et continui ſunt.

Quodſi dimidiam tantum partem capitis tenent, *hemicraniae* nomine veniunt.

Parvum vero aliquem locum exercentes, *clavi* nominantur.

Ad haec etiam faciei quidam dolor diuturnus extat, quo modo genae modo tempora infeſtantur; quo nullo fere tempore aeger vacat; is quidem nonnunquam ſeſe remittere ſolet, noctu tamen perinde infeſtus ac interdiu. Suscitat dolorem quivis vel leviſſimus motus, neque vehemens admodum preſſio partis affectae. Interdum ſimul faciei muſculi convelluntur, unde *triſmi* quaedam ſpecies a variis auctoribus habita fuit haec valetudo. Feminas magis, easque raro quadrageſimo anno iuniores, cruciare ſolet.

Capitis vero dolores generatim contrahuntur ſequentibus rebus:

1. cum ſanguis per ſueta profluvia non reſpondens impetu quodam in caput irruit;
2. ſcatentibus ſaburra inteſtinis;
3. vermibus ibidem nidulantibus;
4. narcoticis potibus;
5. infarctibus viſcerum abdominalium;
6. acrimoniis arthritica, venerea, rheumatica, catarrhali et ſcabioſa;

7. ſcrofuloſo viro; e quo maxime dolor ille faciei oriri videtur, quamvis eiusdem cauſſa aegre exponi poſſit, nervoſisque potius morbis accenſendus eſſe videatur;

8. vaporibus plumbeis et arſenicalibus;

9. imbecillitate hyſterica, quo maxime clavus pertinere videtur;

10. circuitus praeterea quosdam haec valetudo habet;

11. ſupernaſcitur etiam oculorum morbis;

12. graviſſimi nonnunquam capitis dolores e dentium carie oriuntur;

13. capitis vitiis, e. g. tumoribus, ulceribus, colluvie aquoſa, vermibus ſinus frontales occupantibus;

14. polypis, aneuryſmatibus aliisque ſyſtematis vaſorum vitiis.

Eiusmodi dolorem capitis aliquando obſervavi, cui quartanarum more circuitus erant; pertinacia eiusdem commodiſſimas omnis generis medicinas eludebat, in mortem tandem transiens. Aquae in cerebri ventriculis congeſtae uncias aliquot inveni, quae vero, licet apoplexia enecaretur, neque morbi neque mortis cauſſa eſſe potuerunt. Turgebant vero capitis vaſa, cuius turgoris nequaquam aliam invenire potui cauſſam, praeter varices venarum thoracis et abdominis inſignes, ex iecinoris vitio

probabiliter ortos. Cetera vero viſcera optime valebant, ſolum hepar flaccidum, ſpiſſoque, atro et glutinoſo ſanguine refertum, veſicula vero fellea adeo collapſa erat, ut primo aſpectui ſeſe ſubtrahens diligentiſſime inveſtigari deberet.

15. Cervicis denique dolores excipiunt non raro purulentas collectiones in genitalibus internis partibus et organis uriniferis. Eiusmodi aegrum cognoſco, cuius purulenta renum et ureterum colluvies, plerumque talibus praeſagitur cervicis doloribus.

Ubi ſanguis verſus ſuperiora latus accuſatur, revocandum eſt, ſi quid ex conſuetudine non profunditur, aut etiam ſanguis e vena mittendus. Adhibenda tamen ſimul ſunt temperantia eaque remedia, quae ſpaſmos ſedant.

Narcotici potus, ſordes bilioſae et vermes propellantur, viſcerumque obſtructiones reſerentur.

Ad acrimoniam catarrhalem et rheumaticam poſſunt emollientia, veſicatoria et ſetacea, nonnunquam valerianae internus uſus commodiſſimus eſſe ſolet.

Dum virus ſuſpicamur venereum, mercuriali quadam cauſtica medicina ſuccurrendum eſt.

Capitis doloribus ex acrimonia ſcrofuloſa, maxime faciei doloribus, opem nonnunquam et cicuta et belladonna egregiam tulerunt. Fertur etiam

magnetes extus admotos expeditius iuviſſe. Lubenter tamen fateor, me nullum graviſſimi huius morbi praeſidium noſſe. Praeciſio quidem nervorum affectorum, quam varii auctores ſuaſerunt, neque ſatis tuta eſt, neque inſtitui nonnunquam poteſt.

Vapores plumbei et arſenicales acidis corrigantur ac oleoſis, curetur deinde, ut et mercurialibus et balneis et iis remediis excernantur, quae demulcent ſudoresque movent.

Si qui circuitus morbo ſunt, ſolventia conferunt et cortex peruvianus: fatendum tamen, non raro morbum fruſtrari praeſidia quaevis. Dolor capitis, quo feminae per circuitus vexantur, tum demum deſinere conſueſcit, cum a menſtruorum curſu vacare coeperunt.

Adverſus imbecillitatem hyſtericam non alienum eſt opio uti, et interne et externe, id ſubinde etiam conveniet, ubi vitiorum capitis ſuspicio adeſt.

Expeditius ſaepe iuvant cucurbitulae ſiccae cuti admotae, emplaſtrum quoque veſicatorium perpetuum, ſal cornu cervi aliaque irritantia.

Interdum ventorum viciſſitudines in capitis dolores agere ſolent. Ibi forte potentius valent magnetes electricusque torrens.

Diuturnos ſubinde capitis dolores nimius ſequitur per nares ſanguinis curſus, quo licet capitis do-

lores tollantur, facile tamen ſinuum frontalium cerebrique vomica generatur, cuius ſubitanea ruptura in mortem praecipitare ſolet.

Meningum inflammatio.

Cui morbo, cum febriles ſemper motus adiungi ſoleant, locum etiam inter alias inflammationes aſſignare opus eſſet.

Febre vero ſaepius admodum obſcura, ſignisque inflammationis maxime ambiguis, ni ex praegreſſis cauſſis exponantur, de iis tantum morbi ſpeciebus praecipiam, quae violentam ſequuntur capitis laeſionem, unde ſingularibus potius morbis accenſendam hanc inflammationem duco.

Tantum etiam abeſt, ut in vulgaribus reperiatur artis medicae commentariis, ut potius tirones plerumque ad chirurgos relegentur. Eadem vero ratio eſt huius inflammationis ac ſanguinis profluvii, quod vim foris illatam ſequitur, maxime, cum per ſe nulla forte per manus curatione indigeat.

Quodſi, qui ictus aut capiti illapſus, aut eo concuſſus eſt, vomere incipit motibusque febrilibus continuis agitari; extimeſcere omnino vel praeſentem, vel futuram meningum inflammationem licet.

Ex adverſa vero parte experientia docet, ubi graviſſimas capitis percuſſiones vera excepit inflammatio, nullam apparere ſymptomatum ſeriem, hor-

ripilationes autem accedentes ſuppurationis incipientis ſigna eſſe.

Si externum ſimul vulnus lividum eſt, ſi ſolutum oſſis velamentum, eodem forte modo meninx dura, quae cum perioſteo quadantenus iungitur, corrupta eſt. Rariſſime tamen is caſus contingit, cum perioſtei corruptio neque ubique durae meningis paſſionem attrahat, neque rarum ſit, in periculoſis morbis piam potiſſimum affici meningem.

Excipit autem vulnus inflammatio vel protinus, vel tempore quodam interpoſito, quod in quatuor usquel ſeptimanas porrigi poteſt.

Sequitur itaque, vel laeſionem ipſius meningis, cum vulnus penetraverit; vel ſolam cerebri commotionem et durae meningis rupturam, ubi non penetraverit. Rariſſime tamen ſanguis extra vaſa effuſus accuſari debet.

Phrenitidem et meningum inflammationem eundem ſignificari affectum olim credebatur, cum deſipere ubique eos, quorum meninges inflammatae ſint, opinio eſſet. Miretur profecto quivis, frequentes contrariae obſervationis caſus conſiderans, errorem eum tam late ac diu dominatum eſſe. Vel hoc etiam exemplo luculentiſſime patet, quantopere caecutire ii ſoleant, qui ratiociniis ſeducuntur.

Docet autem experientia, animi vires in hoc morbo bene valere, duorum tandem aut trium die-

rum ſpatio ante mortem deficere: tunc enim ſequi ſolet vel ſtupor vel delirium ſtudioſum ac mite.

Pulſus ſpaſticus ſolet eſſe et inordinatus: vel plenus vel exilis, pro varia aegri conſtitutione.

Vomitus adeſt non niſi primis diebus, cum inflammatio vigere videtur, adiungitur is acceſſibus febris, a circuitu certo tamen vacantis; modo potus devorati, modo bilis praſina vomitu eiiciuntur.

Raro duntaxat fixum quendam capitis dolorem aegri queruntur, ſi nullum vulnus externum adeſt: contrectare tamen dormientes locum affectum manu conſueſcunt.

Gravius nonnunquam caput ipſis videtur, ut erectum tenere nequeant. Queruntur interdum abdominis dolores, ſaepiuscule urinae difficultatem.

Die utplurimum quinto ſextove tendines ſubſilire, membra reſolvi, alto premi aeger ſopore paucisque diebus interiectis in mortem ſolet praecipitari.

Eodem modo comparatus eſſe videtur infantum hydrocephalus, qui rheumatiſmi more acuti incipit, morteque intra quatuordecim aut viginti dies terminatur.

Secto cadavere inflammationis plura vel pauciora inveniuntur veſtigia, prout ſuppuratio perfecta iam fuit, ſive ſecus. Nonnunquam pus flavo-viri-

de interſtitium occupat durae meningis et cerebri, interdum vero gelatinoſus tantum latex, medium locum obtinet inter piam meningem et arachnoideam.

Quodſi diutius traxerit aegrum, velut in infantibus, aquae colluvies in ventriculis cerebri reperitur.

Saepe vero iecinoris velamenta, maxime inferioris eius faciei, inflammata ſunt: neque tamen deſunt obſervata, et ventriculum et iecur ab omni plane vitio vacaſſe, ubi vomitus etiam aegrum exerceret.

Nondum vero conſtat, vomitus hic oriatur conſenſu nervorum, an circuitu ſanguinis mutato. Prior vero ſententia proxime accedere ad veritatem videtur, quod praſina bilis ſaepe eiecta, affectum oſtendit ſyſtema nervorum, quodque deſunt nonnunquam quaevis vitia et ventriculi et iecinoris.

Summum omnino huic morbo minatur periculum, neque facile aliquis perhibuerit, ſanationem contingere poſſe, ubi ſuppuratio iam ſequuta eſt; licet dilucide minime pateat, quanam demum ratione vel inflammatio vel ſuppuratio mortem afferre poſſit, cum obſervatum ſit, inſignes contingere cerebri exulcerationes, citra praeceps vitae periculum.

Quantamcunque curam febris habere in quavis alia inflammatione, quamque circumſpecte antiphlogiſticam methodum finire opus ſit, eiusmodi discrimen in hoc tamen morbo obſervari aegerrime poteſt. Expeditiſſimis indiget inflammatio artis praeſidiis.

Singularis praeterea eius indoles phaenomena quaevis alias vulgaria adeo mutat, ut peculiaris febris indoles ex iis effici plane non poſſit. Tutiſſimum itaque videtur antiphlogiſticam methodum toto ambitu adhibere.

Incipienda ergo curatio copioſa ſanguinis miſſione, licet pulſus et exiles ſint et ſpaſtici et inaequales. Raro enim accidit, febrem eſſe adeo malignam, ut gangraenam attrahere poſſit ſanguinis miſſio: multoque minus anceps erit antiphlogiſtica haec ratio, quam ſi quis vulgaribus obtemperare contraindicantibus eius curationis voluerit.

Viribus vero omnino deficientibus, ſatius erit hirudines collo admovere. Ad haec temperantia ordinentur, vacare autem ea a nitro oportet, quo nimirum vomitus facile citatur. Mixtura adhibeatur refrigerans.

Quandoquidem bilis corruptioni faveat, alvus eſt et lotionibus et pulpa tamarindorum et manna liquanda.

Solent praeterea varii medici ſuadere, ut aqua frigida caput foveatur. Magnopere tamen refert temporis morbi rationem habere. Ubicunque enim nondum inflammatio adeſt, averti ea omnino poteſt iis fomentis: admodum noxia vero videntur, ubi inflammatio iam viget, ubi diſcuſſioni eius operam dare oportet, ubi ſuppuratio inſtans extimeſcitur. Confeſtim vero ad ea refugiendum eſt, dum commotione ſola cerebrum laborat: SCHMUCKERI enim experientia praeſentiſſima ex iis manant commoda, dum hic tantum caſus contingit.

Ut frigida aquae indoles augeatur, excipere eam ſalem ammoniacum oportet. Magnam vero curam habeamus, ne ante iam ſolutus ſit, cum in ipſa ſolutione oriatur frigus, deſinatque iterum ceſſante ſolutione. Linamenta itaque ea, quae capiti circumligamus, commode ſale ammoniaco conſpergere, tum demum aquam infundere frigidam aut vini acetum, opus eſt.

Opium autem, quod vomitui aliisque affectibus nervoſis opponi ſolet, minime congruum eſſe videtur, ſiquidem nulla hic locum obtinet ſymptomatica curatio, cum ſumma verſetur in inflammatione tollenda. Quamquam creditum ſit, opio etiam poſſe inflammationis diſcuſſionem arceſſi, expedire id mihi tamen adverſus ſpaſticas tantum inflammationes, neque adverſus veram phlegmonen videtur.

Abſtinere denique ea medicina iubemur impetu ſanguinis, quem verſus caput incitare ſolet.

Commode itaque ſubſiſtendum eſt in ſanguinis miſſione, veſicatoriorum capiti cervicique admotorum et temperantium medicamentorum uſu; alvus tamen ſimul leniter liquanda eſt.

Quodſi camforam ferre ſtomachus poteſt, non alienum erit et eam adhibere.

Iuxta multorum chirurgorum praecepta foranda etiam calvaria eſt. Morbi vero ratio eiusmodi eſſe videtur, ut curatio haec raro aut nunquam opitulari, multo frequentius nocere poſſit. Inutilis omnino erit, vigente adhuc inflammatione, noxia etiam, aucto irritamento.

Quodſi inſtat ulcus ſive iamiam adeſt, aëris externi acceſſus pus corrumpere valet. Reſorbetur id quidem, dum exigua eius adeſt copia: blandumque eſſe tam diu videtur, quam aër externus id nondum affecerit.

Anceps ex toto eſt explorare eum locum, quem effuſus ſanguis ſive purulentus humor occupat. Quodſi copia puris inſigni meninges maximam partem inundantur, minime patet, quanam ratione purulenta colluvies, totam plerumque arachnoideae faciem obtegens, per foramen id exire poſſit. Neque ſperandum, trepani adminiſtratione noxas eas

reſarciri poſſe, quas durae meningis a calvaria ſeceſſio forte produxerit.

Cum itaque curatio ea tantopere anceps inflammationem facile augere purisque indolem corrumpere poſſit, ſatius eſt paucis ſubſiſtere praeſidiis quam curationem praecipitare.

Ubi vero occurrunt ſymptomata, quae compreſſum magis cerebrum quam inflammatum indicant, reſolutiones puta et ſomnolentiam; oſſium corruptio, proxime a ſuturis; ubi dura meninx plurimis abundat vaſis, ſanguinem, ſoluta meninge profundentibus, ut extra eadem inſigni copia effundatur; ubi ſcobium aut feſtucarum ſuſpicio movetur ob fiſſurae indolem convulſaque membra; ubi denique ſententia ea, quae inflammationem ex humore corrupto et irritante inter calvariam et ſolutam duram membranam effuſo exponit, ratione carere non videtur: tunc demum trepanum omnino adminiſtrandum eſt: is vero affectus ad eum nequaquam morbum pertinet, de quo hic praecipio.

DE OCULORUM MORBIS.

Ophthalmia.

Ea laborare dicitur, cui oculus inflammatur. Diducitur autem morbus in tres potiſſimum ſpecies:

1. *taraxis*, leviuſcula quaedam coniunctivae membranae inflammatio, quae ſubinde palpebras etiam tenet, febreque vacat;

2. *chemoſis*. Haec quidem inflammatio adeo praepotens eſſe ſolet, ut adnata membrana ſuper totam corneam promineat, eamque obtegat: dolorum ſimul atrocia febrem afferre validam ſolet;

3. *phlegmone* oculi. Vocatur ita internarum partium inflammatio, cognoſcenda tum ex adiuncta febre vehementi, tum ex oculi acutiſſimo ſenſu, cuius vi lucem tolerare nequit, tum ex pulſante interni oculi dolore;

4. *exophthalmia*. Eo nomine inflammatio inſignitur, dum oculus adeo intumeſcit, ut a palpebris obtegi nequeat;

5. *blepharophthalmia*. Eſt haec palpebrarum inflammatio;

6. *hordeolum* dicitur tuberculum inflammatum tarſis inhaerens.

Et chemoſis et phlegmone oculi facile abeunt in ſuppurationem, quae metuenda eſt, ubi dolor per medium caput ad occiput usque protenditur.

Congeſtum pus pone corneam aut inter eiusdem laminas ſiſtit *hypopion*.

Vulgaris corneae abſceſſus, *onyx* appellatur, qui ſi in ulcus tranſit, *helcoma* id vocatur.

Ubi

Ubi tuberculum tarſis inſidens obduruit, chalazion nominatur.

Efficiuntur autem oculi inflammationes ſequentibus cauſſis:

1. vi externa;

2. nimia oculorum exercitatione;

3. alienis quibusdam, quae vel phyſico vel mechanico modo irritant, e. g. vapores acres, ſeu pulvis arenae;

4. prono ad inflammationes corpore;

5. ſordibus abundante ventriculo;

6. vermibus inteſtina occupantibus;

7. ubi dentiunt infantes, e ſtimulo illo oculi inflammantur. Carie quoque exeſi adultiorum dentes gignere valent pertinaces ophthalmias;

8. acrimoniis rheumatica, ſcrofuloſa, venerea et carcinomatoſa.

Hordeola adnumerantur ſcrofuloſi viri indiciis.

Quae a blennorrhoico viro oriuntur, admodum ſimiles eſſe ſcrofuloſis ophthalmiis conſuerunt, unde germanitatem utriusque morbi effici poſſe arbitror.

Ab utraque tamen differt ophthalmia venerea, quae lui huic ſaepius immoratur. Quae blennorrhoicum virus ſupponit, oriri videtur, ſi quid eius humoris in oculos abſceſſit, methodoque antiphlo-

giſtica tantum vincitur. Quae vero a carolorum naſcitur viro, mercurialibus indiget.

9. Si quid materiei exanthematicae, e. g. variolarum et morbillorum, abſceſſerit;

10. peculiaris quaedam oculorum laxitas, quae lippitudinem ſic dictam producit;

11. circuitus quoque variae habent ophthalmiae;

12. poteſt etiam aliis effici morbis oculorum.

Interna autem curatio pro cauſſarum indicantium varietate inſtituenda.

Feſtinare quam maxime opus eſt in chemoſi et phlegmone, ut ſuppuratio avertatur.

Veſicatoria cervici et temporibus admota ubique utiliter imperantur, maxime dum ope emplaſtri veſicatorii perpetui aſſiduo aperta ſervantur.

Oculo ipſi, qui graviſſime inflammatus febrem arceſſit, mollientia duntaxat fomenta imponantur: commodiſſima vero malva eſt.

Ubi impetu quodam ſanguinis irruentis oculi inflammantur, expediunt hirudines, proxime oculo appoſitae. Egregie etiam iuvant coniunctivae inciſiones.

Si dentiunt ſimul infantes, opium et extus et intus exhibitum, ſiſtit ſaepius inflammationes.

Acrimoniae venereae ſolutio mercurii lenis opponatur. Eoque magis efficacia ſunt mercurialia, quo magis a carolorum viro exorta eſt inflammatio.

Ea etiam laxantia, quae mercurium excipiunt, acrimonias ex toto debellare valent.

Qua velut ex conſuetudine aeger laborare videtur, frigida aqua vincitur, cui pauxillum vitrioli albi admiſcetur.

Commode etiam ad varias inflammationes ſtillatur in oculum aqua Rulandi benedicta diluta, praeprimis ubi diuturnior eſt inflammatio ſcrofuloſaque acrimonia ſervatur. V. *aqua ophthalmica.*

Inter externa remedia ea ex toto plurimum efficient, quae molliunt ſimul ſpaſmosque ſedant.

Infantes recens nati vehementibus obnoxii ſunt inflammationibus, quae facile transire in exulcerationes conſuerunt.

Tempeſtive itaque mercurio alvus ducatur, veſicatoria, deinde vero mollientia et discutientia admoveantur, cui ſini idoneum praeprimis Goulardi cataplaſma videtur. Lochiorum forte vapores maxime gignendo huic morbo occaſionem praebent, unde noſodochiis praecipue familiaris, ubi plures puerperae in eodem conclavi decumbunt.

Maculae corneae.

Nephelia dicuntur, dum ſemipellucidae ſunt.

Omnino vero opacae, *leucomatis* ſive *albuginis* nomine veniunt.

Cum externus duntaxat margo obfuſcatus eſt, *gerontoxon* appellantur.

Superſunt inflammationibus eae maculae: naſcuntur etiam, cum acrimonia quaedam in eam membranam abſceſſit.

Hoc autem caſu commoda ſunt ſetacea, utroque vero externa ſolventia, quorum praeſtantiſſima ſunt ſaccharum et aqua Rulandi benedicta diluta. Vid. *aqua ophthalmica reſolvens.*

Interdum ea quoque iuvant, quae duntaxat molliunt, e. g. oleum nucum. Maius autem praeſidium in manu eſt quam in medicamentis, ſi interne corneae faciei maculae inſident.

Pterygium.

Iisdem etiam cauſſis carunculae lacrimales producitur tumor, varicoſaque obſtructio vaſorum coniunctivam perreptantium; generatim ea *pterygium*; *ungula* vero dicitur, cum membranae tenuis ac pellucidae ſpeciem prae ſe fert; ubi magnopere tumida et ſpiſſa caruncula admodum ſimul rubet, *pannus* vocatur.

Quodſi ſolventia mitioraque eſcharotica non ſufficiunt metuiturque, ne in carcinoma abeat, extirpandus eſt is tumor.

Staphyloma.

Appellatur ita corneae inſignis protuberantia, ſive prolapſus.

Efficitur id vitium, dum nimiam adepta eſt ſpiſſitudinem, aut cum adeo violata eſt, ut iris protruſa in aperturam, tumorem efficeret.

Cauſſis itaque adnumerantur: vis foris illata, inflammatio, irritatio abſcedentesque acrimoniae et ulcera.

Praeter curationem quae corpori manu adhibetur et congrua interna remedia, utiliter opponitur ii inſpiſſationi cauſticum butyrum antimonii.

Ophthalmoptoſis.

Ad id vitium refertur prolapſus oculi, qui non tumorem ipſius, ſed alias agnoſcit cauſſas.

Sunt eae autem tumores orbitae et vis externa. Poſteriori caſu reponitur oculus, ſuccurriturque ſymptomatibus.

Priori vero acrimoniae ratio eſt habenda.

Saepius tophus adeſt venereus, ubi interno mercuriali cauſtico opus eſt.

Hydrophthalmia.

Siſtitur nimis acervatis oculi humoribus.

Paullatim ibi adeo intumeſcunt et bulbus et cornea, ut palpebrae bulbum obtegere nequeant.

Immobilis ſit pupilla, viſusque imbecillis, citra cryſtallinae lentis obfuſcationem.

Plerumque accuſandae ſunt obſtructiones.

Remotis vero cauſſis merito accenſentur profluvia ſanguinis intercepta.

Pariter itaque inſtituenda curatio ac in aliis hydropibus: ulcera tamen ſimul arte excitanda, ſolvendaeque glandularum ſtaſes, aut inciſis tumoribus aqua emittenda, ubi alia non ſuppetunt.

Recentiores praeterea extant experientiae de ſetacei per corneae margines ducti egregio uſu.

Inciſio vero ne nimis diu procraſtinetur, cum alius oculus facile exedatur.

Trichiaſis et diſtichiaſis.

Tarſis palpebrarum ad bulbum verſis, ut cilia tangant oculi faciem et irritent, oritur *trichiaſis.*

Diſtichiaſis vero dicitur, ſi duplex adeſt ciliorum ſeries, quorum altera exteriora, altera interiora reſpicit.

Rariſſima haec ſpecies evulſis tantum ciliis tolli poteſt.

Trichiaſis naſcitur non ſolum ex interna acrimonia, ſed e laxitate etiam palpebrarum: firmanda itaque cuticula eſt, aut tenſione cicatricibusque curtanda, evellenda denique cilia, ubi haec non iuvant.

Proſpiciatur autem, ne cilia iterum ſuccreſcant, conſpergantur itaque loca eorum tum ſpiritu vini, tum ſpiritu ſalis ammoniaci, tum etiam lapidis infernalis ſolutione diluta; cuſtodito tamen oculo, ne haec ipſum laedant remedia.

Ectropium et entropium.

Quodſi interna palpebrarum cuticula extrorſum vertitur, *ectropii*, ſi introrſum vero torquetur, *entropii* nomine venit.

Idem fere vitium eſt entropium ac trichiaſis, licet fieri omnino poſſit, ut, ciliis prius evulſis aut deperditis, citra trichiaſin entropium occurrat.

Ectropium ſubinde infantes afficit recens natos, neque aliter curari poteſt, quam exciſa cutis protruſae parte.

Blepharoptoſis.

Contingit is affectus, cum ſuperiorem nequit aliquis palpebram elevare, cum itaque voluntati oculus non obtemperat.

Producitur id vitium ſequentibus cauſſis:

1. totius corporis imbecillitate;
2. muſculorum oculi reſolutione;
3. muſculi orbicularis ſpaſmo;
4. tumore, qui palpebram nimis deprimit, muſculoque vim eripit. Aqueus autem palpebrarum tumor hydrocephalum comitari ſolet;

5. inflammatorio tumore.

Quodſi imbecillitas totius corporis accuſatur, opem ferre ſolent balnea, quae ferrum excipiunt, tum etiam electricitas.

Ubi muſculi orbicularis ſpaſmo palpebra deprimitur, conveniunt fomenta mollientia, e. g. malva cocta. Frigidi vero tumores ex manu poſtulant curationem.

Lagophthalmus.

Id ita vitium vocatur, quod impedit palpebras, quominus committi poſſint: eo autem et cornea exareſcit et opaca fit.

Oritur is affectus e cauſſis ſequentibus:

1. e ſpaſmo, tum hyſterico, tum acrimonia biliosa excitato, quae in ventriculo reſidet;

2. reſolutione;

3. cicatricibus, quae cutim curtarunt.

Poſteriori vero caſu, ubi mollientia nihil iuvant, ſtudendum eſt, ut nova inciſione cutis diducatur.

Epiphora et lippitudo.

Si nimius adeſt lacrimarum curſus, epiphora laborare homo dicitur.

Cum vero, reſorpta tenui humorum parte, latex profuſus purulentam adipiſcitur cohaerentiam, *lippitudinis* nomine is affectus venit.

Proxime vero utrumque vitium praecedere videtur vel nimia humorum ſecretio, vel praepedita vulgarium humorum reſorptio.

Illic ſubeſſe videtur irritans, hic vero obſtruens cauſſa, quae utroque demum caſu eiusdem indolis eſſe poteſt. Eadem enim cauſſa modo irritare ſecernentia vaſa valet, modo obſtruere vaſa reſorbentia.

In epiphora vero plerumque reſorbentia potius vaſa patiuntur: magis itaque obſtructionis habenda eſt ratio.

Oriuntur vero haec vitia:

1. ex animi affectibus: ii et irritando agunt et vaſa reſorbentia obſtruendo;

2. ex acrimoniis vel rheumatica vel venerea vel arthritica vel exanthematica;

3. e laxitate viarum lacrimalium;

4. ex obſtructione ductuum naſalium aut coalitu eorumdem.

Ubicunque acrimonia adeſt, praeter internam curationem applicantur fonticuli aut ſetacea eaque collyria, quae ſolvunt et firmant. V. *aqua ophthalmica*, *reſolvens* et *conſortans*.

Laxitati opponendus eſt externus frigidae aquae uſus continuus.

Coalitis aut obſtructis ductibus naſalibus, ad ferramenta veniendum eſt.

Eadem ratio habenda, acervato latice intra lacum lacrimalem, unde fiſtulae lacrimalis ſpecies quaedam oboritur.

Catarrhactes.

Suffuſionum nomine potius appellanda eſt vel cryſtallinae lentis vel velamenti ipſius, vel utriusque obfuſcatio.

Cognoſcuntur terrentia morbi viſu imbecillo, nebulaque quadam pone pupillam, ſatis adhuc agilem. Quodſi enim iris ſimul mobilitate deſtituitur, complicatus ſolet caſus adeſſe.

Tantum praeterea abeſt, ut derepente ubique ſuffuſio ingruat, ut plerumque potius paullatim oriatur, nebulaque opacior lacteum denique colorem nanciſcatur.

Cauſſae ſuffuſionum ſunt:

1. abſcedens in cryſtallinam lentem acrimonia ſcrofuloſa, rheumatica, venerea et ſcorbutica;
2. ophthalmiae;
3. ſpirituoſorum abuſus;
4. ictus aut quaevis violentia foris illata;
5. acres vapores;
6. continuo irruens in oculos ſanguis.

Quodſi adolevit iam morbus, manus curationem deſiderat.

Initio quidem internis adverſus acrimonias auxi-

liis, fonticulis et ſetaceis mollientibusque remediis, progreſſus ſaltem morbi praepediri poteſt.

Ubi ex viſcerum abdominalium obſtructione impetus ſanguinis verſus oculos exponitur, magnum eſſe praeſidium ſolet in tartaro emetico aut vino antimoniali, auctis paullatim portionibus.

Dicuntur etiam expediiſſe ſuccus millepedum recens expreſſus, belladonna, hyoscyami albi extractum ac electricitas.

Glaucoma.

Corruptio ac opacitas vitrei corporis eo nomine appellatur.

Diſtinguitur autem a ſuffuſione eo quod pone cryſtallinam lentem nebula appareat.

Easdem autem cauſſas agnoſcit, ſperarique fere nullum poteſt auxilium, cum manu quidem curari plane nequeat. Iuvabit vero forte electricitas.

Mydriaſis.

Complectitur ea diductam nimis pupillam immobilemque.

Naſcitur vero interdum absque cauſſis manifeſtis citraque viſus incommodum.

Producitur etiam ſpaſmis hyſtericis et ſtimulo, quem vermes in ſtomacho nidulantes praebent.

Transire in iis caſibus ſolet: cum vero interne

immoratur hydrocephalo aut amauroſi, conſideranda etiam velut ſymptoma eorum morborum venit.

Amauroſis.

Caecitatis ea ſpecies, quae retinae vitium aut nervorum opticorum ſupponit, quae nebula quadam opaca vacat, pupilla ſimul plerumque immobili, eo nomine appellatur.

Gignitur iis omnibus cauſſis, quae alios nervorum morbos, praeſertim reſolutiones nervorum generare valent.

Earum itaque cauſſarum ratio utique eſt habenda.

Venereum enim venenum cauſſa ſaepius eſt, cur intumeſcant oſſeae partes, qua opticus nervus orbitam intrat, iisque tumoribus nervus comprimatur.

Sequitur praeterea capitis laeſiones et commotiones, ubi plerumque inſanabilis eſſe ſolet.

Iis autem remediis, quae nervos ipſos afficiunt, accenſenda imprimis electricitas eſt, quae ſaepiſſime optime expediit.

Adverſus acrimoniam bilioſam tartarus emeticus auctis paullatim doſibus commendandus: ſcrofuloſo et venereo viro mercurius nitroſus optime opponitur.

Amblyopia.

Viſus imbecillitas ſuffuſionem plerumque adnunciat, non raro vero etiam ab haemorrhoidali morbo pendet.

Hic quidem vitium continens non eſt, ſed ſpaſmi more hypochondriaci et hyſterici ſeſe habet: cui vero congeſtiones ſaepius iunguntur, ubi itaque et reſolventia et antiſpaſtica et derivantia expediunt.

Excitantur eae congeſtiones organicis etiam vitiis, polypis, aneuryſmatibus, aliisque id genus tumoribus.

Poſſunt ii etiam ipſos comprimere opticos nervos, ubi vero nulla omnino auxilii ſpes eſt concipienda.

Solent interdum oculi pulverulenti aut turbidi eſſe, quod non raro ex opacitate ac coacervatione liquoris Morgagniani oritur.

Initio hic quidem ulcera deſiderantur arte excitata, deinde vero ea curatio, quae manu fit.

Quandoque ſola videtur cornea opacitate quadam laborare, quae vel ſanguinis impetum vel compreſſum immediate cerebrum ſupponit.

Hemeralopia et nyctalopia.

Qui interdiu bene, crepuſculo vero nequaquam videre poſſunt, *hemeralopia,* qui vero a ſolis lumine

viſus afficiuntur imbecillitate, cum noctu bene videant, *nyctalopia* laborare dicuntur.

Utrumque oculorum vitium conſenſu plerumque excitatur, non raro vero irritabilitatem ſolam hyſtericam ſequitur.

Dittopia.

Duplicia apparent oculo obiecta, viſusque ſimul adeſt imbecillitas.

Plerumque ſequitur ſuffuſiones per ferramenta curationem, paullatim deſinit, firmato ſenſim viſu.

Supereſſe id vitium capitis vulneri memini, quod in unum iam coierat ante aliquot ſeptimanas: commotionem cerebri ſupponere videbatur.

DE AURIUM MORBIS.

Otitis.

Inflammatio ea vel externas occupat partes vel internas.

Ubi hae vero laborant, graviſſimo premi dolore aeſtuante et pulſante interna auris ſolet: accedit febris validiſſima, delirat aeger membrisque convellitur ita, ut paucis diebus in mortem praecipitari poſſit.

Simplicem vero inflammationem ea febris raro

agnoſcit, plerumque catarrhalis adeſt aut rheumatica ſtaſis, febrisque non raro bilioſa eſſe ſolet.

Promtiſſime vero huic morbo occurrere opus eſt; alias enim ulcus fit, quo et auditus amittitur, et, effuſo in cerebrum ichore, apoplexia aliique id genus affectus oriri poſſunt.

Ulcere iam facto proſpiciendum eſt, ut poſitu idoneo iniectaque calida aqua et molliente via pareтur, qua exire poſſit, ſimul tamen continuandus eſt antiphlogiſticorum uſus, ut nova avertatur inflammatio.

Interdum profunditur, maxime in infantibus, humor puri ſimilis, citra praegreſſam inflammationem, quem nequaquam impedire ſed promovere potius confert.

Curioſeque circumſpiciendum eſt, ut acrimoniae eo delatae, aliaeque cauſſae, quae impetum humorum excitarunt, e. g. glandularum abdominalium obſtructiones, vermes, tollantur.

Quodſi interea ſanguinis turgor animadvertitur, prodeſſe acidum vitrioli ſolet.

Irrepunt nonnunquam in aurem peregrina et inſecta, quae irritantia dolores et inflammationem ciere poſſunt. Conveniunt ibi et tabaci fumus et oleum calidaque aqua in aurem infuſa.

Solent praeterea ſpaſmis etiam et rheumatiſmis

produci aurium dolores. Ibi profuit ſaepiuscule externus rutae officinalis uſus.

Tinnitus et ſuſurrus aurium.

Accedens is affectus ad febres praeſagire ſanguinis e naribus curſum, aut, ubi citra ſufficientem cauſſam adſunt graviores nervorum affectus, delirium ſolet.

Praeterea impetum etiam ſanguinis verſus ſuperiora, ſanguinis profluvia neglecta aut intercepta, quibus aſſueverat homo, eamque generatim conſtitutionem comitari ſolet, quae apoplexiae favet.

Non raro etiam ſtaſi efficitur catarrhali.

Oritur deinde e ſpaſmis hyſtericis.

Exhauſtas denique vires excipere ſolet.

Earum itaque rerum ratio ea habenda eſt, quam alibi propoſui.

Surditas.

Oritur id vitium:

1. ab exeſis partibus auditui inſervientibus, e. g. a carie ſive ancyloſi oſſiculorum, ſive a nervorum reſolutione;

2. ſi quid febrilis materiei in eas partes abſceſſerit;

3. a ſtaſibus, quas acrimoniae ſcrofuloſa, venerea et rheumatica excitarunt. Iis enim non modo glan-

glandulae, ſed oſſicula etiam internae auris afficiuntur;

4. ab exploſionibus tormentorum bellicorum, ictibus aut lapſibus, quibus vel nervus acuſticus reſolvitur, vel tunicae et vaſa laxantur, vel glandulae tumidae fiunt;

5. ab Euſtachianae tubae obſtructione, cerumine obdureſcente, mucique colluvie in meatu auditorio.

Primam coniectamus caſum ex cauſſis praegreſſis, ſoletque patere ſtatim, ſi remedia nihil iuvare videntur.

Si quid ex febribus abſceſſerit, eo periculo plerumque vacat.

Surditas ſaepiſſime inſtantem criſin ſalutiferam praeſagit, ipſa igitur brevi transit, dumne externae cauſſae ſubſint, quae inſanabilem facere morbum poſſunt. Semel vidi in pertinaciſſimo eiusmodi caſu praeſentiſſima oriri commoda e foliorum belladonnae uſu.

Quodſi utraque tuba obſtructa eſt, ſuam ipſius vocem male ſolet audire, aut mutatam ſentit, neque melius audit aperto ore. Cum vero liberae ſunt tubae, neque penitus amiſit auditum, nullum percipere ſolet diſcrimen inter aliorum vocem et ſuam, aperto etiam ore clarius audit.

Plerumque tunc vel reſoluti ſunt nervi, vel exeſa oſſicula. Acrimoniis peculiaribus idonea opponantur praeſidia.

Mucum qui obduruit, ceruminisque colluviem expellere ſtudeamus mollientibus oleoſisque, quibus, ubi non ſuppetunt, ſubſtituantur ſapo, fel tauri, aqua benedicta Rulandi iniecta. Interdum optime expedit mera calida aqua.

Adverſus tubae Euſtachianae obſtructiones varii auctores ſuaſerunt, iniicienda eſſe quaedam in tubae orificium, quod in ore patet. Fatendum tamen, maxime ancipitem ac difficillimam eſſe hanc curationem.

Ubi pertinaces adſunt humorum ſtaſes, electricitas nonnunquam egregie iuvat.

Memini aegrum, qui ex undeviginti annis, tormenti bellici exploſione percuſſus, audiendi facultate in altera aure pene deſtitutus, altera vero ex aliquot annis, ſuper rheumatiſmum forte, gravitate auditus affectus erat, cum octies torrente electrico perculſus fuiſſet, duodecim dierum ſpatio, auditum fere ex toto recuperare.

DE DENTIUM MORBIS.

Dentitio.

Dentire ſolent non prius infantes, quam ſex vel octo menſes nati fuerint. Ante quartum autem annum ultra viginti dentes non facile acquirunt.

Primorum dentium proventus, (ſolent id medii eſſe inciſivi,) raro paſſiones excitat; ut vero canini et molares promuntur, alvus ſaepe cita, febres, cum tuſſi et ſtertoribus accedunt, facile quoque membra convelluntur.

Duo potiſſimum tempora diſtinguenda ſunt: primum enim maxillae alveolique diducuntur, deinde dentes prorumpunt.

Prior mutatio plurima ſaepe ciet ſymptomata. Citra ullum autem negotium dentiunt, quorum ſaliva bene fluit alvusque liquida eſt.

Quae ſi nimis fuſa eſt, experiri oportet, adſintne ſordes aut colluvies mucoſa in ventriculo: tum vero exhibeatur tinctura rhei aquoſa cum liquore terrae tartari foliatae, vomitus autem cieatur, prout rationes id indicare videntur. Purgatis primis viis, opium imperetur. Ad tuſſin poteſt protinus vomitorium, deinde etiam opium.

Dum febriles adſunt motus, aqua egelida copioſe bibant, proſpiciantque alvo.

Convulſis membris purgandi ventriculi ratio habenda, deinde paullatim veniendum eſt ad tepida balnea, moſchum et opium.

Eclampſia in mortem fere praecipitare ſolet, poſt eam autem non raro dentes demum apparent.

Ubi apparituri ſunt dentes, iubeantur puerulí corium mordere aut mandere: inciſio enim gingi-

vae raro tantum opem ferre ſolet: quodſi autem irritis reliquis praeſidiis, opus eſſe ferramento videtur, curioſe proſpiciendum eſt, ne praepoſtere ea adhibeantur, ne, vulnere, antequam apparuerint dentes, in unum coacto, difficilius adhuc dentes proveniant.

Cauſſam difficilis dentium apparitionis gingiva contineat, ſive ſecus, nondum liquet. Nervorum potius imbecillitas teneritasque accuſanda eſſe videtur, quae ſpaſmos excitat in toto corpore, ubi alveoli diducuntur, dentesque prorumpunt.

Quodſi proni ad vomitum pueruli videntur, is promovendus eſt conatus.

Inſultum ipſum et veſicatoria adlevant et balnea tepida.

Ubi ſanguis nimis abundat aut turget, ſatius eſt, ſanguinem e vena mittere, hirudinesque pone aures admovere, cum plerumque apoplexia aegros praecipitare ſoleat. Sanguine autem miſſo tutius impetrari poſſunt et balnea tepida et opium magnis portionibus.

Odontalgia.

Ita quivis dentium dolor vocatur, ſive inflammatio ſubſit, ſive ſecus.

Proxime praecedere videtur nervi, qui denti providet, irritatio.

Remotae vero cauſſae ſunt:

1. ſanguinis turgor, inflammationi favens. Exiſtunt enim dolores ſimplicem inflammationem excipientes, idoneo itaque curationis genere adlevati;

2. frequentior ſtaſis catarrhalis ſive rheumatica eſt, quod vero curationem non mutat, quippe quae in plenum hic etiam adhibenda eſt;

3. non raro vermibus aut ſordibus bilioſis dolor excitatur, quarum itaque cauſſarum ratio eſt habenda;

4. ſi ſanguis ex conſuetudine profluens, iam vero interceptus, impetu quodam ſuperiora tendit;

5. ſcrofuloſa, ſcorbutica et venerea acrimonia;

6. quin arthritica non raro materies deferri in dentes videtur;

7. ſpaſmi hyſterici his quoque cauſſis adnumerandi ſunt, ubi opio non raro dentium dolores tolluntur;

8. interdum circuitus quidam dolori ſunt, ubi febrium intermittentium more curatur;

9. graviditatem ſaepiuſcule dentium dolores comitantur, neque praeſidiis indigent, ni ſanguine e vena mittendo;

10. quodſi carie dens exeditur, ſolum praeſidium in evellendo eo quaeritur.

DE AFFECTIBUS COLLI.

Bronchocele.

Familiaris eſt ea quibusdam regionibus, praeſertim rhaeticis alpibus, Helvetiae Galliaeque, maxime Delphinatui et próvinciae Gevaudan.

Siſtitur vero glandulae thyreoideae tumore.

Poteſt ea autem inflari etiam ſcrofuloſa acrimonia, neque tamen tunc ad noſtrum pertinet morbum, ſiquidem is tumor eos tantum homines afficit, qui nullo modo ſcrofulis obnoxii ſunt, ubi itaque topicum duntaxat malum eſt.

Neque huc pertinet ea colli anterioris inflatio, quae prolapſum interioris tunicae laryngem veſtientis complectitur, plerumque inſanabilis.

Poſſunt etiam in partu difficili, aliisque corporis exercitationibus nimiis, humores effundi in cellularem telam, laryngi vicinam.

Cauſſa vero, quae bronchocelem regionibus quibusdam familiarem gignit, nos penitus latet.

Neque tamen ratione carere videtur eorum ſententia, qui, cum videant ex aqua nivis aut glaciei, quae congelata aëre fixo deſtituta eſt, glandulas intumeſcere, ſtrumas ex congelatae aquae frequenti in alpeſtribus regionibus uſu deducunt.

Propter eandem rationem non alienum forte fuerit, in morbi initio aquam fixo aëre impraegnatam propinare.

Ubi vero admodum obſtructa eſt glandula, firmiterque partes ſunt coalitae, omnem prope laborem eludere ſolet mali pertinacia.

Ad ferramenta vero recurrere periculoſum duco, cum inſigna ſanguinis vaſa eam glandulam legant.

Quandoque pure cauteriis generato tumor exterminari poteſt: anceps tamen et haec curatio.

Pariter ardui eſt negotii ſolvere tumorem; praeſtolari tamen plurimum auxilii viſa eſt ſpongia uſta. Idem autem auxilium forte exſpectandum ex hepate ſulfuris mineralique kermes non abluto.

Raucitas.

Immorari ea tantum non ſemper aliis ſolet morbis, e. g. catarrho, phthiſi, ardentibus febribus, ſpaſmisque hyſtericis. Praeterea vero naſcitur etiam ex longa ſermocinatione, aut e laryngis glandularum obſtructione: is enim congrua vi contractili videtur deſtitui, ut eam trepidationem ſive oſcillationem pati nequeat, quae ad vocem formandam deſiderantur.

Saepius vero muſculorum vis laborare videtur ubi electricitas utiliter adhibetur.

Quodſi phthiſin aut ardentes comitatur febres, nequaquam a frigore admiſſo aut catarrhis derivanda, in praecipiti eſſe aeger utplurimum ſolet.

Adverſus diuturnam raucitatem, obſtructas laryngis glandulas ſupponentem, promtiſſime praeſidia petantur, cum facile phthiſis trachealis ſequi poſſit.

Circumſpiciendum eſt, qualem acrimonia indolem habeat, ulcera arte excitanda ſunt, ſedandisque ſpaſmis proſpiciendum.

DE PECTORIS MORBIS.

Tuſſis.

Reſidet eius cauſſa vel in ipſo pectore, vel e remotis partibus conſenſu agit.

Ad alios etiam accedere morbos ſolet, e. g. ad phthiſin pulmonalem.

Diſcrimen autem ſtatuitur *ſiccae* et *humidae.*

Priori adnumerantur tuſſes, e ſtimulo per conſenſum ortae: vomicae etiam clauſae crudaque tubercula generare eam poſſunt.

Humidae quidem per conſenſum quoque naſcuntur, ſputorum tamen eiectio parum iuvare ſolet.

Eae potius tuſſes ſpecies humidarum nomen mererentur, quarum cauſſa acris eſſet humor in

pulmonibus ſtagnans, cuius excretione tuſſis tolleretur.

Cognoſcitur vero idiopathica tuſſis eo, quod ſpiritu tracto citetur, cum ſymptomatica etiam citra id tempus naſcatur.

Pertinent autem huc cauſſae ſequentes:

1. ſanguis impetu quodam pulmones petens;

2. vermes ſordesque aliae ventriculi;

3. viſcera abdominis obſtructa;

4. acrimonia, plerumque catarrhalis, aut ſcrofuloſa ſive venerea, in glandulis laryngis ſtagnans;

5. imbecillitas hyſterica;

6. acrium humorum colluvies in pulmonibus;

7. epiglottidis eroſio aut diductio, ut tangatur larynx et aëre et vaporibus, cibisque aut potibus, quibus excitari tuſſis poteſt;

8. his adnumeranda denique venit *convulſiva tuſſis*, ſingularem agnoſcens cauſſam.

Quamvis autem tuſſim male habentem minime protinus convulſivam nominare opus eſt: ea duntaxat id nomen meretur, quae gregatim aliquando graſſatur, infantes potius quam adultiores corripit, contagioque in eos propagatur, qui ea expertes ad id usque tempus fuerunt.

Recens ea etiam eſt valetudo, neque ante ſeculum decimum quintum cognita. In Gallia demum anno 1414 obſervata, *coqueluche* nomine venit.

Ex iis autem rationibus ſingulare quoddam contagium ſuspicari licet, quod ibi tantum agere poteſt, ubi nondum adfuit, ubi autem corpus ipſi favet.

Ventriculus maxime opportunitatem morbi continere videtur, ſiquidem infantes male nutriti, aut qui nimis corpus implerunt, facillime eo corripiuntur, licet praeſente quadam acrimonia frigus admiſſum tuſſim eam gignere etiam poſſit.

Eius autem tuſſis inſultus brevi transire ſolent.

Titillatus protinus in larynge ſentitur, qui paullatim auctus, abit tandem in tuſſim. Inquies etiam infantum, dimidiam fere horam ante inſultum obvia, praeſagire ipſum conſueſcit.

Spiritu altiſſime tracto incipit ea, mox quinquies aut ſexies breviſſimis intervallis ſpiritus iterum violenter eliditur, rubente inflataque facie, ſuffocationisque periculum ſubeunte aegro, quae tamen non contingit.

Citra eos acceſſus ſpiritus ſine ullo negotio ducuntur, beneque valere aeger videtur.

Initio quidem nihil omnino tuſſi reiicitur, progreſſu vero ſputa ſiunt mucoſa et livida, quae a pure tamen differunt.

Vacat nonnunquam febre. Interdum vero ea accedit, circuitusque tertio quovis die formare ſolet.

Porrigitur non raro in plures menſes, ubi pulmones facile inflammantur aut conſumuntur membraque convelli ſolent.

Confeſtim tamen enecare poteſt, cum praevalidam attrahit febrem graviſſimamque ſpiritus difficultatem.

Proſpicere eum, qui curat, oportet, ut ventriculus purgetur; conſultius tamen fieri id ſolet emeticorum ope quam purgantium: illa enim et ibi iuvant, ubi nihil noxii eiiciunt.

Quo facto imperentur antiſpaſtica, maxime opium, cui, dum circuitus quosdam morbos habet, commodiſſime cortex adiungitur peruvianus.

Optime etiam conferunt veſicatoria ventriculo impoſita.

In pertinacibus vero caſibus perveniendum eſt ad cicutam dulcemque mercurium cum opio et ad aconiti extractum.

Calidum regimen, ſalubre vitae genus eaque remedia, quae cutim mollire ſolent, plurimum ſaepe conferunt, ut ſanitas aegro redeat.

Epiglottidis eroſiones plerumque gignuntur acrimonia vel ſcrofuloſa vel venerea, phthiſi etiam tracheali immorari ſolent, poſtulant autem ea praeſidia, quae adverſus acrimonias militant.

Reliquis tuſſis ſpeciebus eo modo obviam eſt

eundum, quem cauſſarum ſingularum ratio deſiderare videtur.

Vulgaria remedia, quibus ſputa eiicere conamur, ad tempus tantummodo iuvare, ſaepius vero pervicaciam tuſſis augere poſſunt, maxime dum verae cauſſae negliguntur.

Ubi vero colluvies mucoſa pulmones occupat ſpiritusque opprimit, ſputa promovere omnino opus eſt. V. *ſpecies pectorales* et *ſyrupus pectoralis.*

Aſthma.

Cuius ſpiritus in diuturno ſtatu impediuntur, aſthmate laborare dicitur: vocatur ea *dyspnoea,* cum febres ſtipatur.

Sibilans appellatur *aſthma*, dum eiusmodi ſonitus ſimul auditur.

Orthopnoea afficiuntur, qui gravem expedire ſpiritum nequeunt, niſi erecti.

Cum vero ſuffocationis metus adeſt, *catarrhi ſuffocativi* nomine venit.

Spiritus autem vel continuo gravis eſt, vel per acceſſus tantummodo quosdam ſupprimitur: cauſſa vel ipſos occupat pulmones, vel per conſenſum agit.

Humidum dicitur aſthma, dum priore cauſſa humorum copia in pulmones irruit.

Siccum autem appellatur, cum neque ſputa adſunt neque ipſa tuſſis.

Id vero vel vitio pulmonum vel cauſſae tribuitur per conſenſum agenti. Ubi ſpaſmus adeſſe videtur, levibusque cauſſis, motus exemplo, ſpiritus impeditur, ubi commotum nimis pectus aut doloribus preſſum apparet, nullo vero ſtertore obvio, ubi alii praeceſſerunt vel adhuc adſunt ſpaſtici affectus, ubi demum cor magis quam pulmones pati videtur, *ſpaſtici* aſthmatis nomine inſignitur.

Quodſi autem per impetus quosdam ſpaſmi ſpiritus opprimere videntur, *caducum pulmonum* cum Helmontio, ſeu *epilepſiam pulmonum* vocamus.

Cauſſae ſunt ſequentes:

1. ſanguinis impetus, quo aſthma non ſolum ſiccum, ſed, effuſo in telam pulmonum cellularem ſanguine, catarrhus ipſe ſuffocativus generari poteſt. Acuti potius morbi ſpeciem id prae ſe fert.

2. Irruentes humores mucoſi feroſique. Qui ſi tardius per ſe congeruntur, aſthma plerumque humidum efficere ſolent. Celerius autem iis acervatis, ſicut id in peripneumonia notha contingit, catarrhus oritur ſuffocativus.

3. Spaſmi hypochondriaci et hyſterici. Siccum ii gignunt et convulſivum aſthma.

4. Vermes in ventriculo nidulantes. Cum colluvies ſimul mucoſa adeſſe ſoleat, eiici tamen aliquid cum levamento poteſt, licet conſenſu agentem ſtimulum aſthma id ſupponat.

5. Calculi veſicae felleae, polypi, aneuryſmata in maioribus vaſis;

6. comitatur etiam hydropem pectoris;

7. ſcrofuloſa, rheumatica, arthritica, ſcabioſa et ſcorbutica acrimonia, vel in pulmones ipſos vel conſenſu agentes, aſthma generare valent.

Quin *angina pectoris*, a variis recentioribus medicis dicta, aſthma proprie ſiſtens convulſivum, arthriticam ſaepius ſupponit acrimoniam.

8. Quem caducum pulmonum Helmontius vocabat, is affectus impetibus quibusdam corripit, bene autem ſpiritus citra eos acceſſus trahuntur: cauſſae eius penitus latent.

Hereditate propagatur, ante puberem vero aetatem raro apparet, afficique nervi potius thoracem petentes quam viſcera videntur.

9. Vaporibus plumbi et arſenici aſthma excitatur convulſivum, in metalli fodinis frequenter obvium;

10. dum pulvere aut arena referciuntur pulmones, graviſſima oriri ſolet ſpiritus difficultas, caementariis, lapicidis molendinariisque familiaris;

11. tubercula pulmonum ſiccum efficiunt aſthma;

12. ſpirituoſorum abuſum id etiam excipere poteſt, acervato tamen muco in pulmonibus;

13. digeſtio imbecilla flatusque ſpiritus tardare valent;

14. quidquid vaſa comprimit, e. g. uteri moles,

adipis abundantia, aneuryſmata, tumores pectoris, abdominisque viſcerum inflatio;

15. totius corporis imbecillitas, qua, vel leviſſimo motu, ſpiritum miſerrime trahunt aegri citra manifeſtam cauſſam.

Cognoſcitur ea, dum ſcalas facilius aſcendere, quam deſcendere poſſunt, quippe cum deſcenſus pluribus indigeat muſculorum viribus.

Ubi impetu quodam ſanguis verſus pulmones fertur, eodem, quem ad haemoptyſin praecepimus, modo agendum.

Seroſa colluvies eadem ratione ac peripneumonia notha debellatur.

Ubi ſuffocatio minatur, vomitus ciendus eſt:

1. ni inflammationis veſtigia adſint;

2. dum turget materies in pulmonibus, libereque cum ſtrepitu movetur;

3. dum ſpiritus non nimis praepediti ſunt;

4. dum vires utique valent.

Quae dum adſunt, morti eripere aegrum vomitus arte citatus poteſt: praecipitare tamen exitium valet, cum tenax eſt humor, neque vires ad vomitum ſufficiunt. Circumſpectiſſime itaque larga doſis remedii, quod vomitum citaturum eſt, imperetur, ne irritis intentionibus vires langueſcant.

Ad acrimonias plurimum poteſt minerale kermes non ablutum, auctis paullatim portionibus.

Reliqua aſthmatis genera perinde curantur ac ſi nervorum fuerint morbi. Ubicunque materies adeſt, idonea opponantur remedia. Ubi ſolus autem ſpaſmus viget, praeter fonticulos et ſetacea, expediunt opium vaporesque mollientes.

Ut alvus, in aſthmate a metallorum effluviis generato, plerumque compreſſa liquetur, oleum forbeatur ricini.

Generatim vero proſpiciendum eſt abdomini, ſpaſmique et distentiones nervorum, quae ibi adſunt, tollendi.

Ubi organica adſunt vitia, ſymptomatica tantummodo curatio obtinet. Minuendi humores et diluendi ſunt, ſpiracula ſeçernentium organorum mollienda, ſolidaeque partes nimia irritabilitate privandae.

Sternutatio.

Vehementiſſime ſubitoque elidere ſolet ſpiritus, qui ſternutat.

Accedit autem fere ad catarrhos, ſaluti eſſe in acutis ſolet.

Oritur etiam acribus in nares ingeſtis.

Ubi autem nimis corpus exercet, nocere utique poteſt, eoque caſu proſpiciendum eſt membranae Schneiderianae vaporibus mollientibus et iniectis tepidis, ne nimis irritetur.

Sin-

Singultus.

Strepitus oritur ſpaſticus ac ſonorus, dum aërem trahit, qui diaphragmatis oeſophagique diſtentione producitur.

Oritur autem ſingultus:

1. frigore admiſſo, aut ubi celerius iuſto vorantur cibi potusque, aut nimis impleto ventriculo;

2. a flatibus ſpaſmisque inteſtinorum, unde ramices facile coarctatos excipit;

3. e ſanguinis in abdomine abundantia. Sequitur enim intercepta ſanguinis profluvia, quibus corpus aſſueverat; deſinit, ubi horum reſtituitur curſus;

4. ab acribus cibis aut eiusmodi medicamentis;

5. a vitiata oeſophagi, ventriculi et diaphragmatis tunica. Propterea ſolet aphthas comitari;

6. ex acrimoniis quibusdam et vermibus per conſenſum agentibus;

7. ex imbecillitate ac teneritate nervorum nimia, quae vel leviſſimis cauſſis excitatur;

8. ex inflammato aut per gangraenam corrupto ventriculo, diaphragmate aliisque abdominis viſceribus;

9. a viribus exhauſtis.

Earum autem cauſſarum rationem habere in curatione oportet.

Ubi nullae animadvertuntur irritantes cauſſae, conferunt veſicatoria aut linimenta aromatica ſuper

praecordia data, confert moſchus et opium. Cum inflammatio viget, gangraena adeſt aut vires deficiunt, mortem ſolet ſingultus annunciare.

Incubus.

Ephialtes a graecis dictus, a Gallis *cochemar.*

Dormientes tantummodo corripit, ſpiritus graviter aegerrimeque trahuntur, ſentiuntque pondus quoddam pectus comprimens. Qui in dorſum decumbunt, ſanguine abundantes, aut male cibos coquentes, obnoxii eſſe huic affectui ſolent.

Oportet itaque lateribus decumbere, ſanguinem mittere cibisque nutriri mediae materiae, neque prius cubitum ire quam perfecta eſt digeſtio, ſeu cibi ſaltem e ventriculo exierunt.

Palpitatio cordis.

Licet aucto nimis circuitu ſanguinis, cor convelli ſoleat, palpitatio tamen ea ſolummodo dicitur, quae per acceſſus afficit, nimiaque vehementia coſtas percellit.

Acceſſus autem variant et gradu et mora.

Pulſus eſſe modo magni durique, modo exiles et imbecilli ſolent. Illic ſaepiſſime vitia quaedam cordis latent. Hic vero, cum his magnopere angitur aeger. Interdum intermittere pulſus con-

ſuerunt, quod, ſi extra inſultus contingit, ſuſpicionem utique vitiorum organicorum movet.

Neque tamen eo minus citra eadem vitia affectus ii contingunt, maxima etiam aneuryſmata absque iisdem ſymptomatibus exiſtunt.

Trepidatio cordis animae defectiones nonnunquam comitatur, ſolet autem occidere, quos diutius exercet.

Cauſſae vel circuitum impediunt ſanguinemque in corde acervant, vel ſtimulo distentiones cordis generant. Distenditur autem in quavis forte palpitatione, cum ſymptoma id continens non eſſe ſoleat, licet impediti circuitus cauſſae maneant.

Iis autem, quae circuitum offendunt, accenſentur et polypi et aneuryſmata; durities aut reſolutio valvularum, ſcirrhi vomicaeque pulmonum, empyema pectorisque hydrops.

Ad ea vero, quae ſpaſmo duntaxat agere videntur, referuntur vermes, ſanguinis impetus, ſordes primarum viarum, calculi renum et veſicae felleae, animi affectus, hyſterica conſtitutio viriumque defectus.

Quin circuitus quosdam habere is affectus ſolet, febribusque intermittentibus adnumeratur.

In praecipiti eſſe plerumque ſolent, vel propter cauſſas vel ob effectus, qui hoc ſymptomate laborant.

Ubi primum cauſſarum genus adeſt, non facile aeger ſaneſcit. Adlevatur tamen acceſſus, ſi ſupinum, demiſſo parum capite, iacere iuſſeris.

Adverſus alterum autem cauſſarum genus praeſidiis iis uti opus eſt, quae eas vel tollere penitus vel irritationem impedire poſſunt, e. g. calculis opponantur emollientia et demulcentia, urgentibus autem ſymptomatibus, opium, quod eo tutius adhibetur, quo magis ſola adeſt nervorum teneritas.

Simul atque circuitus valetudini ſunt, ſedimentum autem urina latericium habet; expediunt ſulfur antimonii auratum et cortex peruvianus.

DE PRIMARUM VIARUM AFFECTIBUS.

Deglutitio difficilis.

Impeditur deglutitio:

1. oeſophagi inflammatione et tumore, cum quo dolor dorſum ſimul premere ſolet;

2. ſpaſmo aut reſolutione oeſophagi: hae vero cauſſae cognoſcuntur ex praegreſſis cauſſis et corporis conſtitutione. Solent etiam facilius vorare ſolida quam fluida. Ad haec linguae et glandularum vicinarum accedit tumor, ut neque loqui neque deglutire poſſint. Appellant autem id valetudinis genus nonnulli auctores *anginam convulſivam.*

3. Peregrinis corporibus devoratis;

4. oeſophagi nimia dilatatione. Nucleus ceraſorum eam gignere valet;

5. glandularum oeſophagi obſtructione, calloſaque duritie cardiae. Eam coniectare licet, ubi paullatim citra manifeſtam cauſſam ortus affectus vulgaribus pertinaciter praeſidiis reſiſtit, aliarumque glandularum tumores in corpore adſunt.

Cum reſolutus eſt oeſophagus, dolore vacare ſolet, quippe qui ſpaſmum potius comitatur. Hic autem ſolida eo usque duntaxat protruduntur, donec locum attingant contractum, ibi vero manent aliquantum, mox iterum eiecta. Ad haec dolor accedit ſub ſterno ac inter ſcapulas verſus laevam: mitigatur is calido potu, intenditur autem frigido.

Tumor vero vel contrahendus vel in ſuppurationem adigendus eſt.

Spaſmi ac reſolutionis curatio iuxta cauſſas inſtituitur, aliorum nervoſorum affectuum more. Saepius ſiſtit is affectus globum hyſtericum, qui ubique tamen opio ſolo non vincitur, ſed aliis narcoticis indiget, ac electricitate interdum tollitur.

Ubi diductus oeſophagus prolapſus eſt, artis praeſidia parum valent: pauxillum oportet ſemel mandere, tempore enim interdum affectus is debellatur.

Glandularum tumores eo modo curandi, quem acrimoniae varia indoles poſtulat. Maxime efficacia ſolent eſſe mercurialia, quae ſalivae curſum cient. Expediit autem camfora aliquando.

Quae ad hydrophobiam accedit deglutitionis difficultas, huc quidem non pertinet, uti nec ea, quae tuſſi et epiglottidis vitiis gignitur.

Anorexia.

Ita vocatur cupiditas cibi deficiens, ſequentibus cauſſis generata:

1. ſordibus ventriculi;

2. obſtructionibus viſcerum abdominalium, cum qua nec bilis nec ſucci gaſtrici congruam ſervant indolem;

3. potuum, qui fermentarunt, abuſu;

4. abuſu etiam tepidorum laxantiumque potuum;

5. imbecillitate totius corporis;

6. facile etiam amittimus cupiditatem, ſimulac cibos faſtidimus.

Cum viſcerum abdominalium obſtructiones adſunt, non alienum eſt ſulfur antimonii exhibere, cum rheo et quaſſia.

Calidis potibus iisque, qui fermentarunt, ſubſtituenda eſt frigida aqua, quae ſola ſubinde cupiditatem reſtituere poteſt.

Cibos, qui cum faſtidio quodam vorati ſunt, protinus eiicere oportet, cum per ſeptimanas poſſint ſtomachum occupare eumque penitus infirmare.

Sola vero ventriculi imbecillitas raro adeſſe ſolet: victus ſaltem ſalubritas unice fere ſufficit ad vires ventriculi reficiendas.

Servant autem cupiditatem et motus et ea, quae cutim molliunt, ni pertinaces accuſandae ſint obſtructiones. Nonnunquam tamen teneritas hyſterica ſuſtulit cupiditatem, et vino et opio reſtituendam.

Appetitus morboſus.

Qui abſona appetunt aut inſueta, ii vel *pica* vel *malacia* laborare dicuntur.

Fames nimia, cum qua digeruntur quidem cibi, neque tamen rite corpus nutritur, *bovina* ſeu *bulimia* appellatur.

Quodſi cibi ubique iterum evomuntur, *canina* ſeu *cynorexia* vocatur.

Solet autem vitia fere abdominis ſequi, quibus et bilis et ſucci gaſtrici ſingularem acquirunt acrimoniam. Laxata etiam cardia nonnunquam eſt.

Pica vero ſupponit peculiarem quandam nervorum indolem, quae tamen tranſire ſolet atque ad febres tantummodo et graviditatem accedere.

Concupiſcere infantes nonnunquam calcem, cretam ſeu arenam conſuerunt: neque ratione care-

re videtur, id a mala conſuetudine non ſemper pendere, ſed inſtinctu quodam produci, qui acidis primarum viarum gignitur; is itaque vincendus eſt et purgantibus et ſolventibus. Plerumque abdominis glandulae ſimul obduruerunt. Poſſunt etiam vermes eum praebere ſtimulum.

Pica ſaepius in acutis obſervatur febribus, atque tantum abeſt, ut noxium quendam affectum ſupponat, ut potius a ſalutifero generetur inſtinctu. Ni ea, quae concupiverunt, manifeſto noxia ſint, ſatius eſt, aegris ea exhibere.

Multum etiam refert, intendatur adhuc morbus an decreſcat. Quodſi intenditur, connivere iis etiam cupiditatibus poſſumus, quae noxias ipſas res complectuntur. Dum vero ad ſanitatem pervenit aeger, cupidines eae imaginationi potius vitiatae quam inſtinctui phyſico tribuendae, neque iis ex tota obtemperare fas eſt.

Famem autem caninam acor plerumque ventriculi generat. Commode itaque reſolventia abſorbentibus ſubiguntur. Cum his cutis etiam et diluentibus et motibus molliatur, ut per eam acrimoniae pars eliminari poſſit.

Ardor ventriculi.

Ex pingium eſu, ventriculique debilitate potiſſimum is oritur affectus.

Rancidam autem acrimoniam commodiſſime infirmamus acido tartari magneſiae nupto, ubi fixus aër in ventriculo evolutus acrimoniam mitigat, neuterque ſal eam educit. Interdum etiam opium egregie contulit.

Ventriculum autem ſuper haec, ſicut aliae id rationes deſiderant, firmare oportet.

Cardialgia.

Acerbus praecordiorum cum angoribus ſpiritibusque difficilibus iunctus dolor, eo nomine inſignitur. Acceſſus facit, qui raro ultra horam morantur.

Ubi vehementiſſimus eſt, alternant dolores cum distentionibus et animae defectionibus.

Proxime vero cardiae et diaphragmatis praecedere videtur distentio. Nonnunquam etiam abdominis muſculi una contrahuntur.

Dorſum quoque occupare ſolet dolor, qua muſculus diaphragmatis minor adhaeret. Interdum ſputa ſimul copioſe eiiciunt aegri.

Solvuntur ſaepe ii dolores et vomitu et alvo cita, ſaepe vero absque inſigni quadam excretione.

Efficiuntur:

1. hyſterica conſtitutione, quae ex leviſſimis cauſſis vehementes producit ſpaſmos;

2. ventriculi irritatione, ubi incaleſcens corpus

frigido potu aut aëre afficitur: pane etiam calido, magniſque nitri portionibus, ante non ſoluti;

3. acribus cibis et medicamentis;

4. vermibus ſordibusque bilioſis;

5. flatibus, qui tumidis praecordiis ructibusque levantibus apparent. Eo referuntur affectus infantum cardialgici;

6. ſtaſibus ſanguinis in ventriculi vaſis, ex interceptis aut deficientibus ſanguinis profluviis, quibus corpus aſſueverat;

7. ſi quid humorum aliorum ex conſuetudine fluentium non reſpondet, ſudorum exemplo in artubus inferioribus;

8. ſi quid acrimoniarum in ventriculum abſceſſerit, arthritidis et rheumatiſmi exemplo;

9. inſignibus iecinoris et ventriculi vitiis, exemplo calculorum, ſcirrhorum et ulcerum.

In ipſis acceſſibus ſuppetunt mollientia et calefacientia ad ſpaſmum ſedandum.

Expeditiſſime ſaepius iuvat unguentum molliens laudano ſubactum, ſuper praecordia datum. Quod cum opem non fert, veſicatorium, quod camforam excipit, admoveatur.

Ad haec artus et fricandi et fovendi ſunt, cutisque ex toto mollienda.

Simul ac ſpaſmus deſierit, circumſpiciendum

eſt, ut cauſſae iis praeſidiis, quae ſaepius iam propoſita ſunt, tollantur.

Colicus dolor.

Olim quidem craſſorum inteſtinorum tantummodo dolores ita vocabantur, *iliacorum* dolorum nomine ad tenuium inteſtinorum affectus applicato.

Iam vero *paſſio iliaca* dicitur is colicus dolor, qui pertinaci obſtipatione continuoque iunctus eſt vomitu.

Obſervatus in Pictavia dolor colicus ex acidorum vinorum nimio uſu, *Pictonum colica* dicebatur. Iam vero quivis graviſſimus ac pertinax dolor, cui artuum facile reſolutio ſupernaſcitur, vel eo nomine, vel *rachialgiae*, ob ſpinae dorſi affectum, inſignitur.

Ubi inflammationem inteſtinorum is dolor excipit, colicus dolor proprie non appellatur.

Plurimum autem in quovis eiusmodi dolore intereſt, cavere, ne inflammatio oriatur. Ex toto autem id perficitur mollientibus externis, ſanguine vero miſſo, cum is abundat; alvi lotionibus, dum compreſſa eſt; veſicatoriis denique, quae camforam excipiunt, abdomini admotis, ubi pertinax adeſt nervorum diſtentio.

Circumſpecte autem imperandae ſunt alvi lotiones irritantes, ſimulac inflammationem ex alvo com-

preſſa extimeſcimus: tabaci enim fumus et excitare inflammationem et augere valet.

Tutius ſaltem in ambiguo caſu tartarus adhibetur emeticus, qui reſolvendo ſimul agit, adhibetur etiam aſa foetida, ricinique oleum, quod ore tutius ſumi poteſt.

Praeſtant autem ceteris adverſus pertinaces obſtructiones praeſidiis et aqua frigida et fixus aër. Elicitur is aër in vitro, cuius lateri flexilis tubulus appoſitus aërem illum in inteſtinorum tractum ducere poteſt: protinus autem vel frigida aqua, vel, ubi haec alvum non liquat, clyſma molliens iniicitur. Ad haec aqua frigida perfundantur artus inferiores ipſumque abdomen, ſumatur ricini oleum magneſia gummique arabica ſubactum; quibus rite adhibitis praeſidiis proſperrimum utique ſucceſſum exſpectari poſſe confiteor, maxime, cum ceteris rationibus ſatisfacere ſtudemus.

Per cauſſarum differentiam diducitur ea valetudo in ſequentes ſpecies:

1. *colica flatulenta.*

Qui imbecillis praediti ſunt ac teneriuſculis inteſtinis, ſaepius patiuntur dolores, qui ſubinde, propter alvum pertinaciter adſtrictam, conſumere ipſos poſſunt.

Quodſi nullam adeſſe materiem conſtat, aegri autem aliis flatibus frequenter affecti, tumidum iam

ventrem queruntur, qui preſſus vero non dolet, quodſi denique per colon maxime dolor protenditur, coniecturae locus eſt, flatus acervatos ac coërcitos effeciſſe dolores: ii autem flatus quemvis etiam alium dolorem colicum comitari poſſunt.

Praeſidia petuntur ex mollientibus, quibus abdomen inungitur: permulcere id frequenter etiam oportet.

Perluenda cum his alvus mollientibus eſt aut ſaltem iis, quae non vehementer irritant: quae ubi non iuvant, aqua frigida commode et abdomen fovetur et inteſtina perluuntur: ea enim magis contractilia fiunt, ut flatus expellere poſſint.

Deinde ſalubri victu praeſidiisque, quae corpus firmant, proſpiciendum eſt, ne denuo flatus generentur.

2. *Colica pituitoſa.*

Eiusmodi dolores obſervantur, in quibus tenax pituita et vitrea excernitur, adlevato aegro, vel eodem modo affecto.

Sedatis graviſſimis distentionibus excretaque cum adlevamento pituita, per aliquod tempus rheum exhibetur. Dum autem excretio non amplius adlevat, perveniendum eſt ad ea, quae firmant et adſtringunt. Idonea autem maxime ſunt et alumen et terra catechu.

3. *Colica verminoſa.*

Pueruli et adoleſcentes doloribus ſaepius vexantur, qui, vermibus moti, his expulſis deſinunt.

Facile ibi locum mutare alvumque raro comprimere ſolent.

Eiusmodi dolores in Lapponia obſervantur, qui a gordiis in aqua nidulantibus oriri dicuntur.

4. *Colica bilioſa.*

Saepiſſime ſordes excipiunt bilioſas, quin non raro populares eiusmodi morbi animadvertuntur.

Eodem autem, ac in febre bilioſa, modo agendum: proſpiciendum tamen utique, ne inflammatio ſubnaſcatur.

Abundans ſanguis e vena mittendus, ſedatoque parumper ſpaſmo ſordes ea via eliminandae ſunt, quam natura eligere videtur.

Cum nondum turgent, id promovetur ſaepius tam ſanguine miſſo quam veſicatorio ſuper abdomen dato. Rheum vero hic fere alienum eſt: commodius exhibentur et cremor tartari et tamarindorum pulpa manna ſubacta.

Quae praeſidia ubi lentius agere videntur, ad ſalem Glauberi protinus refugiendum eſt. Simul ac vero turgent ſordes, vomitu citato expellantur.

5. *Colica haemorrhoidalis.*

Acerbiſſimi ſaepius dolores excitantur ſanguine in venam portarum vehementer irruente aut in ea-

dem ſtagnante: reſtituendus ibi ſtatim ſanguinis curſus per haemorrhoides eſt.

Ubi urgent ſymptomata, protinus e pedum venis ſanguis mittendus: quodſi vero non urgent, cuti imponenda, quae molliunt ſpaſmosque ſedant; exhibeantur praeterea ſales ſolventes anoque hirudines admoveantur.

Experiri etiam opus eſt, adſintne aliae cauſſae, quae ſtimulo quodam ſanguinem in vaſa inteſtinorum adliciunt.

Huc referuntur et ii dolores, quibus mulieres a menſtruis defectae, aut imminente eo curſu premuntur. Egregie autem iuvare ſolent reſolventia eaque praeſidia, quae corpus firmant ſtaſesque reſolvunt.

6. *Colica hyſterica.*

Praeter emollientia et opium in inſultu ipſo congrua, avertenda deinde manifeſta irritamenta ſunt, eaque imperanda, quae adverſus hyſtericum morbum valent.

Praegreſſis, e. g. animi affectibus bilisque ſuspicione mota, utiliter adhibetur aſa foetida, laxante quodam ſubacta.

7. *Colica ab acribus ingeſtis.*

Dum ciborum copia eos dolores effecit, egerendi ſunt: acribus autem medicamentis opponantur demulcentia et oleoſa. Abſorbentia adverſus

acida acria commendata aërem nonnunquam evolvunt denuo irritantem; ſatius itaque eſt diluentia propinare et involventia.

Cum arſenicum aut mercurius ſublimatus ingeſta fuerint, initio, praeter lactis copioſum potum, egregie inſervit hepar ſulfuris, quo partim ea venena deſtruuntur partim involvuntur.

Maxime autem proſpiciendum involutioni et excretioni eorum. Utrique fini idoneum eſt ricini oleum.

Quodſi vero venenum iam dudum tranſierit in ſanguinem, protinus confugiendum eſt ad aniſi oleum, quippe quod non ſolum mitigat ſed ſudores etiam movet.

8. *Colica ſaturnina.*

Vapores plumbi abſorpti, aut adhibita, vel inſcio aegro ingeſta ſaturnina dolores excitant, vehementia Pictonum colicam aequantes, quibus facile ſuperſunt artuum reſolutiones, maxime ſuperiorum, nervorum etiam diſtentiones.

Egregie autem oleoſa opitulari dicuntur.

Alii ſuaſerunt acetum copioſe ſorbendum eſſe, ut partes plumbi ſolvantur excretionique idoneae fiant: neque tamen experientia id ſatis adhuc confirmatur.

Ex magis ſpecioſis vero argumentis commendandus

dandus eſt mercurius, cuius uſum experientia teſtatur.

Alvum pertinaciter adſtrictam ricini oleum ſolvere ſolet. Raro tamen ad ſanitatem penitus perducitur morbus.

9. *Colica rheumatica.*

Eo nomine appellandam duco ſpeciem quandam, quae dolores excitat, in mulieribus partuum dolores referentes, quae alvo admodum compreſſa ſtipata eſt, homines autem corripit, rheumatiſmis faventes, ſolvitur deinde ſudoribus copioſis urinaeque ſedimento, cui etiam facile reſolutiones membrorum ſupernaſcuntur.

Quandoque excipere ſolet intermittentes febres male tractatas.

Commodiſſima autem et expeditiſſima ſunt tepida balnea, fomenta mollientia, alvi lotiones atque ea remedia, quae ſtaſes reſolvere poſſunt et cutim mollire, e. g. ſulfur antimonii, mercurius dulcis et tinctura guaiaci volatilis.

Ubi febris intermittens fortuna arceſſitur, quod ſubinde accidere ſolet, circumſpecte exhibendus eſt cortex peruvianus, conſultius autem confidimus ſulfuri aurato, cum reſolutiones alioquin ſuperſtites ſaneſcere fere non ſoleant.

Colica ſicca aut nervoſa, Americae incolis familiaris, cui vitriolum coeruleum utiliter opponitur,

eaque, quae in Iaponia frequens, moxa et acupunctura curatur, huc referendae eſſe videntur.

10. *Colica Pictonum* et *Damnoniorum.*

Obſervati fuerunt graviſſimi dolores colici in Gallia ex acidis vinis, in Anglia vero ex pomorum ſucco fermentante.

Congruit autem utraque, ſive vehementiam ſpectaveris ſive curationem, cum colica rheumatica: ratio tamen potius diluendorum humorum habenda, atque, ut acor tollatur, abſorbentia ceteris remediis admiſcenda.

11. *Colica arthritica.*

Podagra vel repellitur, vel, priusquam articulos corripuit, occupat et ventriculum et inteſtina, excitatis doloribus colicis acerbis et periculoſis: circumſpiciendum autem eſt, ut epiſpaſticorum et diaphoreticorum ope materies ad articulos deferatur.

12. *Colica catarrhalis.*

Aptiſſime ea hoc nomine appellatur, quae in rheumaticis conſtitutionibus incaleſcens corpus, frigore derepente admiſſo, afficit. Differt a rheumatica, quod citius, ſtatimque poſt admiſſum frigus oriatur.

Antiphlogiſticam autem rationem cum mollientibus coniungere oportet.

13. *Colica ab acido primarum viarum.*

Favent nonnulli acori, qui eam adipiſci poteſt acrimoniam, ut graviſſimos dolores colicos excitet. Naſcitur autem is acor potiſſimum ex obſtructis abdominis viſceribus.

In ipſis inſultibus ea exhibeantur, quae ſpaſmos ſedant acidumque abſorbent, deinde vero commodis praeſidiis obſtructiones reſerare oportet.

14. *Colica a metaſtaſi ſebrili.*

Materiei febrium intermittentium aliquid in inteſtina abſcedens, colicos exaſperat dolores.

Eo autem modo agendum, quem ad alias metaſtaſes ſuaſimus, potentiora tamen ſimul ſolventia admittenda.

15. *Colica ex obſtructione canalis inteſtinorum.*

Coarctant ſaepius inteſtina faeces durae, fructuum nuclei, calculi inteſtinorum calloſaque eorum durities.

Referendi huc et ii videntur colici dolores, qui herniis inflammatione et distentione correptis, neque in abdomen repellendis, ſupernaſcuntur.

Priori caſu mollientia ſola alvumque ducentia commoda ſunt; in poſteriori vero provoluta inteſtina intus cogantur vel manu, vel fomentis mollientibus et aqua calida, vel denique ferramentis.

Ubi nondum inflammata ſunt inteſtina, expeditiſſime iuvare ſolent et nix et aqua frigida.

Mollientia fomenta ſuper abdomen data ibi locum obtinent, ubi annuli abdominalis coarctatio ſpaſtica ſymptomata ea excitavit.

Quodſi vero inflammationem ſupponit, protinus incidenda ſunt herniae velamenta.

Neque tamen eo minus curioſe antea explorare opus eſt, an vere excitetur is dolor coarctata hernia. Neque ratione id carere videtur, ubi ſubito protinusque in annulo abdominis ortus, ibi etiam graviſſime dolor ſaevit, cumque reponi potuit hernia, antequam dolor appareret, id autem nequaquam nunc fieri poteſt.

Exiſtunt caſus inteſtinorum intus ſusceptorum, quibus pertinaciſſima excitatur obſtructio, cum ſtercorum per vomitum eiectione. Dicitur ea aegritudo *volvulus.*

Varii medici ad inciſionem abdominis confugerunt, ut contorta poſſent inteſtina explicare. Neque tamen adeo explorata ſunt eius volvuli ſigna, ut iuxta eadem tam periculoſam curationem inſtituere liceret.

Subſiſtendum itaque mollientibus iisque remediis, quae ſpaſmos mitigant, frigidisque fomentis, ni inflammatio iamiam adſit.

Nonnunquam obſervatum eſt, partem inteſtini intus ſusceptam, ſecedere atque per anum excerni.

Equidem vidi aliquando decem volvulos, quorum quisque pollices aliquot longus erat, quatuor aut quinque pollices a ſe remotos in tenuibus inteſtinis.

Similibus itaque caſibus exulceratio contingens occidere aegrum ſolet, cum ſponte atque natura eae intus ſusceptiones liberari omnino non poſſint.

Eum autem, cuius iam memini volvulum, lumbrici excitaverant, citra obſtructionem citraque vomitum. Quid quod aqua Rulandi benedicta, ad ſex uncias intra nychthemeri ſpatium conſumta, nullam exſeruerit efficaciam, quamvis perluta alvus facile liquaretur. Coniectare autem facilius erat vermes, quam volvulum tot gyris implicatum. Affecerat aegrum ſpecies quaedam choreae ſancti Viti, quae per octo dies aſſiduo illum exercens, contingente tandem ſtupore, enecaverat.

Poteſt itaque accidere volvulus absque paſſione iliaca, neque quivis eiusmodi morbus dolores colicos excitat.

Nonnunquam inteſtinum aliquod nimis coarctatum obſervatur: ſolent etiam interdum omnes abdominis glandulae mire intumeſcere, tunicaeque inteſtinorum externae incraſſari, ut quivis motus periſtalticus impediatur.

16. *Colica ex conſenſu.*

Quandoque ſolo conſenſu cauſſa agere videtur. Eo modo et renum et veſicae felleae calculi et ab-

ortus imminentes graviſſimos gignunt dolores colicos, quibus conferunt mollientia, antiphlogiſtica et antiſpaſtica.

Nauſea et vomitus.

Uterque affectus, gradu tantummodo differens, ventriculi et inteſtinorum agnoſcit praeternaturalem agitationem.

Qui *ruminationis* nomine venit affectus, vomitus quaedam ſpecies eſſe videtur. Equidem memini cuiusdam aegri, cui, ſimulatque ingeſſiſſet, ilico iterum cibi aſcenderent, quos itaque vel evomebat, vel deglutire iterum poterat, quod ad nutritionem neceſſarium videbatur. Lumbricis autem excitatus is affectus arte tandem vincebatur.

Inverſus motus periſtalticus oritur:

1. ex inflammato ventriculo partibusque vicinis, ubi vomitus velut ſymptoma duntaxat conſiderandus eſt;

2. ex victus vitiis;

3. ex acervatis poſt frigus admiſſum in ventriculo humoribus;

4. ex irruente in ventriculum ſanguine, cuius per lienem ac iecur circuitus offenſus eſt;

5. ex imbecillitate hyſterica;

6. ex obſtructis abdominis viſceribus.

Vomiturire tunc initio ſolent aegri, maxime matutino tempore, poſt vero, quidquid comederint, evomere.

7. Ex ulceribus oeſophagi aliisque vitiis;

8. ex vermibus;

9. ex metaſtaſi.

Effici enim poteſt vomitus tum arthritide, tum rheumatiſmo: quin praecedere ſolet vomitus nonnunquam acceſſus arthriticos.

10. Ex conſenſu, ubi capitis oſſa fracta ſunt vel renes etiam patiuntur;

11. graviditatis primis menſibus.

Quamdiu immunda excernuntur, raro nocere vomitus ſolet, dumne ſtimulo tandem ſordes eae paratae fuerint: ibi utique vomitus ſublato ſtimulo debellari deberet.

Cum autem nihil morboſi excernitur, vomitus plerumque mitigandus eſt, ne vires nimis exhauriantur, aut ſtaſes naſcantur inflammatoriae.

Eo itaque caſu alvus protinus perluenda eſt et liquanda, praecordia autem et mollientibus et antiſpaſticis inungantur: cum etiam, vehementer urgente vomitu, frigida eſſe conſueſcant extrema, fovenda ac perfricanda ſunt calido vino.

Ex toto autem cutis mollienda eſt, quod tutiſſime fit balneis calidis.

Ubi ſanguis abundat ventriculique inflammatio minitatur, e vena mittendus eſt ſanguis, intercepta eius profluvia reſtituantur, ſuperque praecordia veſicatorium, quod camforam excipit, detur.

Mitigatur etiam vomitus fixo aëre, ſive, quod idem eſt, hauſtu Riveriano.

Ubi nullam ſuspicamur inflammationem, vomitu tamen minime ſeſe remittente, aromata et opiata exhibere oportet.

Quodſi vomitu tandem vacat, circumſpecte tollendae ſunt cauſſae irritantes.

Gravidis conferre plerumque vomitus ſolet, praecipitare autem eos, quorum caput fractum eſt.

Renibus tandem affectis, urinae adeſſe difficultas conſueſcit. Iuvant ibi ea praeſidia, quae leniter urinam cient, ut ventriculus ita liberetur.

Diarrhoea.

Alvus nimis fuſa ac liquida, plerumque dolores abdominis et teneſmos afferens; excrementis, licet non penitus naturalibus, minime tamen omnino a naturali ſtatu recedentibus, cui demum vel nulla vel fortuita duntaxat febris accedit, diarrhoea vocatur.

Easdem autem, quas vomitus, cauſſas agnoſcit: pertinent huc etiam animi affectus.

Excipit enim non raro terrorem et formidinem, ubi brevi tranſire ſolet: ſollicitudo vero longam eiusmodi valetudinem efficere poteſt.

Gregatim etiam ſentitur, ex corrupta plerumque bile originem ducens. Longa etiam fit et habitualis ob reſoluta inteſtina.

Excitari tandem poteſt ex ulceratis et putreſcentibus inteſtinis.

Quae dentientes infantes exercet, ſupra iam comprehenſa eſt.

Quemadmodum cauſſae vomitus et diarrhoeae apprime congruunt, ita eandem fere curationem poſtulant: ea autem circumſpectiſſime adminiſtranda, cum corpus facile cita alvo conficiatur.

Magnopere autem intereſt, protinus eliminare quidquid irritavit, deinde vero privare inteſtina nimia ipſorum temeritate ſenſuque acutiſſimo: utraque autem ratio, quantum fieri poteſt, iungenda.

Ubi ſordes ſubſunt bilioſae, conferunt ea, quae alvum leniter ducunt, praecipue tamarindorum pulpa. Ubi ſordes maximam partem egeſtae ſunt aut colluvies adeſt mucoſa, exhibeatur rheum, cui, dum acor adeſt, abſorbentia, dum diſtentiones autem nervorum vigent, opium admiſcetur.

Ubi nimia pollent irritabilitate inteſtina, ſubigatur rheum gummi arabica, radice ſalep et lichene islandico. Sordibus iam turgentibus emetico

via paretur, qua exeant: eo enim motus plerumque periſtalticus aliam plane viam incedere ſolet.

Simulac ſanguinis impetus, ex praepeditis forte fluoribus, alvum fuſam produxit, eo modo agatur, quem ad intercepta menſtrua praecepi.

Cum ſollicitudines accuſantur, circuitus plerumque et ſecretiones impediuntur: inde curationis ſumma verſatur in mente exhilaranda multaque exercitatione. Maxime vero proſpiciendum eſt perſpirationi, quod, ubi nullae adſunt cauſſae graviter irritantes, optime fit theriaca Andromachi.

Ex toto autem nulla violenter ſiſtenda eſt alvus cita, quamdiu praeternaturale aliquid ſecedit, quod non brevi videtur generatum fuiſſe. Ratio tamen et hic habenda tam virium quam inteſtinorum irritabilitatis. Ubi illae deficiunt, haec autem nimis viget, ſuccurrendum eſt cortice caſcarillae, apta etiam interdum ſimaruba.

Acrimonia, quae primis viis evacuari nequit, tollenda eſt vel veſicatoriis vel ſolventibus vel iis potibus, qui diluunt humores ſudoresque movent. Solvendo praeprimis utiliter agunt portiunculae ipecacuanhae exiguae, opio mixtae.

Quodſi vero et imbecillitas nimia eſt et irritabilitas, ſubveniendum eſt adſtringentibus potentioribus, ligni campechiani, terrae catechu et aluminis exemplo.

Ubi pus alvo excernitur, ſaluti id ſaepius eſt, dum demulcentibus alvus leniatur. Quodſi vero ulcus unica vice non vacuatur, macies ſequi ſolet, qua nec ibi vacat aeger, ubi inteſtina exeſa ſunt.

Ceteris vero cauſſis ea opponantur, quae adverſus vomitum praecepta ſunt.

Fluxus coeliacus.

Dum non vere faeces ſed ſoluti nec bile tincti cibi ſecedunt, fluxus oritur coeliacus.

Opinio alias vulgaris, quod in eo fluore verus excernatur chylus, rariſſime tantummodo locum obtinet, quamvis, poſſe id fieri, noviſſimis experimentis, chylum motu vaſorum peculiarium inverſo ſecedere, probari videatur.

Efficitur is curſus bilis potiſſimum vel defectu vel vitio, adeoque iecinoris, meſenterii vaſorumque chyliferorum obſtructione, inteſtinorum denique nimia irritabilitate.

Opus autem eſt rheo cum aromatis adſtringentibus et opio, quae niſi iuvant aegrum, inſanabilem eſſe morbum indicant.

Lienteria.

Siſtit ea affectum, quo et cibi et potus mutati, protinusque ut ingeſti ſunt, iterum ſecedunt.

Excitatur vero vel iecinoris obſtructionibus bilisque vitiis, vel nimia inteſtinorum irritabilitate.

Illic opem fert rheum, eoque mixta medicamenta: ubi vero teneritas accuſatur inteſtinorum, antiſpaſtica, roborantia et nutrientia.

Ubi bilis adeſt copia, muco autem vacant inteſtina, nutriendum eſt corpus demulcentibus.

Deficiente bile imperanda amara, quorum praeſtantiſſima ſunt, et quaſſia et lignum campechianum. Extrinſecus emplaſtra, quae galbanum aſamque foetidam excipiunt, ordinantur.

Fluxus hepaticus.

Ita vocatur humoris aquam, qua caro eluta eſt, referentis copioſa excretio.

Differt autem a vulgari diarrhoea, quod raro aut nunquam tormina accedant alvique difficultas, quod cita proprie alvus non ſit, ſed ter vel quater quotidie ducatur: a dyſenteria, quod diuturnus ſit, febreque vacet, a fluxu haemorrhoidali, quod humor cruento duntaxat colore tinctus ſit.

Progreſſu palleſcere aegri ſolent, tandemque macie confici.

Eius vero laticis fons iecur non ſemper eſt, ſed ſaepius etiam in vaſis meſenterii quaerendus.

Proxime antecedunt vel eroſiones et ſolutiones, vel laxitas extremorum iecinoris eorumque vaſo-

rum, quae inteſtina perreptant. Eoque facilius tunc penetrat ſanguis, quo aegrius fit circuitus ſanguinis propter congeſtiones.

Curatu difficillimus eſt morbus, maxime cum iam inveteravit.

Quae alvum ducunt, tantum abeſt, ut iuvent, ut potius vires proſternant. Sanguinem mittere minime licet ob cachexiam. Temperantia etiam minime commoda ſunt, cum frigidi magis quam calidi aegri exiles habere pulſus ſoleant.

Quodſi coërcetur excretio, angores plerumque aut deteriora oriuntur ſymptomata.

Quidquid ars valet, complectitur ea adminicula, quibus impetus ſanguinis minuitur: idonea autem et emollientia et antiſpaſtica, tum etiam hirudines ac cucurbitulae.

Morbus niger.

Dicitur etiam fluxus ſpleneticus, cum creditum ſit, atros humores et putidos, qui hic excernuntur, e liene prodire.

Neque tamen aliud quid profunditur, quam ſordium biliofarum copia, bile ob nervorum labem nigricante.

Solent autem eiusmodi nigriusculae ſordes vomitu etiam eiici, unde cholerae ſpecies haberi poſſet. Intereſt autem inter utrumque morbum popu-

laris cholerae frequentia, quodque cholerica temperies in eam vergat: hic vero morbus ſporadice eos afficere ſolet, qui diuturnis ſollicitudinibus aliisque affectibus debilitati ſunt.

Quandoque ſanguis vere corruptus excerni videtur. Id autem probabile fit his argumentis:

1. ſupernaſcitur enim nonnunquam ſanguinis ex primis viis curſui;

2. ſubinde corripit eos, qui ſcorbuto conficiuntur;

3. accidit non raro, ut eodem tempore naturales faeces alternent cum nigricante ea materie;

4. verus quoque ſanguis ſaepius profunditur. Acuta autem tunc valetudo eſſe ſolet criticosque habere dies.

Igitur in curatione circumſpiciendum eſt, ſitne dysenteriae affinis, an orta ex ſanguinis ſcorbutica tenuitate ſive ex muco bilioſo et tenaci ſtagnante, an exceperit ſanguinis impetum in vaſa haemorrhoidalia.

Nequaquam vero comprimenda eſt alvus, ut haec ſiſtatur excretio.

Ubi acuta eſt valetudo, eo modo quem adverſus dysenteriam ſuaſi, agendum.

Scorbuticae humorum corruptioni opponatur acidum vitrioli, bilique atrae tamarindorum pulpa cum rheo et tartaro tartariſato.

Simulac vires deficiunt, fricanda membra vino, propinandum eſt lactis ſerum, quod vinum excipit, paullatimque veniendum ad amara roborantia, quorum praeſtantiſſimum ſiſtit ſimaruba.

DE AFFECTIBUS RENUM ET VESICAE.

Dolores ex calculo orti.

Acervari quidem calculus poteſt in omnibus corporis viſceribus: maxime tamen familiaris eſt tum renibus, tum veſicae felleae et urinariae. Hic vero praecipiam tantummodo de iis doloribus, quos calculus renum veſicaeque urinariae movet.

Diſcrimen autem triplex ſtatuendum eſt:

1. aetate provecti iisque, qui arthritidi et rheumatiſmis obnoxii ſunt, urinam ſaepius profundunt, arena rubicunda mixtam, quae difficultatem urinae producit eamque penitus intercipit: poſſunt vero etiam ſtimulo oriri dolores colici, vomitus ſpaſticique affectus.

Ea arena, ubi verus adeſt calculus, nunquam excerni dicitur; neque extimeſcendum eſſe verum calculum, ubi ea ſecedit. Fertur etiam, arenam eam in ureteribus et veſica, neque in renibus formari.

2. *Calculus renum.*

Is cognoſcitur ponderis dolorisque ſenſu, regionem lumbarem prementis, quem facile inflammationes renum ſpaſticique affectus conſenſu geniti excipere poſſunt.

Accedit pedis in affecto latere ſtupor: retrahitur etiam teſticulus eiusdem lateris, ſtimuloque maxime vigente cuticula tam ſcroti quam femoris inflammatur.

Ambigua quidem per ſe illa ſigna certius tamen indicant morbum, dum alia eorum ſymptomatum cauſſa inveſtigari nequit.

Frequentiſſimus eſt ſiniſtri renis calculus, quippe qui aſſiduo ab inteſtinis prematur.

Ubi moles calculi non nimia eſt, propellitur ſaepius in ureteres, indeque in veſicam. Eum autem transitum comitantur dolores, horrores, ſpaſmi nervorumque distentiones cum vomitu vehementi.

Sequuntur tamen ſaepius etiam eadem ſymptomata renum irritationem, quemadmodum ponderis praecordiis incumbentis ſenſus frequens eſſe ſolet in calculis renum et felleis.

Qui renum calculi ubi diutius in veſica morantur, multumque arenae lotium continet, renum calculus abit, adhaerente plurima arena, in calculum veſicae.

3. *Veſi-*

3. *Veſicae calculus.*

Nervorum etiam distentiones urinaeque difficultatem is adfert: intercepta enim ſubito nonnunquam urina melius currere ſolet, cum antrorſum flexi aegri pedes diducunt.

Adiungitur plerumque muci copia, urinam implens: qui differt a pure, quod aquam albo colore imbuere non ſoleat.

Viri praeterea ſtimulum ſentiunt ac pruritum glandis, feminae eundem in meatu urinario; his accedit ponderis ſenſus in perinaeo.

Catheteris ſolius ope certo tandem calculus explorari poteſt.

Circa calculi cauſſas dubii etiamnum haeremus.

Hominis vel optime valentis urina id continet, quod peregrina corpuscula, fortuito in veſicam intruſa, circumdare ideoque calculum formare valet. Ubi vero deficit eiusmodi externa occaſio, ſufficere videtur eius humoris abundantia, qui, accedentibus occaſionibus, vel arenae forma ſecedit vel calculos generat.

Opportunitas autem ubique ſingularis deſideratur, citra quam nulla alia cauſſa calculum producere poteſt.

Ubi vero ea adeſt, favent generando calculo et acida vina, et frequentior uſus ciborum concoctu difficilium ſpiſſiorisque materiei, praeſertim caſei.

Favet deinde ii ſedentarium vitae genus, ubi aſſiduo renes premuntur inteſtinis impletis atque inflatis.

Inde frequentior calculus Galliae incolis et Helvetiae eſt quam noſtratibus.

Quod ſupereſt, materies, quae calculum hunc efficit, differt omnino ab ea, quae felleos calculos et arthritidem generat. Siquidem empyreumatica ſcatent materie calculi fellei. Calcis autem maiore copia ii, qui renes et veſicam occupant. Materies arthritica albida eſt, molliuscula, aequalis ſolutuque facilis: calculi vero veſicae lamellis conſtant ipſisque non raro cryſtallis. Neque tamen eo minus utraque ſpecies ſaepius in eodem corpore ſimul adeſt, communis itaque opportunitas utrique eſſe videtur.

Finem autem triplicem ſpectat curatio:

1. tollendam eſſe irritationem calculo effectam;

2. concrementa ea propellenda;

3. novam eorum generationem eſſe praepediendam.

Irritatio haec licet a calculo proxime gignatur: remittere tamen ſeſe interdum ſolet, aliisque cauſſis ſymptomata cientur: e. g. vermibus et ſordibus primarum viarum, animi affectibus, maxime ira, impetu tandem ſanguinis, ex conſuetudine non profluentis.

Qui ſtimulus dum inflammationes facile excitare poſſit, ratio praeprimis ſanguinis, ex intercepto ipſius curſu, abundantis habenda. Expediunt ibi, prout res, quae circumſtant, id poſtulare videntur, vel ſectio venae, vel hirudines ſive cucurbitulae admotae.

Sublata ſanguinis abundantia, aut nulla demum praegreſſa, cuti protinus admovenda mollientia, ſimul vero exhibenda antiſpaſtica cum demulcentibus.

Super haec experiri oportet, adſitne aliud irritamentum, ſordium bilioſarum exemplo, quae alvo leniter ſoluta tollantur.

Ubi continentes ſunt dolores, absque inflammationis metu, expeditius iuvare ſolet fixi aëris internus uſus, quo dolores ſtatim mitigantur, muco praeſertim abundante, qui ſtagnans eum ſtimulum effecerat.

Altera vero curationis pars verſatur in expellendo calculo.

Ubicunque mera ſecedit arena, praeſidio eſſe egregio ſolent, quae leniter urinam cient, ſi ſalubre vitae genus, multaque ambulatio aut alia corporis exercitatio cutisque mollities accedunt. Conſilium tamen ſimul transferatur in materiem arthriticam ac rheumaticam forte praeſentem. Conferunt igitur guaiaci gummis, ſulfur antimonii, re-

centes herbarum amararum et antiſcorbuticarum ſucci, denique mercurialia.

Iis, quae urinam cient, accenſentur arbutus uva urſi, iuniperique et baccae et lignum.

Promovendae arenarum calculum conſtituentium per urinae curſum excretioni idonea ſunt, quae urinam cient: ea tamen eligantur, quae minimum efficere ſtimulum ſolent, neque tamen eo minus urinae curſum promovent.

Generata, ſicut nonnunquam accidit, ea arena, materiei febrem intermittentem gignentis ope, egregie opitulari et cortex peruvianus et fixus aër conſueruut.

Ut ſolvantur vero ipſi calculi, ardui negotii res eſt, ut, quantum noſtrorum temporum ars valet, id praeſtare fere deſperet.

Experientia quidem, ſapone, calcis aqua, fixo aëre, aqua thermarum Carolinarum, uva urſi, aliisque id genus remediis plurimum adlatum eſſe auxilii, docuit.

Regeri autem poteſt, vel nullum adfuiſſe calculum, verum ſolam arenam, vel remedia ad tempus tantummodo iuviſſe, vel nimio etiam uſu nocuiſſe.

Recurrendum itaque eſt ad eam curationem, quae ex ferramentis petitur. Adminiſtranda ea in ſolo veſicae calculo, licet exſtent omnino caſus, in

renum calculo tumorem extus apparuiſſé, quo aperto promi calculus potuerit.

Ut opportunitas huius morbi vel tollatur vel inſons reddatur, inſerviunt potus tenues cibique, qui alvum leniunt: vitare praeterea opus eſt ſedentariam vitam ac omne id, quod mentem conturbat. Summa rei complectitur rationem, qua gelatinae et terrae abundantiam nucleique ortum impedimus.

Urinae difficultas.

Dispertiuntur vero tres potiſſimum ſpecies, gradu tantum differentes:

1. *dysuria*, ubi urinae difficultas non graviſſimas excitat moleſtias;

2. *ſtranguria* dicitur, ſi guttatim ſecedit doloresque affert;

3. *iſchuria* gignit crebram urinae cupiditatem doloribus acerbiſſimis iunctam, neque vel minima copia excernitur. Tumida ſimul veſica ponderis ſenſum excitat ſuperque pubis oſſa prominet.

Cauſſae vel ipſas occupant partes vel conſenſu agunt. Praecipuae vero ſunt:

1. inflammatio et exulceratio renum, ureterum, veſicae et urethrae;

2. impetus ſanguinis ex interceptis profluviis habitualibus;

3. calculi renum aut veſicae;

4. muci colluvies, vel calculorum ſtimulo producti, vel ſingulari quadam opportunitate, ſimili modo atque in Pictonum colica;

5. nervorum diſtentiones, quibus, ubi imbecillitas adeſt hyſterica, vel leviſſimae cauſſae, vel vermes etiam ſordesque ventriculi acres, atque calculi praebent occaſionem: eae autem urinam eo facilius intercipiunt, quo plura iam praeceſſerunt renum vitia;

6. inflatio veſicularum ſeminalium, ulcera, durities caroque ſuperflua in partibus affectis generata, quae ſubſequi poſſunt blennorrhoeas male tractatas.

Inflantur ſaepius et proſtata et veſiculae ſeminales, ſi ſpaſmo ſemen repellitur, quod eiaculari aliquis conatur.

7. Quae vehementius urinam cient, e. g. cantharidum incautus uſus;

8. potus, qui vel non rite fermentarunt, vel adhuc fermentant;

9. reſolutio nervorum aut veſicae;

10. gravidi uteri preſſio in veſicam.

Ubi inflammatio viget, antiphlogiſtica ratio ex toto eſt adhibenda. Sanguinis impetus mitigandus eſt tum miſſione eius, tum revocatis profluviis habitualibus, tum denique praeſidiis, quae ſpaſmos ſedare tenſasque partes mollire poſſunt.

In muci naturam deinde inquiratur, utrum calculis efficiatur an opportunitate peculiari. Illic quidem aëre opus eſt fixo, hic vero iis remediis, quae partes firmant et conſtringunt.

Quodſi ſpaſmi adſunt, ſtimuli cauſſa inveſtiganda, ſimul vero mollientia imperanda ſunt et antiſpaſtica.

Ubi nulla adeſt inflammationis ſuſpicio, ſaluti eſſe veſicatoria conſuerunt regioni renali admota.

Inflatis veſiculis ſeminalibus ac proſtata, quod ex humorum totius corporis turgore, atque ex orta affectus poſt fruſtraneos eiacúlandi conatus patet, vitanda eſt omnino veneris cupiditas tenuisque ſervandus victus.

Ut acervatum excernatur ſemen, diureticis opus eſt et demulcentibus.

Ut etiam extra inſultus minuatur humorum impetus ad partes verendas, camfora utiliter adhibetur: firmandae etiam utique partes, laxitatique et ulceribus, ſi quae adſunt, obviam eundum.

Ulcera vero, durities carnesque ſuperfluae alio modo haudquaquam tolluntur, quam urethrae mechanica diductione. Quin ipſa mercurialia, ubi venerea adeſt lues, eludere ſolent noſtra conata.

Saepius autem, ubi catheteres aut cereolos per urethram in veſicam condere nequimus, nihil supereſt, niſi inciſo perinaeo ad veſicae collum pro-

pius accedere, idque, ſi aliae poſtulant rationes, aperire.

Cum vero ſpecillo uti ad conducendum cultellum hic quidem non poſſimus, ea curatio medico indiget, qui uſu plurimis aliis ſuperior eſt.

Adverſus cantharides militat camfora emulſa. Cuti tamen ſimul admovenda ſunt mollientia, quae et contra fermentantes potus inſerviunt, propinanda demulcentia.

Ubi imbecillitatem veſicae ſuspicamur, distinguenda eſt, quae totius corporis vitium ſequitur, ab ea debilitate, quae ſolam occupat veſicam, diuturnam maxime moram urinae ſupponens. Priorem ſpeciem tollunt nonnunquam, quae corpus firmant atque urinam cient; poſteriori vero caſu vel naturae auxilio aegri ſaneſcunt, vel pertinacia morbi labores omnes fruſtratur.

In gravidis ſaepius accuſanda eſt uteri obliquitas, quae ad artis obſtetriciae leges curatur.

Intercepta penitus urina, quae nec cathetere emitti poteſt periculumque auget, ad ferramenta confugiendum: veſica itaque foranda eſt.

4. Renum nonnunquam vitium adeſt, quo urinae ſecretio omnino praepeditur, ut neque eius cupiditas neque dolores aut acervatae in veſica urinae ſigna adſint.

Vergunt ii aegri in tumores aquoſos: exeſis etiam plerumque renibus, aegerrime ad ſanitatem perduci poſſunt.

Vocatur *iſchuria renalis*.

Ureterum vitia et obſtructiones ſimilibus paſſionibus excipiuntur.

5. Poteſt tamen, ſatis fluente urina, accumulari eadem in veſica, ut haec intumeſcat. Contrectato abdomine tumor ſentitur: veſica etiam ſcirrhoſa fieri ſenſuque penitus carere videtur, cum nullus adſit dolor. Ad tempus tantum levare morbum catheter ſolet.

Mictus cruentus.

Is eo nomine affectus venit, ubi cruor cum urina excernitur.

Sanguinis ſolum ſtillicidium ex urethra, impetum eius ex haemorrhoidibus irruentis ſupponit, *haemorrhois membri virilis* dictum.

Profluit etiam ſanguis in blennorrhoea venerea atque in nimia venere, neque tamen hoc nomen meretur.

Suſpicamur renum vitia, ſi eos corporis motus ſequitur, quibus id valide commoveretur.

Solet ceteroquin is affectus urinae difficultatem habere ſociam, iisdem cauſſis generatus, eodemque modo tractatus.

Urinae incontinentia.

Cauſſa eius vitii vel ipſam veſicam occupat vel eius muſculum conſtrictorem.

Veſica nimis irritabilis ſit ex inflammatione aut ex ingeſta acrium ciborum atque diureticorum nimia copia.

Premitur ſaepius etiam ita, ut reſiſtere muſculus conſtrictor non poſſit, id quod in graviditate contingere ſolet. Infirmatur ſphincter aut reſolvitur vel ex cauſſis totum corpus afficientibus vel ex diuturna calculi mora, vel ex praedura cicatrice quae calculi curationi ſupereſt, vel demum ex urinae diuturna mora.

Irritabilitati nimiae veſicae opponenda ſunt mollientia et demulcentia. Adverſus imbecillitatem roborantia tententur et adſtringentia et diuretica, quae vel cito vel nunquam iuvant.

Diabetes.

Si nimium urinae profunditur atque in maciem vergit aeger, diabete, rariſſimo affectu, laborare dicitur.

Saepius urina haud adeo copioſe profluit, praeternaturalem tamen indolem habet; ita potus ingeſti ſubinde haud mutati ſecedere ſolent. Vocare eam valetudinem, *ſpurium diabetem* auctores conſuerunt.

Exiſtit etiam chyloſi diabetis ſpecies, quo chylus per vaſa abſorbentia immediate in veſicam fertur.

Plerumque et odore et ſapore expers urina eſſe ſolet, neque calore coagulum accipit, adeoque a lympha aliena eſt: ſecerni tamen ex ea ſaccharina quaedam ſubſtantia poteſt, ac fermentatio acidulam eam reddit: hinc produci chylo videtur et aſſimilatione deficiente.

Plerumque adſunt pertinaces obſtructiones, ulcera occluſa, cutis vaſorumque abſorbentium imbecillitas, aliaque, quae maciem generare ſolent.

Eo itaque modo curatio inſtituenda, quem ad macies iam ſupra praecepi.

Eludere tamen utplurimum conata noſtra ſolet, cum explorari nequeat, occupetne id vitium organa urinam ſecernentia an totum vaſorum abſorbentium ſyſtema: ratio tamen nobis conſtat, lymphaticum ſyſtema potiſſimum laborare, cum urinae ſaepius longe maior copia effundatur, quam humores ingeſti, ideoque reſorptio per cutim nimis accelerata eſſe debeat.

Utiliter autem priori caſu aluminis ſerum, cortex peruvianus frigidaque balnea, poſteriori vero tinctura cantharidum eſſe ſolent, ut vaſorum laxitas tollatur.

DE VERENDARUM PARTIUM AFFECTIBUS.

Blennorrhoea benigna et ſluor albus.

Seminis aut muci ex urethra curſus, qui venereas cauſſas non agnoſcit, *blennorrhoea* vocatur *benigna.*

Quodſi non guttatim, ſed flumine profunditur ſemen, *pollutionem* ſiſtit.

Apud mulieres vocatur *leucorrhoea* ſeu *ſluor albus.*

Quodſi ſemen tantummodo guttis deſtillat, ſuſpicari oportet mucum potius dilutum quam ſemen.

Mulieribus duntaxat ex vaginae glandulis mucus profunditur, quamvis non deſint caſus, ubi ex utero plerumque ſcirrhoſo promanat.

Profluens humor ſaepius acerrimus, purulentus et flavidus, citra ſuppurationem ac acrimoniam veneream, eſt, id quod ex praegreſſo ſtatu explicari poteſt.

Interdum acervatur eiusmodi latex inter glandem et praeputium, qui a labe venerea non ſemper generatur.

Gignitur autem vel impetu ſanguinis in genitalia, vel peculiari quadam imbecillitate. Nonnunquam acrimonia efficitur rheumatica.

Priori caſui opponenda ſunt temperantia, tum ea, quae in corpus, tum quae in mentem agunt, poſteriori vero frigida balnea et roborantia auſtera cum tenui victu, vitatisque altilibus cibis, inſerviunt.

Quodſi humores ex obſtructis glandulis irruunt, potentiora opponantur reſolventia, exemplo ſulfuris antimonii, gummis ammoniacae ac guaiaci.

Apud viros praepeditur ſeminis eiaculatio iisdem cauſſis, quae urinae curſum offendunt, ſimilis igitur curatio inſtituenda.

Satyriaſis et priapiſmus.

Ubi virga non naturaliter erigitur cum voluptatis ſenſu, *ſatyriaſis* oritur: vacante autem voluptate aut dolentibus potius partibus, *priapiſmus* dicitur.

Huius quidem periculoſa ſpecies atque acuta exiſtit, quae intra ſeptem dies aegros enecare ſolet. Apud nos autem rariſſima.

Vulgares cauſſae vitiorum eorum inter nos frequentiores ſunt:

1. acris urina, noctu aliisque cauſſis accumulata;
2. calculi renum ac veſicae, ſtimulo ſuo agentes;
3. peculiaris quaedam nervorum ſenſibilitas. Ea ſaepius in melancholicis obſervatur ſoletque excipere hydrophobiam;

4. acrimonia ſingularis. Inde ſcorbuto vehementique ſcabiei familiaris is affectus eſſe ſolet.

5. Urethrae inflammatio, quae blennorrhoeam veneream excipere ſolet.

Tollantur autem eae cauſſae ad regulas ſaepius iam ſanctas. Camfora ibi ſubinde ſpecificam exſerit actionem.

Nymphomania.

Salacia mulierum, quae, cum iis ſatis non ſit, in deliria praecipitat nervorumque distentiones, *nymphomania* dicitur, *metromania* aut *furor uterinus.*

Ibi ubique vel nimio impetu in partes pudendas ſanguis irruit, vel peculiaris adeſt humorum acrimonia, vel acutiſſimus nervorum ſenſus, quibus igitur rebus eo, quem praecepimus, modo obviam eundum.

Inflatis partibus verendis opem ferunt puls ex radicibus dauci parata ac frigida aqua.

Confert etiam camfora, ſive per ſe, ſive cum temperantibus aliisque remediis iuncta.

Molae.

Diſtinguunt auctores inter molas et polypos.

Eae vaſorum ope utero adhaerent, oriuntur ex effuſis humoribus aut ex ovulis corruptis, ubi con-

ceptus ſpurii vocantur, qui, teſte experientia, et in virginibus occurrere poſſunt.

Polypus vero eiusdem eſt compagis ac uterus, videtur igitur prolongato eo originem tribuere.

Frequentes admodum molae ſunt, atque profluvia excitant pertinacia. Quin dolores non raro generant, partuum doloribus ſimiles, quibus etiam propelli ſolent.

Ubi naturae auxilio id non accidit, manus curationem exigunt, ſi modo eas attingere licuerit.

Uterus ſcirrhoſus.

Uteri durities benignum ſaepius album fluorem gignit, diuturnum etiam ſanguinis profluvium omniumque nervorum distentiones.

Quodſi morbus iam inveteraverit, ad ſanitatem perduci aegra non poteſt, carcinomate potius ac macie conſumitur.

Protinus ab initio, quod raro tantummodo percipitur, valent utique mercurialia et cicuta, quod fere ubique ex acrimonia venerea aut ſcrofuloſa naſcitur.

Nervorum distentiones, hic obviae, facilius confundi cum hyſtericis affectibus poſſunt: plurimum tamen inter utrumque morbum intereſt, ſive cauſſas, ſive curationem ſpectaveris.

Ex toto vero a veritate alienum eſſe videtur, diſtentiones eas, praeter uteri vitium, nullam aliam agnoſcere cauſſam.

DE GRAVIDARUM MORBIS.

Affectus nervorum.

Primo, poſtquam conceperit mulier, menſe nervi ſaepius ſingulari modo afficiuntur.

Citra victus praegreſſos errores nauſea ac vomitus oritur: accedere ſolent abdominis, capitis, dentiumque dolores. Denique nonnunquam mire ac non naturaliter abſona inſuetaque appetere ſolent.

Hi autem affectus artis auxilium minime poſtulant, cum facile citraque noxam transeant, neque tolli poſſint.

Saepius quidem ſymptomatum gravitas ſanguinis miſſionem exigit, quam vero circumſpectiſſime adminiſtrare oportet, cum abortibus anſam praebere conſueſcat.

Vomitus ſaluti eſſe ſaepius ſolet, purgat enim inteſtina, facileque partum ſuperaturam eſſe mulierem promittit.

Dolores brevi transeunt, opiumque, ni noxas afferret, nullam tamen efficaciam exſereret.

Cupi-

Cupiditati ciborum, quantum fieri poteſt, obtemperandum eſt. Dum id non obtinet, damna haudquaquam extimeſcantur.

Sanguinis abundantia.

Cum menſtruorum curſu, ſimulac conceperit, vacare ſoleat gravida, omnisque ſanguinis alias profuſi, copia ad nutriendum embryonem minime conſumatur, abundare plerumque is menſe ſecundo vel tertio ſolet.

Succurrit ii affectui nonnunquam natura, ſanguine per nares profuſo, ſubinde vero in alia loca eum propellit, aut capitis excitat dolores.

Quod ubi ſentitur, protinus vena ſecanda eſt, neque adſtrictum eſſe oportet legi vulgari, quae media tandem graviditate ſanguinem eſſe mittendum ſtatuit.

Neque tamen e pedis venis, ſed ex brachii potius mittendus. Ad id etiam tempus attendere opus eſt, quo ſanguis per menſtrua reſpondere ſoleret, maxime cum abortus metuendus ſit.

Quodſi vero nimio haudquaquam impetu ſanguis fertur, quodſi primipara eſt, aut ſaepius iam proſpere partum enixa eſt, temperantibus et antiſpaſticis ſubſiſtendum, ne praeter rationem vires infirmentur. Neque natura ſupprimeret menſtrua, ſi facile carere eo ſanguine poſſet.

Quodſi abortum iam fecit, ſanguinisque miſſionibus aſſuefacta eſt, periclitatur omnino ſanguine ob imbecillitatem in pectus irruente: neque procraſtinanda eſt ſectio venae, ſi bene gravida valet, ſanguisque admodum abundare videtur.

Alvus compreſſa et urinae diſſicultas.

Utrumque ſymptoma compreſſa excipit utero expanſo inteſtina compreſſamque eo veſicam urinariam. Ex alvo adſtricta ſordes accumulantur, poſt partum ſatis noxiae.

Hinc multa exercitatione, alvi lotionibus ea ſemper lenienda eſt, idque eo magis, cum nervi facile inde distendantur, unde periculum eſt, abortum eſſe facturam.

Urinae difficultas obliquum uteri poſitum ſaepius ſequitur: oportet itaque eum, qui curaturus eſt, uteri orificium iterum reponere. Iuſto tunc propius ad pubis oſſa accedere ſolet orificium, reprimendum igitur verſus poſticam partem.

Oedema pedum et hydrops ἀνὰ σάρκα.

Supernaſcitur colluvies aquoſa telae cellularis, vel preſſioni vaſorum mechanicae, vel imbecillitati, quamvis fere graviditatem excipienti, cuius teſtimonia praebent ſymptomata ſupra propoſita initio graviditatis apparentia.

Utrobique raro aegra periclitatur: partu plerumque tollitur is affectus, ut deſiderare medici auxilium omnino non videatur.

Maius vero periculum inſtat, dum ex propriis ac vulgaribus cauſſis hydrops ad graviditatem accedit: infans tunc vel abſumitur, vel abortu expellitur: quae dum aguntur, facile debilitate confici gravida poteſt.

Aquae profuſio.

Nonnunquam ea aquae copia ex vagina profunditur, ut credibile fiat, tunicas eſſe ruptas, abortusque periculum eſſe. Saepius tamen id minime accidit.

Locus igitur coniecturae eſt hydatides affuiſſe, quae ſuccreſcente embryone disruptae ſint.

Quodſi cum hoc affectu alia abortus imminentis ſigna non iunguntur, tantum abeſt, ut moliri aliquid neceſſe ſit, ut potius placida mente expectare futura deceat.

Sanguinis profuſiones.

Nonnullis gravidis menſtrua continuo ad finem usque feruntur, aliis tantummodo ad mediam usque graviditatem, aliis vero per primos duntaxat menſes.

Contingit etiam nonnunquam, ut, ſi ab eo curſu ſemel defecta eſt mulier, iterum tamen eum patiatur.

Ibi vero, ſi nullae adſunt externae occaſiones aut corporis aegritudo, ſi gravida ſanguine admodum abundat, ſi primum expectat partum, neque abortum unquam paſſa eſt, nequaquam multum timeri debet.

Ubi vero ſanguis profunditur, eo tempore, quo ferri menſtrua non ſolebant, ubi is ex manifeſtis cauſſis profluit, ubi mammae ſimul flacceſcunt, mulierque adverſa valetudine laborat vergitque in nervorum distentiones ac abortus, diligentiſſime omnino circumſpiciendum eſt; maxime, cum partus inſtat.

Experiri ibi oportet, quibusnam cauſſis ſanguis in uterum delatus ſit, an vi extus illata eo promanaverit.

Ubique autem ſanguinis abundantia exploranda ſanguineque miſſo et temperantibus vincenda eſt: ſuper abdomen mollientia dentur fomenta quiesque ſuadeatur.

Ubi nervi distenduntur ex ſordibus primarum viarum ac flatibus, alvus pulpa tamarindorum et manna leniatur frequenterque perluatur.

Ubi acrimonia humorumque disſoluta indoles adeſt, acidum vitrioli dilutum propinetur.

Hyſtericis autem ſpaſmis vigentibus opii pauxillum cum demulcentibus et mollientibus exhibeatur.

Protinus ut cauſſae irritantes ſublatae ſunt, corticem imperare oportet, ut et corpus firmetur et acceſſus novi avertantur: proſpicere autem ſimul alvo opus eſt, ad quem finem caſcarillae cortex eligitur.

Placenta ſolet externa vi illata abrumpi. Praeterea collo uteri ea adhaerens, dilatato tandem collo ſolvitur. Utrobique, dum ſanguis nimis profunditur, arte partus accelerandus eſt, maxime dum nervi ſimul diſtenduntur.

Abortus.

Plurimum timeri oportet, dum ſanguis aſſiduo vehementerque profunditur, neque propoſitis praeſidiis ſiſti poteſt.

Solet enim ibi abruptio contingere placentae atque ipſe adeo abortus, niſi infans extrahatur.

Metus etiam abortionis adeſt, dum ſanguis continuo ad id usque tempus profluere pergit, quo menſtrua alias ferri conſuerant.

Aboriuntur etiam mulieres, citra ſanguinis profluvia praegreſſa, quae vel impetum ſanguinis vehementem verſus uterum, vel vini externam paſſae

ſunt: accidit id frequentiſſime tertio graviditatis et ſeptimo menſe.

Poteſt etiam uterus praegreſſis laeſionibus crebriorique abortu adeo distendi, ut abortus ſequatur absque praegreſſis aliis cauſſis.

Morbi deinde alius generis, qui et irritant et debilitant, abortum excitare valent: febrium, convulſionum dolorumque colicorum exemplo.

In omnibus eiusmodi caſibus duabus potiſſimum legibus adſtringitur medicus.

Primum itaque, ubi certiſſime non conſtat, placentam eſſe ſolutam, ubi manifeſtae adſunt cauſſae, quas vincere licet, ubi nondum frequentes praegreſſi ſunt abortus, minuendus eſt impetus humorum verſus uterum iis potiſſimum remediis, quae temperant, ſpaſmos ſedant, alvum ſolvunt: ſimulque proſpiciendum eſt foetui ſervando.

Quodſi vero ſanguis nimia vehementia profunditur, neque contineri poteſt, quodſi decidua membrana ſimul expellitur, quodſi infans motu omni vacat, quem iam ſenſerat gravida, quodſi accedunt acerbi dolores dorſi, ponderisque ſenſus pelvim prementis, foetusque ſubito demergitur; facie pallescente, flacceſcentibus mammis, horroribus crebris totum corpus occupantibus; cavendum eſt, ne vel ſanguine miſſo vel medicamentis amplius gravida infirmetur, neque negligatur profluvium, ſed par-

tus feſtinetur, praeſertim cum aqua iam proruperit.

Quamdiu vero haec nondum contigerint, neque ſanguis profuſus ſit, ſatius eſt, a naturae auxilio expectare foetus expulſionem, eo ipſo etiam caſu, ubi ratio nobis conſtat, infantem mortuum eſſe.

Utero enim facile ſeſe contrahente, citra negotium ad ſanitatem pervenire aegra, neque metuendum ſanguinis profluvium eſſe ſolet. Poſt abortum eo modo agendum, quem ad puerperarum morbos infra docturus ſum.

Graviditatis cum aliis morbis connubium.

Difficile eſt generatim praecipere, quae hic poſtulantur.

Id tamen teneri neceſſe eſt, multo diligentius proſpiciendum eſſe matris quam infantis vitae. Neque eo minus deſunt caſus, qui nos cogunt ſervandi infantis ſtudium praeferre conatibus, quibus matrem ſalvare ſatagimus.

Id ſaltem exploratum eſt, ex iſtius modi morbis raro praeſentia manare damna in infantem, ni eae valetudines curentur medicinis vel nimis irritantibus vel vehementer debilitantibus.

Quin ipſa remedia, quae vomitum cient, tuto

exhibentur, ſi rite indicata ſunt ac cautelis neceſſariis obtemperamus.

Obſervatum eſt, varias gravidas ſalivae curſum paſſas, validos peperiſſe infantes.

In eiusmodi morbis medicum oportet iudicii facultatem ac ingenii aciem commonſtrare, quae mentis vires, licet ſaepius emendentur, haudquaquam tamen addiſcuntur.

DE AFFECTIBUS PARTURIENTIUM, PUERPERARUM ET LACTANTIUM.

Dolores ſpurii.

Quodvis irritamentum, ſive ex cauſſis ſufficientibus, ſive ex irritabilitate nimia ac acutiſſimis ſenſibus obortum fuerit, dolores ſpurios ciere poteſt acerbiſſimos, quibus vel nimis infirmatur mulier, vel partus nimis acceleratur.

Tales vero ſtimulos praebent:

1. ſanguis abundans nimioque impetus latus;
2. ſordes ventriculi et inteſtinorum ac vermes;
3. peculiaris quaedam debilitas, quae vel hyſtericam ſequitur conſtitutionem, vel eas cauſſas praegreſſas, quae totum corpus nimis infirmare valent.

Differunt autem ſpurii ii dolores a veris, quod inteſtinorum ſpaſmos potius ſupponant, et licet in

uterum agant, orificium eius magis tamen conſtringant quam diducant.

Ubi ſanguis abundat, corpusque bene ceteroquin valet, ſanguine protinus miſſo, doloribus iis non ſolum liberatur mulier, ſed partui etiam ſubvenitur, aliaeque noxae avertuntur.

Satis tamen conſtare eam cauſſam oportet, cum infirmatis alioquin viribus partus vel difficilior reddatur, vel alia etiam damna oriantur.

Ubi ſordes colicis doloribus occaſionem praebent, ea conferunt remedia, quae, cum mannam excipiant, alvum leniunt: ubi vero vel turgent ſordes, vel vermes ſimul adſunt, nequaquam iis remediis nimis fidendum eſt, quae alvum ducunt, cum ea nimis infirmare corpus ſoleant. Minuenda autem irritabilitas tam perluta alvo quam fomentis mollientibus.

Spaſmi hyſterici, cauſſis non manifeſtis generati, opio facile vincuntur.

Ubi vires deficiunt, transeundum eſt ad validiores cibos atque ad corticem peruvianum coctum.

Partus difficilis.

Tardatur partus vel iis rebus, quae orificium uteri conſtringunt, quaeque ſpurios dolores gignere valent; vel vero viribus caret mulier ad partum ne-

ceſſariis, vel uteri adſunt vitia, vel naturalis foetus poſitus non adeſt.

Sanguine autem miſſo, qui vere abundat, partum ſaepius admodum adlevari ac promoveri poſſe, praeſertim ubi e pedum venis mittitur, experientia omnino conſtat. Verum tamen ſuppreſſarum ſanguine abundante virium ratio eſt habenda: namque ubi deficiunt, non poteſt ſectio venae non damna plurima producere.

Sordes bilioſas difficilem poſſe partum reddere, inde efficitur, quod vomitus fortuitus et alvi lotiones, partu inſtante, emolumenta plurima producere ſoleant. Ubicunque has ſordes ſuſpicamur, optime alvus lenitur, aut perluitur, ut ſpaſmi et avertantur et mitigentur, maxime cum partus inſtat, neque ſatis remedium intus ſumtum effecit.

Manifeſto amarus ſapor et lingua immunda vomitum eſſe ciendum iubent, quippe cum ipſa natura id nos docere videatur.

Adverſus imbecillitatem optime confert laudanum liquidum Sydenhami cum aqua aromatica. Id enim ſpaſmos tollit, vires redintegrat, ſpecificoque modo in uterum agit.

Ea autem eligere, quae propellere foetum dicuntur, plerumque nefas eſt. Periclitantur enim mulieres ſanguinis profuſionibus, quae vires pro-

ſternunt. Sufficere etiam ſolet laudanum, dummodo rite exhibetur.

Exiſtunt caſus, ubi irritabilitate deſtituuntur partes, neque ſatis contractilis eſt uterus. Tum egregie opitulari ſolet frigida aqua, qua partes foventur.

Uteri ruptura, doloribus poſt motum foetus vehementiſſimum, acerbiſſimis et continentibus, abdominis inſigni expanſione atque retracto uteri orificio indicata, in mortem praecipitare ſolet. Ut foetus ſervetur, nihil ſupereſt praeter ſectionem caeſaream.

Dolores poſt partum.

Iis raro afficiuntur, quae prima pariunt vice, bene ceteroquin valentes. Nonnunquam etiam utiles ſunt ad lochiorum fluxum promovendum.

Quodſi vero nimis vehementes lochia ſupprimunt, arte eſt ſubveniendum.

Saepius dolores ii excipiunt ſolutionem placentae importunam ac praepoſteram. Satius eſt plerumque, placentae excretionem naturae committere.

Protinus ac enixa eſt profſpiciatur, ut abdomen puerperae apte ligetur. Neque id fortiter urgendum, ſed vinctura potius quaternis aut ſenis quibusvis horis arctius conſtringenda.

Ubi adeo vehementes ſunt ii dolores, ut noxae

inde metuantur, experiri oportet, adſitne irritans aliqua cauſſa.

Quodſi lochia non bene reſpondent, ob ſordes probabiliter praeſentes, conferunt tinctura rhei aquoſa cum laudano, mollientia fomenta alvique lotiones.

Ubi nimio autem curſu fluunt, optime valente muliere, mammisque lacte ſcatentibus, ſanguinem mittere neceſſe eſt ut inflammatio avertatur. Super haec nitrum in avenae ptiſana propinandum.

Ubicunque nimia irritabilitas accuſatur, ſuppetit vel laudanum vel opium ipſum. Id vero, cum lochia non nimis profunduntur; hoc, ſi ſatis aut nimio impetu fluunt.

Vitiato ob violentam placentae ſolutionem utero, circumſpiciendum eſt, ut antiphlogiſticis inflammatio arceatur.

Lochiorum fluor.

Intercipiuntur nonnunquam lochia per febrem lacteam. Quae ubi non diutius horis duodecim vel viginti quatuor protrahitur, nihil timeri oportet, cum, lacte iterum ſecreto, febreque ſublata, reverti ſoleant.

Satius etiam eſt, ſi nimio non flumine iis profunduntur, quae ipſae lactare infantes cupiunt: conficere enim vires ea ſanguinis profuſio poteſt.

Dum vero ſubito deſinit, irruente in alias partes ſanguine, plurimum refert, ut revocetur, proſpicere. Explorare igitur cauſſas oportet.

Quodſi periculum inflammationis inteſtinorum aut uteri ſubeſt, protinus mittendus eſt ſanguis e pedum venis, hirudines quoque, ſi tulerit id aegra, labiis vulvae admovendae.

Ad haec pedes aqua calida laventur, totumque corpus vaporibus foveatur, propinetur etiam nitrum in avenae ptiſana aut in aqua cocta. Foveatur deinde abdomen, vel molliente unguento fricetur.

Spaſmis praeſentibus, inquirendum eſt, ſintne hyſtericae indolis, an alias manifeſtas cauſſas invenire liceat. Illic confert opium, hic autem, dum ſordibus ſcatet ventriculus, rheum coctum laudanoque nuptum, expeditiſſime iuvat.

Commodus eſſe fixus aër ſolet ad laxitatem magis quam inflammationem aut ſanguinis impetum verſus thoracem: ita is optime exhibetur, ut alcali ſolutum excipiat maſſam pilularum balſamicarum, ut inferiora poſſit magis afficere aër medicatus.

Nimium tamen interdum lochiorum curſum obſervamus, quo et lactis praepeditur ſecretio, et imbecillitas hyſterica aut hydrops ac phthiſis uterina gignuntur.

Nimia haec profuſio efficitur:

1. nimia partus feſtinatione, priusquam contractilitatem ſuam recuperaſſet uterus;

2. uteri duritie, quae contractionem impedire poteſt;

3. praepoſtera placentae ſolutione, qua ſanguis verſus uterum nimis adlicitur;

4. ſcorbutica ſanguinis indole;

5. ſordibus bilioſis, quae, dum foetum geſtaret, ſanguini admiſtae ſunt;

6. ſpaſmis hyſtericis, quibus etiam humores verſus uterum propelluntur;

7. ſanguinis abundantia;

8. nimia imbecillitate partiumque laxitate.

Ubi contractilitate deſtituitur uterus, confert frigida aqua vel ſuper abdomen data vel etiam iniecta. Simul etiam inveſtiganda eſt ſanguinis abundantia, inquirendumque, lactare cupiat mulier, ubi commodum eſt ſanguinem e brachii venis mittere.

Quae ubi non ſufficiunt, nimisque lochia profunduntur, adſtringentia exhibenda ſunt: commodiſſima vero et oleum vitrioli dilutum, vinique ſpiritus pauxillum excipiens, vel alumen: praeſidiis haec etiam accenſentur, ubi nimis tenuis eſt et vitiatus ſanguis.

Ad imbecillitatem et laxitatem poteſt cortex peruvianus coctus, poſſunt etiam balnea pedum aut frictiones ex vino ſive aquis aromaticis.

Sordibus bilioſis opponantur ſolventia: cum autem turgent, uterusque adeo iam contractus eſt, ut prolapſu non periclitetur, vomitorium, quo ſaepius ſolo ſatis mitigatur profuſio.

Ut alvus ducatur, tartari potius cremor et pulpa tamarindorum inſerviunt, quam rheum.

Ex toto vero, ni imbecillitas viriumque exhauſtio adſit, temperantia imperentur victusque tenuis.

Secretio lactis.

Tertio poſt partum die febricula fieri ſolet, quae per octodecim aut viginti quatuor horas, nonnunquam etiam per aliquot dies moratur, ſupprimens ſimul lochiorum fluxum.

Quodſi cum ea febre lac ad mammas attrahitur, recurruntque lochia, deſinente febre, lactis profluvium ſolvere febrem ſolet, ideoque ea lactea dicitur. Eoque caſu placide exitum expectare oportet.

Cum vero ad febrem lactis nulla accedit ſecretio, eaque permanet, ſuppreſſis continuo lochiis, puerperarum febris inſtare ſolet, de qua deinde praecipiam.

Nonnunquam citra febris acceſſionem lac ferri in mammas ſolet, aut ante partum iam adfuit.

Interdum neque lac ſecernitur, neque febris oritur. Quod ubi ex victus defectu non exponi poteſt, cui cibos nutrientes potusque ex ſambuci flo-

ribus cum lacte ſubſtituere licet, nihil moliendum eſt, niſi nutricem advocare.

Lacte ob nimium lochiorum curſum non fluente, eo modo agendum eſt, quem ſupra propoſui.

Abundant nonnunquam mammae ea lactis copia, ut tubercula facile oriantur. Naſcuntur ea etiam inde, ſi coloſtrum non tempeſtive ſuctum fuit. Expeditius ibi iuvant tum victus tenuis, tum copioſus nitri in aqua cocti potus, eaque fomenta, quae diſcutere valent.

Quae ubi non ſuppetunt, recurrendum eſt ad camforae externum uſum aut ad emplaſtrum ex ammoniaca gummi cum mercurio, praeterea etiam ad antiphlogiſtica, quae alvum ducunt. Simili ratione etiam agendum, cum lacte quidem turgent mammae, neque tamen eo nutrire infantem mulier cupit.

Generatim vero haudquaquam de ſua ſalute conſulunt, quae lactant infantes, cum hyſtericae ſint, ſcrofuloſae ſive ſcorbuticae, facileque excandeſcunt: multominus iis id ſuadere licet, ſi vel minima venerei veneni ſuſpicio adeſt. Eae praeterea nutrices non ſatis idoneae ſunt, quibus menſtrua ſimul feruntur.

Lac inſuper neque altile nimis neque tenue eſſe debet. Ne coeruleo colore ſed candido praeditum ſit, ſingulaeque guttae pellucidae ſint.

Ni

Ni nutrix vel mater infantis ſecunda gaudeant valetudine temperieque bona, utique conſultius agunt, dum nutriunt infantes ptiſana avenae tepida, quae lactis pauxillum excipit, praeſertim dum circumſpecte ea exhibeatur, ut nimis parum potius infantes accipiant.

Retropulſo lacte curationis conſilium eo transferatur: ut lactis minor copia ſecernatur atque, ſi quid eius reſorptum eſt, ne ſtagnet ſed excernatur. Utrumque fit victu tenui, ſalibus quae leniter ſolvunt ac camforae et externo et interno uſu.

Metaſtaſes lactis.

Obſervantur in puerperis tumores ex humorum colluvie, qui, cum lactis ſpeciem prae ſe ferant, a multis medicis pro vero lacte habentur. Alii vero id negant ob ſequentes rationes:

1. eſſe eos humores nil niſi lympham puri ſimilem, quae ſuper inflammationes exſudet, quaeque, et in viris, poſt varias aliarum partium inflammationes inveniatur.

Ad id reſpondendum eſt:

a. non ubique praecedere eas colluvies inflammationem, ſed ſubito ſaepius aliqua parte, citra dolores praegreſſos, ſimile quid abſcedere;
b. neque rationem quandam intereſſe inter inflammationem et abſceſſum. Saepius vel pau-

ca vel nulla eiusdem veſtigia adſunt: interdum ſequi videtur humorum acrimoniam, nonnunquam etiam validiſſima adeſt inflammatio, citra eiusmodi abſceſſum.

c. Iidem abſceſſus videntur plerumque lactis defectum in mammis comitari, quod ubi aliter contingit, nil inde effici, praeter lactei humoris nimiam abundantiam, poſſe videtur;

d. nonnunquam in virorum mammis lac ſecretum eſt: propterque eandem rationem accidere omnino poteſt, ut extra puerperium lactei humores in partem aliquam abſcedant. Uterque tamen caſus exceptionibus adnumerandus eſt.

Generatim vero inflammationes eiusmodi collectiones non ſequuntur. Quid quod in pueris inteſtina inflammentur, citra lacteorum humorum veſtigium.

2. Lac eſſe blandum humorem, neque id reſorptum ullo modo poſſe nocere.

Ad id regerendum duco:

a. mediocrem ſani lactis reſorptionem inſontem etiam eſſe, unde aliquid contra noſtram opinionem probari poſſe non videtur;

b. ſubitaneam tamen et nimiam reſorptionem utique poſſe eiusmodi abſceſſus generare;

c. poſſe etiam acerrimum reddi lac irritantibus quibusvis cauſſis. Eaedem enim cauſſae, quae

abſceſſus gignunt, ſolent ſimul lactis acrimoniam producere, quod quidem animi affectuum exemplo probatur.

3. Abſcedere aliquid ſaepius, priusquam lac in mammis ſecretum fuerit, tantamque eius copiam abſcedere, quanta nequeat ex ſolo mammarum fonte derivari.

Inde vero nihil effici poſſe arbitror, niſi lac adfuiſſe iam antequam mammas adiret, quod quidem ad veritatem proxime accedere videtur.

Propterea enim in lactea febre, criticus ſolet eſſe aditus lactis ad mammas.

Cum itaque humores congeſti lacti corrupto ſimillimi ſint, cum eae colluvies cohaereant cum humoribus mammas occupantibus, cum metaſtaſium more contingant, ſaepiusque naſcantur absque ulla praegreſſa inflammatione, cum citra puerperium inflammationes non ſoleant iis excipi colluviebus; ratio nobis conſtare videtur, e lacte abſcedente eos tumores originem ducere.

Neque multum intereſſe videtur, adfuerit lac antequam ſecerneretur in ſanguine, lactis vera forma. Conſiderandi enim lymphatici tantummodo humores veniunt, quos ut in mammis ſecernantur natura iuſſit.

Quod ſupereſt, Hippocrates iamiam eos affectus commemoravit. Recentiorum vero pri-

mus LEVRETUS eas curatius illuſtravit, quem SWIETENIUS ſequutus eſt. Optime praeterea meritus eſt PUZOSIUS, mihique tribuenda eſt febris puerperarum vera finitio.

Quinto potiſſimum menſe ita humores mammas occupantes mutantur, ut tum demum lactis ſecretio incipiat, ubi itaque abſcedere eius aliquid poteſt.

Fertur etiam, eos poſſe abſceſſus multo interpoſito tempore, quin annis integris interiectis, ſupernaſci. Multo autem propius ad veritatem accedit, eo iam tempore, cum lac in organis ſecretioni eius dicatis adeſſet, eiusmodi metaſtaſes factas iam eſſe, quae nunc tandem apparent.

Equidem inveni aliquando cerebrum exulceratum, quod abſceſſus priſtini lactei ſequela videbatur, cum defuncta lac amiſerit anno antequam moriretur. Animadverti etiam, poſt duos demum annos eiusmodi latices per uterum profluxiſſe.

Tempus autem, quo lactis aliquid abſcedere ſolet, incidit in primos, qui partum ſequuntur, menſes.

Raro id antequam enixa eſt mulier foetum, contingit: progreſſu autem, ac dum lacte depellunt puerulos, is humor vel ea non copia abundat, vel partes eae, in quas id abſcedere conſueſcit, non amplius ii humorum impetui favent.

Efficitur autem colluvies ea:

1. ſudoribus, unde miliare exanthema effloreſcit;

2. per alvum aut urinam;

3. per os, cuius rei et NUCKIUS et PUZOSIUS exempla ſervarunt;

4. per umbilicum: abſceſſiſſe ibi lactis aliquid in peritonaeum iamiam videtur;

5. per uterum, unde lochia manant albida;

6. in cerebrum, unde furere aut deſipere ſaltem incipit aegra;

7. in thoracem, unde angina pectoris;

8. in abdomen, unde puerperarum febris;

9. in pelvim. Quodſi inter pſoam muſculum et iliacum abſcedit, trans foramen iſchiadicum in femora abire ſolet.

10. In muſculos abdominales ab inguine usque ad os ilium;

11. in artus.

Earum metaſtaſium cauſſae ſunt:

1. quidquid impedit ſecretionem lactis in mammis contenti, defectus nimirum papillarum, cicatrices, praepingues mammae, aut ſi ex toto vacaverit lactatione;

2. quidquid offendit lactis in ſanguine contenti ſecretionem, idque corrumpit, quo pertinent

quivis ſtimuli, exemplo ſordium bilioſarum, vermium, frigoris admiſſi, febrium, affectuum animi, ipſarumque inflammationum, quae hic vero tamquam remotae cauſſae conſiderantur.

Eum autem, qui curaturus eſt, protinus oportet omnes eiusmodi cauſſas tollere, idque deinde expellere, quod abſceſſit.

Discutiuntur interdum eae ſtaſes potibus diluentibus ſudoremque moventibus ſublatisque cauſſis irritantibus.

Non raro tamen in exulcerationis ſpeciem abeunt, ſaepiuscule quoque iis ſuperſunt frigidi tumores, quibus affectae partis motus afficitur. Ea quidem differentia pro lactis abſcedentis indole varia eſt.

Frigus admiſſum plerumque nil niſi frigidum tumorem doloribus expertem generat, dummodo humores blandi ſanique ſunt. Is autem blandus humor corrumpi mediante ceterorum humorum acrimonia et animi affectibus adeo poteſt, ut momento citius putorem adipiſcatur acerrimusque evadat: quo itaque caſu facile concipi poteſt, exulcerari poſſe eas partes, in quas corruptus eiusmodi latex abſceſſit.

Ubicunque lactis adeſt abundantia aegraque in

ſpaſmos vergit, potibus diluentibus victuque tenui utrique eſt ſubveniendum.

Eodem etiam modo curatio inſtituatur, ſi quid iamiam abſceſſerit.

Eiusmodi tumores, praeſertim qui nimis diffunduntur per cellularem telam, ſaepius neque discuti neque ſuppurari poſſunt. Tunc ſatius eſt, vincturis cogere humores effuſos in unum locum, quem ita inflammare valent, ut ſuppuratio conſequatur. Quod ubi fieri nequit, tempori committatur valetudinis eventus.

Fluctuante tumore inciſio tentetur, ut humor, qui abſceſſit, emittatur.

Nonnunquam eiusmodi tumores in vaginam aperiuntur: reſorptio autem puris tunc praepediatur et temperantibus et iis remediis, quae alvum leniunt: ultimo loco exulceratae partes corticis ope ad ſanitatem perducantur.

Quodſi durus magis et frigidus fuerit tumor, quo vel manus vel genu afficiuntur, praeſidiis utendum eſt, quae potentius reſolvunt.

Expedire ſolent emplaſtrum reſolvens foetidum, idque, quod gummin ammoniacam et mercurium excipit, ipſaeque frictiones mercurio inſtitutae: interdum vero pertinacia eorum omnia medicorum conata eludere ſolet.

Febris puerperarum.

Variae licet febres puerperas corripere ſoleant, peculiaris tamen quaedam obſervatur, quae, ut errores vitentur, *puerperarum febris* nomine inſignitur.

Ea autem complectitur potiſſimum dolores abdominis mire inflati continentes vagosque, eaque ſymptomata, quae lymphaticum laticem, e quo lac originem ducturum eſt, colluviem ac ſtaſin paſſum fuiſſe indicant.

Quodſi enim non naturale quoddam febrium genus, ſed quaevis in puerperio obvia febris eo nomine exprimenda eſt, protinus oportet omnem ſilere contentionem de eiusdem morbi indole, cum nemo ſcire poſſit, quamnam ſpeciem intelligamus.

Ad haec etiam ea lis componi non poteſt, citra finitionem a me propoſitam, cum ſigno adeo certo ac peculiari ſemper vacare debeat.

Patet autem luce clarius meridiana, febrem puerperarum eam potiſſimam eſſe debere, quae affectus afferat, in puerperio ſolo locum obtinentes. Id itaque nomen neutiquam merentur, quae et extra id tempus oriri poſſunt, ſive cauſſas ſpectaveris ſive effectus.

Siquidem uterus, poſtquam enixa eſt mulier, vi externa laeſus aut alia labe vitiatus, inflammari

poteſt febremque exitioſam generare: ex acribus etiam et calidis cibis inteſtinorum orta phlegmone occidere poteſt: ea vero omnia ex toto haudquaquam verſantur in puerperii indole, ideoque febrem eiusmodi explicare nequeunt.

Eo duntaxat caſu, quo illae cauſſae colluviem ſimul humorum lacti ſimilium in abdomine effecerunt, valetudo mereri id nomen videtur.

Corripit autem haec febris puerperas vel ſecundo, tertio et quarto, vel octavo nonoque die. Dolor modo excipit primum febris acceſſum, modo aliquot dies morati ſunt motus febriles, priusquam dolor abdomen comprehendat.

Cumque puerperae, ut ſupra monui, febrem habere vel lacteam continentem vel alius generis poſſint, ratio nobis haudquaquam prius conſtat, puerperarum peculiarem febrem adſumere, quam affectus apparuerint, lymphaticorum humorum verſus abdomen impetum teſtantes.

Vario autem modo eae febres decurrere ſolent. Interdum retrogreditur lac in mammis iam contentum, nonnunquam in ipſa lactea febre abdomen iam dolet, ut propria lacteae febris ſolutio, eiusdem nimirum decubitus in mammis, minime fiat.

Nonnunquam lochia ſimul non bene reſpondent: non raro vero per aliquot tempus fluere per-

gunt: quandoque etiam, licet raro, continuo feruntur.

Dolores imam raro pelvim premunt, plerumque abdominis partem, qua inteſtina collocantur: ubique vero abdomen inflatum dolores, cum contrectatur, excitare ſolet.

Alvus inter initia compreſſa, progreſſu cita ſit cum levamento.

Pulſus utique celerrimus, plerumque ſpaſmis ſit et inordinatus, raro plenus ac durus.

Ordinate vero rarius ſolvi morbus ſolet, cum humores in abdomine ſtagnantes paullatim tantummodo vel per lochia, vel per alvum, vel etiam per cutim eiici poſſint.

Reliqua autem, quae in ea valetudine apparent, varia ſunt, ſecundum febris variam indolem. Per ſequentes vero differentias dispertiri aptiſſime poteſt:

1. ob ſingularem opportunitatem febris lactea eam nanciſci vehementiam aut indolem poteſt, ut peculiari modo plane non ſolvatur, ſive, ut ſaltem importuno loco lac decumbat. Simul atque dolere incipit abdomen, ea febris, depoſita lacteae natura, febris ſit puerperarum.

2. Lactea febris vel omnino non adfuit, vel iamiam deſiit: ad novam autem, ex frigore admiſſo or-

tam febrem accedentes dolores inflati abdominis, conſtituunt febrem puerperarum;

3. affectus animi vehementes partum vel praecedentes vel ſequentes febrem non raro arceſſunt, quam protinus excipiunt abdominis dolores;

4. gigni ea etiam poteſt et ſpaſmis et lochiis ſubito interceptis et uteri inflammatione;

5. biliofae tandem ſordes in ventriculo acervatae poſt partum, aut populariter graſſantibus morbis, facile febrem generant, quae in puerperarum febrem abire ſolet.

Generatim vero eae cauſſae miaſmate non raro epidemico producuntur: neque frequens eſſe ſporadica puerperarum febris ſolet, unde, quam erroneae fuerint multorum medicorum de eo morbo ſententiae, elucet.

Efficitur inde, motuum febrilium inſignem adeſſe differentiam, quae vel a cauſſis praegreſſis, vel a ceterarum rerum varietate pendet.

Dolores autem abdominis inflati, qui conſtantiſſime huic morbo immorantur, peculiaribus omnino ac certis quibusdam cauſſis generari opus eſt, id quod auctores conſenſu nondum comprehendunt.

Meae vero experientiae, ſaepius inſtitutae, ſequentia docuerunt:

1. inveniri poſt mortem in abdominis cavo laticem purulentum e flavo viridem;

2. reperiri eundem fere ubique in tubis Fallopianis, e quibus exprimi poſſit.

Obſervavi aliquando eundem humorem lacti ſimillimum ex utero diſciſſo promanantem.

3. Rariſſimam eſſe uteri inflammationem interni, ſubinde tantummodo externis inteſtinorum tunicis arroſis: ubique vero ovaria ac tubas Fallopii, nonnunquam etiam externam uteri faciem inflammatam ac exeſam videre memini. Afficitur quoque omentum: at vero vidi id quoque optime valens, congeſtis tamen humoribus purulentis in cavum abdominis;

4. ſaepius, imo plerumque, mammas eandem occupare purulenti humoris ſpeciem, quae in abdominis cavo continetur;

5. humorem vel aſpectu vel mixtione ſimillimum lacti corrupto videri.

Quae cum ita ſe habeant, iure meritoque efficere inde mihi ſumo, dolores abdominis oriri, ſi lactis aliquid aut humorum, qui in id abituri ſunt, abſceſſerit.

Licet varii medici lacteum eum humorem arbitrentur pus eſſe verum, quod ex inflammato oriatur peritonaeo, inficias tamen eundum non eſt, ex inflammatione eum decubitum unice oriri non oportere.

Quodſi praeterea gregatim potius ſentiri eam febrem, quam ſingulas corripere mulieres conſtat, irritationis inde in totum magis corpus actio patet, quam peritonaei ſingularis imbecillitas, quam uteri preſſio in inteſtina excitaverit.

Effunditur is latex ex peritonaei vaſis exhalantibus: omnesque ideo partes, ea tunica obductae, dolore ex ſtagnante eo latice, corripi poſſunt. Inde itaque inflammationis inteſtinorum quaedam ſpecies exponitur, quorum externa tantummodo tunica, ex peritonaeo protenſa, pati videtur.

Maxime vero laborare videntur partes, quarum conſenſus cum mammis patet: e. g. uterus, ovaria et tubae Fallopii. Neque ratione carere videtur, per easdem tubas humores nonnunquam in abdomen effundi.

Alienum praeterea a ratione haudquaquam videtur, laticem eum ferri etiam in inteſtina et omentum, unde in abdominis cavum emanare poſſit: liquet id tum ex doloribus inteſtinorum ac alvo fuſa, tum ex invento eiusmodi humore ſuper omentum ac externam inteſtinorum faciem effuſo. Conſtat etiam talem decubitum generare phlegmones ſpeciem.

Quemadmodum autem frigidi eſſe artuum tumores ex abſcedente lacte ſolent; ita ſtaſes etiam in partibus internis eandem indolem habent, quod et

longa ſaepius mora valetudinis et inflammationibus ſecto cadavere inventis, quae nullam habent ad purulentam materiem rationem, confirmatur.

Neque tamen eo minus ſumma rei verſatur in cauſſis praegreſſis et humorum indole. Lac, ut ſupra iam monui, animi affectibus mutatur ſaepius in acrem humorem putidumque, quo facto facilius extimeſcitur partium affectarum necroſis, ſicut praegreſſa inteſtinorum inflammatio fortuito poteſt lac verſus abdomen adlicere.

Praeſagia itaque nitantur non abſcedente ſolum lacte, ſed indole etiam eius quod abſceſſit: ea autem gignitur et cauſſis praegreſſis et humorum natura, et popularium morborum genio.

Eum, qui curat, rationem habere ſequentium rerum oportet:

1. avertere ſtudeat morbum, ſublatis quibusvis irritamentis detractaque lacti abundanti aliqua copia;

2. protinus inter primordia ſatagat eliminare quidquid irritat;

3. eiiciat demum id, quod iam abſceſſit, per ea loca, in quae natura ipſa vergere videtur.

Ut primam autem legem uberius illuſtrem, praecipiendum duco, obſtacula cuiusvis generis ſecernendo in mammis lacti contraria e medio tollere oportere. Viribus itaque puerperae, quantum fieri

poteſt, parcere opus eſt, ſimulque removere, quidquid ſtimulum ſingularem praebere poſſet.

Cibos autem dare, qui quidem nutriant, neque tamen calefaciant, regimenque imperare, frigidum magis quam calidum.

Ubicunque ſordibus ſcatet ventriculus, educendae ſunt lenientibus ac aperientibus: ſpaſmisque citra manifeſtam cauſſam vigentibus antiſpaſtica opponantur alvique lotiones.

Febris ipſa lactea, dum nimia ſaevire vehementia videtur, temperantibus iisque remediis, quae ſudorem leniter movent, mitigetur.

Quodſi lac iamiam ſecretum abundat, frequenti ſuctione curſus eiusdem promoveatur, minuatur autem uberior iuſto ſecretio, ſanguinis miſſionibus, alvi ductionibus, potibus aquoſis, qui nitrum excipiunt, victuque praetenui.

Simul atque irritamenta nervorumque distentiones apparent, protinus ſuccurratur mollientium ope et antiſpaſticorum, ut avertatur decubitus lactis humorumque lymphaticorum.

Dum terror aut excandeſcentia morbum protuliſſe videtur, conferunt, quae leniter alvum ſolvunt, maxime, cum opium admiſcetur.

Ubi abdominis dolores indicio ſunt, frigore admiſſo lactis aliquid abſceſſiſſe lymphaticosque tumores ſtagnare, distentionibus protinus occurrere

oportet, fomentis mollientibus et antiſpaſticis unguentisque ſuper abdomen datis ac alvi lotionibus: deinde vero proſpiciendum eſt abſcedentis humoris diſcuſſioni ac excretioni, quae et camfora et potibus copioſis tepidis, qui nitri pauxillum excipiunt, inſtituitur.

Si quae adſunt bilioſae ſordes, quam primum fieri poteſt, idoneis remediis moveantur emeticoque eiiciantur.

Aliis autem morbis, qui conſenſu lac propulſum abſcedere iuſſerunt, congrua opponantur remedia.

Diligentiſſime vero circumſpicienda eſt popularium morborum natura, ut eorum effectus promtiſſime averti poſſint. Quae ubi in inflammationes vergit, initio ſtatim ſectio venae haudquaquam negligatur. Quandoquidem lac abſcedens inflammationis ſpeciem quandam efficere videatur, ex morbi tamen diuturnitate aliisque argumentis ſupra comprehenſis liquet, eiusmodi inflammationem minus aliis percipi, atque ad finem demum vergenti morbo accedere.

Per ſe itaque exigunt dolores abdominis haudquaquam ſanguinis miſſionem, cum nervorum potius diſtentiones quam inflammationem complectantur.

Multo magis ſanguini parcendum eſt, ubi aegra omnino ſanguine non abundat, ubi inſignem eius copiam

copiam in partu profudit, lochia autem egregie feruntur. Pulſibus vero ſanguinis abundantiam indicantibus, lactis copia mire turgente, doloribus locum potius aliquem prementibus, quam hâc illâcve diſcurrentibus, lochiis tandem currere deſinentibus aut ex toto non ſatis profuſis, eo magis neceſſaria eſt ſanguinis miſſio, quo certius impediri poteſt, ſi quid ſanguini detrahitur, lactis ſecretio quoque facilius eo promovetur lactis effuſi aut ſtagnantis reſorptio.

Ut lochiorum revocandorum ratio ſimul habeatur, e pedum venis ſanguinem mittere, aut pudendis externis hirudines admovere non alienum eſt.

Quidquid de venae ſectione valet, de veſicatoriis praecipere etiam licet: ſiquidem negligenda non ſunt, ubi veram ſuspicamur inflammationem, nocere tamen ſtimulo poſſunt novosque efficere decubitus, ubi tenſae magis quam inflammatae partes ſunt.

Leviſſima acrimoniae irritantis in ventriculo ſuspicio, ſtatim vomitum ciendum eſſe iubet. Emetica etiam adeo frequenter poſtulantur, ut ſpecifici remedii laudes ipecacuanhae radix tulerit, medicis quibusdam intempeſtive iudicantibus.

Morbo temporis aliquantum porrecto, timor ſubeſt humorem in abdomen effuſum iri: caput autem totius curationis complectitur eiusdem excre-

tionem per alvum aut uterum. Igitur lenia impetrentur abſtergentia, arceantur novi quilibet ſpaſmi, mitigetur febris ex humore reſorpto pergens ſalis ammoniaci auxilio, circumſpectiſſimeque exhibeantur parvae vel mannae vel balſamicarum pilularum portiones.

Ubi, humorem cutim appellere divinamus, id quod progreſſu morbi rariſſime contingit, paullatim veniendum eſt ad ea remedia, quae urinam provocant.

Protinus autem ut effuſus eſt latex in abdominis cavum, morbi atrocia fruſtrari ſolet quaevis artis auxilia.

Inflammatio uteri.

Interceptis ſubito lochiis, aut nimio curſu fluentibus, aut utero per partum nimis irritato vel violato, is naſcitur morbus, quem *metritiden* auctores nuncuparunt, cum puerperarum febre haudquaquam confundendus.

Dignoſcitur autem doloribus pelvim prementibus et quaſi aeſtuantibus.

Fundum uteri inflammatum eſſe docet plerumque tumor ſuper pubem dolens: dolet autem orificium contrectatum, inflammatione in altiora loca vergente.

Facile etiam ſupernaſcuntur urinae difficultates et teneſmi. Abdomen raro inflari ſolet.

Interdum dolor penitus abeſt, peculiarique inflammationis indicio eſt pedum quaedam reſolutio.

Periclitatur etiam eo morbo, quae primis poſt partum horis viginti quatuor vehementi corripitur algore.

Quodſi alias lacte ſcatent mammae, per morbum utique non repellitur.

Plerumque autem ea valetudo ſupponere ſolet uterum violatum.

Diſcrimen igitur conſtans ſtatuitur eiusdem valetudinis per tres eas, quas ultimo loco notavi, res, deinde etiam per moram breviorem, per pulſus inflammationem clarius ſignantes, ac lochiorum denique, putidam fuſcamque indolem.

In curatione protinus circumſpicere opus eſt, ut lochiis is modus ſit, qui nec intercipi eadem nec nimio currere flumine ſinit.

Tollendum autem eſt, quidquid humores nimio impetu in uterum adlicere poteſt. Hinc ſanguini abundanti aliquid detrahere, ventriculum purgare et inteſtina, turgenti ſanguini blandiri, uterumque non ſatis contractilem, aqua frigida ſuper eum data vel iniecta cogere oportet, ut ſeſe contrahat.

Ubicunque placentae aliquid ſupereſt, quod ſtimulo ſuo uterum inflammaverit, vaporibus tepidis et hirudinibus lochia proliciantur.

Quodſi frigus eſt admiſſum atque rheumaticae acrimoniae ſtaſin ſuspicamur, veſicatorium pectini admovendum, temperantibus praeterea, reſolventibusque, quae camforam excipiunt, ſubveniendum eſt.

Ceteroquin inflammatur uterus, ſi ſanguinis nimium ex utero profunditur: ea autem extra puerperium occurrens inflammatio validam raro febrem attrahit, multo etiam diuturnior eſt phthiſinque uterinam gignere poteſt.

Optime ibi expediunt, quae temperant ſpaſmosque ſedant, cum tenui victu et quiete.

Sordes bilioſas primis viis nonnunquam contentas ipecacuanhae radix exiguis portiunculis exhibita, ut vomitum poſſit interdum generare, commode evacuat.

Inflammatio pulmonum.

Peripneumoniae nonnunquam ſpecies, aut pectoris potius angina puerperas corripit, vel ob nimium in partu nixum vel ob frigus corpori incaleſcenti admotum.

Raro etiam accidit, ut lymphatici lactique ſimiles tumores in pulmones decumbant.

Primordia notantur tuſſi male habente ac ſuffocationem minitante, dein febre, impetu ſanguinis verſus caput ponderisque ſenſu pectori incumbentis atque angoribus adſiduis.

Occidere aut conficere ſolet ea valetudo, ni protinus inter initia ii proſpiciatur.

Circumſpectiſſime itaque ratio habeatur pectoris moleſtiarum, quas puerperae queruntur, praeſertim gibboſae. Antiphlogiſticam autem rationem ilico adhibere oportet, dummodo caveatur ab irritatione, lacteque in partes internas abſcedente.

Id autem eo maiores procreat difficultates, quo magis neceſſarium fit, puerulum a lacte deſueſcere, idque educere, quod iam ſecretum eſt. Atque gratari quidem licet, quod utraque ratio cum antiphlogiſtico regimine utique congruat, quae igitur toto ſuo ambitu adhibenda eſt.

Ad haec earum quoque cauſſarum, quae ſanguinem in pectus decumbere iuſſerunt, ratio habeatur, eaeque eo promtius tollantur, quo magis aegrae, nimia pollentes agilitate, nimis etiam confidere ſoleant viribus, iisque, inſcio medico, abuti. Hinc conſilium transferatur ad omnia, quae in puerperio acciderint.

Febris eryſipelacea.

Eiusmodi eryſipelata mammas nonnunquam aut manus occupant.

Protinus autem ac ea inflammatio, acrimonia plerumque bilioſa, raroque ſolo congeſto lacte, producta, apparuerit, promtiſſime auxilia a diluen-

tibus petantur et evacuantibus, cum maxime neceſſarium ſit tollere ea, quae irritant, cumque lactatio inflammatis mammis offendatur. Imponendum ipſi mammae linamentum eſt camfora conſperſum, praeterea lac exſugendum, neque tamen ab ipſo infante.

Quodſi tumor inflammatus ſtatim poſt evacuantia non discutitur, fovenda eſt mamma, neque negligenda inciſio, cum alias diuturna ſequatur exulceratio.

Eclampſia.

Quo magis tenſae ſenſuque acutiſſimo praeditae ſunt puerperarum partes, eo facilius epileptici motus oriuntur.

Animi autem plerumque affectibus ii citantur. Vitiis etiam lac laborat, quae morbo ipſo produci videntur.

Videre me aliquando memini, ſtatim poſt terrorem lac e mammis effundi, idque, quod in mamma ſupereſſet, foetorem adipiſci infeſtum, coloremque e viridi flavum. Continuavit eo lactis indoles, poſtquam nervorum diſtentiones iam ante aliquot dies deſiiſſent.

Qui quidem morbus manifeſto probat, quantopere neceſſaria ſit peculiaris puerperarum febris ea definitio, ut illa duntaxat febris ita appelletur, quae

continentes inteſtinorum dolores abdominisque e congeſtis lymphaticis humoribus inflationem affert.

Saepius obſervata a me eclampſiam comitans vehementiſſima febris interdum me coëgit, intra nychthemerum quinquies ſanguinem mittere. Longe vero alio modo ea valetudo ſeſe habere ſolet, ac puerperarum febris, quam ſupra comprehendi.

Ut motus tollantur epileptici, praecipue curandum eſt, ut diluentibus et mollientibus minuatur irritabilitas ſudoresque provocentur. Pro varia rerum indole commodiſſimum ſaepius eſt venam ſecare, temperantibus praeterea opium adiungere, ac, ſi quid lactis mammas occupantis depravatum fuerit, id eliminare, mollitis exſuctisque mammis, ne aliorſum feratur. Ex toto vero removeatur, quidquid irritat.

Quod ſupereſt, vermes maxime vulgares cauſſae convulſionum eſſe ſolent.

Melancholia et mania.

Eo magis favent puerperae his mentis erroribus, quo magis partu debilitati ſunt ipſarum nervi, quoque promtius quamvis percipiunt impreſſionem. Solet ceteroquin is morbus brevi transire.

Oritur praeter vulgares cauſſas ex abſcedente lacte, ubi itaque conferunt et antiphlogiſtica et antiſpaſtica et ea remedia, quae camforam excipiunt.

Interdum abſcedere aliquid in cerebrum videtur: ſaepius tamen ſectis cadaveribus vitiis quibusvis carere cerebrum mihi viſum eſt.

Nonnunquam cauſſa omnino latet, ac eadem mulier poſt quodvis puerperium maxime variis ſub conditionibus eundem pati poteſt morbum.

Ea praeſidia, quae extra graviditatem adhibita corpus firmare valent, avertere forte morbum poſſent. In ipſo vero morbo earum potius rerum ratio eſt habenda, quae totius corporis conſtitutionem complectuntur.

Cum id iam tempus adiit, quo lochia fluere ſolerent, tuto adhibentur frigida balnea, quae non raro etiam ad revocanda lochia ſuppreſſa expediunt.

DELECTUS
MEDICAMENTORUM.

DELECTUS MEDICAMENTORUM.

Nulla artis pars pluribus ſcatere videtur erroribus, nulla etiam ardui magis negotii eſſe, quam quae in remediis eligendis applicandisque verſatur.

Cum doctrina de corporis humani functionibus haudquaquam ſatis exculta ſit, ea etiam, quae remediorum effectus tractat, lacunas bene multas relinquit. Individuorum enim caſuum differentia; ambigua eorum indoles, atque perpetua conſtitutionis efficacia in medicamentorum effectus difficile reddere iudicium debent de effectibus et certiſſimis et manifeſtiſſimis. Remediorum quidem numerus facillime augeri poteſt, cum dilucide perſpici nequeat, quatenus aliquod remedium effectum eum produxerit, qui uſum eiusdem ſequitur.

Multo vero plures parit difficultates, ſi quis experientiae ope diſcrimen ſtatuere voluerit inter ea, quae conſtantia ſunt et peculiaria et maioris momenti ac inter ea, quae fortuna accidunt, peregrina nulliusque momenti ſunt. Hinc rari eſſe medici ſolent ii, qui ea duntaxat remedia adhibent, quorum effectus dilucide clareque, experientia docti, perſpiciunt.

Inde etiam praeſidiorum, quae vere utilia ſunt, exiguus eſt numerus. Hinc eadem doctrina deſerti cuiusdam ſpeciem prae ſe ferre videtur, cum remediorum delectus venuſto ſermone comprehendi nequeat.

Quibus cum aſſentiuntur lectores, mihi ſaltem ſoli haudquaquam tribuent vitia huius delectus.

Immerito praeterea accuſarer, ſi exiſtiment lectores, me quaevis remedia, ſequenti ſyllabo non commendata, eo etiam inutilia declarare. Minime gentium! Ea tantummodo recenſui, quae vel ipſe expertus ſum, ſive quae facultates veras habere aliorum fide arbitror.

Spero etiam ac confido, errores, a me ipſo commiſſos, aliorum experientia correctum iri. Simplicia, quae recenſui, ea ſunt, quibus in noſocomio caritatis uti ſoleo. Ad evitandas, quas ratiocinia gignunt, difficultates, eum ordinem ſequutus ſum, quem alphabetum indigitat.

Acetum vini.

Iis accenſendum eſt, quae putredinem arcent; confert autem, poſcae forma, febribus inflammatoriis, millioſis et putridis, confert etiam iis, qui incaute venena narcotica, cicutam, belladonnam aliaque ingeſſerunt.

Oleoſae autem et ſpirituoſae partes, quas continet, interdum calefacere, nonnunquam ſudorem etiam et urinam prolicere ſolent. Deſtillatur itaque, ut amplius non calefaciat. Supereſt tamen ubique acidum potentiſſimum, debilius autem, ſpirituoſis et volatilibus partibus nuptum in excipulum abit.

Quodſi et vaſis ſtanneis deſtillatur acetum, facile aliquid metalli ſolutum, inquinare acetum poteſt. Satius itaque eſt, ubi calefacientem aceti indolem metuimus, ad acida confugere, quae non fermentarunt, ſucci citrorum acidique tartarei exemplo.

Portiones autem dispertire oportet pro morbi ventriculique proprietate. Nonnunquam enim aegri nec acetum nec alia ferunt acida. Conſultius ibi agunt, maxime in putridis febribus, qui vini pauxillum aceto admiſcent.

Incipere licet unciis aliquot in aquae libra ſolutis, augereque paullatim eam portionem. Quodſi antidoti loco contra narcotica adhibere acetum cupimus, protinus magis concentratum, maximaque copia exhibere oportet.

Acetum bezoardicum.

℞. Radicis Angelicae,
— Valerianae,
Herbae Menthae,
Florum Chamomillae vulgaris,
Baccarum Iuniperi,
— Lauri, ſingulorum unciam dimidiam,
Croci orientalis,
Camforae, ſingulorum drachmam unam,
Aceti vini pondo ſex,
Digeſta, colata dentur.

Id quidem acetum et externe et interne adverſus peſtem febresque nervoſas, quae contagio maligno originem ſuam tribuunt, utiliter adhibetur.

Unica drachma per diem aliquoties propinata incipitur paullatimque ea portio augetur. V. *potio alexipharmaca ſecunda.*

In diuturnis morbis, qui inſignem afferunt imbecillitatem animaeque defectionibus favent, alcali quodam ſaturatum, ad drachmam dimidiam exhibetur.

Acetum ſcilliticum.

Radici ſcillae aceto ſuperfuſae id nomen impertitur. Ibi autem imperatur, ubi ipſa radix nimis irritans vomitum citatura eſſe videtur: agit vel reſolvendo vel provocando urinam. Per tres vel quatuor horas quadraginta ad quinquaginta guttae propinantur.

Adverſus hydropes, ubi nimis irritare radix, viresque deficere videntur, acetum ſcilliticum excipiat tum alcali tum eſſentias roborantes. V. *oxymel ſcilliticum* et *elixirium reſolvens.*

Acidum tartari eſſentiale.

Tartarus habet alcali quoddam, quod ſequenti ratione ſeparatur. Coctus enim in aqua, quantum fieri poteſt ſolutus, ſaturatur calce pura, quae acidum ſimplex tartari accipit, ſalemque format terreum, in aqua minime ſolvendum.

Eluitur deinde terreus ille ſal, acidique vitrioli ope tartari acidum ſeparatur: iſtud enim calci magis affine eſt. Quodſi nobis propoſuerimus aërem fixum, ex acidis cum terris alcalinis evolutum ſive ipſum acidum portionibus exiguis in corpus ingerere, praeferendum eſſe id tartari acidum vulgari tartaro videtur.

Acidum vitrioli.

Potentiſſime reſiſtit ſanguinis putori, exhibendum itaque ubivis febricitantibus, qui putredine periclitantur.

Cum concentratum admodum corrodere ſoleat, multa aqua diluere eam oportet. Sufficit enim unica eius drachma, ut duo aquae pondo acida fiant. Ut is potus iucundum ſimul ſaporem adipiſcatur, ſyrupum aliquem admiſcere decet, quem ſecundum aegri guſtum eligimus. V. *mixtura acida.*

Adultioribus, qui inſigni putredine laborant, quotidie, eo quem propoſui modo acidi vitrioli drachmam propinare licet. Puerulos vero ad potus movere difficile ſaepius eſt: ſubſtitui ibi alumen poteſt.

Commodiſſimum ſaepius id acidum adverſus ſcabiem. Neque tanta requiritur portio, cum drachma dimidia quotidie ſumta, ſuppetat.

Aër dephlogiſticatus.

Purus vocatur aër, quo et nos indigemus ad ſpiritus trahendos, quemque ignis exigit. Eas quamquam proprietates atmoſphaera habeat, fixi tamen aëris portionem ſemper excipit, qui indole ea vacat. Agit autem aër, dum ſpiritus trahimus, non ſolum ad minuendum ſanguinis calorem. Nutrimen-

trimentum potius eiusmodi eſt, eoque inſervit, ut noxiae partes excernantur. Is itaque aër, qui peregrinis omnibus combuſtionique faventibus partibus privus eſt, magis idoneus ad ſpiritus trahendos videtur, cum experimentis conſtet, animalia, quae in eiusmodi aëre tenentur, quater vel quinquies diutius vixiſſe, quam in communi aëre.

Talem vero aërem morbis quibusdam egregie conferre, omnino patet: quivis enim ſentit, quam bene ſibi purus aër conveniat, quamque importunus ſibi corruptus aër ſit atque occluſus.

At vero fixus aër multos etiam morbos iuvit, ex toto igitur utilis eſſe purus aër nequit. Scorbuticis ſolet terreſtris aër multo melius marino, licet puriori, conferre. Qui putredini favent, aëre indigent, fixi aëris portione miſto, ne tantopere putredo promoveatur, fixo nimirum impedita. Id etiam praeſertim valet de ulceribus internis.

Quodſi autem phlogiſticae partes ex humoribus ſecerni neceſſe eſt, ſicut id exigunt variae febres ardentes, ſcrofuloſus et hypochondriacus morbus, tunc aërem trahant puriſſimum. Id in noſodochiis conati ſunt medici, ſucceſſibus haudquaquam ex toto prosperis.

Recentiores circa aëris indolem experientiae lucem etiam huic rei fenerare videntur, cum purum aërem dephlogiſticatum iamiam elicere poſſimus.

Elicitur autem e nitro, cuius acidum magnam continet partem eius aëris, qui, dum nitrum funditur, ex eo ſegregatur. Apparatus vero plurimas gignit difficultates, quas alio indicavi loco. Commodiſſime elicitur ex magneſio, leviſſimique eſſe pretii ſolet: magneſio enim iungitur acidum vitrioli.

Aër fixus.

Eum intelligo, qui recentioribus acidum aëreum dicitur. E fermentantibus humoribus mixtisque acidis cum ſalibus alcalinis terrisque evolvitur.

Is aër putredini reſiſtit, tum ob acorem, tum quod motum internum humorum fermentantium impedit. Commode igitur applicatur ad ulcera cacoëthea. Ad eum finem vel vaſa in cella cereviſiae impleta, deinde obſerantur, vel acidum vitrioli dilutum in vaſe quodam cum creta effervescere iubetur: pars autem affecta vaporibus inde adſcendentibus fovetur.

Intus duplici modo adhibetur. Vel aqua eam excipit, a Selterana defectu ſalis tantummodo differens, ſuppurationesque egregie iuvans. Vel ſales alcalini terraeve acidis nubuntur, ut coniunctis iis in ventriculo aëreum acidum extricatum reſorbeatur. Fit id ſequenti modo:

℞. Salis Tartari, drachmas duas:

Solv. in

Aquae deſtillatae unciis duodecim.
Datae ſignentur N. 1.

Iam itaque experiri oportet, quanta acidi vitrioli copia ad ſaturandas alcali duas drachmas exigatur. Ea copia ſimili modo aquae unciis duodecim miſcetur ſignaturque N. 2. Tunc vero vas dimidium, quo ad theae potus uti ſolemus, ſalis alcalini, protinusque aequa portio N. 2. propinanda: id autem repetendum quavis hora aut quibusvis duabus horis.

Eo modo adhibitus fixus aër ſequentes ſolet effectus producere:

1. in phthiſi pituitoſa adeo expedite iuvat, ut totam ſaepius medelam expleat, dum humores corrigit pulmonibusque laxatis irritabilitatem ſuam reddit;

2. dolores a calculis ortos ſaepius mitigat, dum muci generationem impedit, ex quo dolores calculorum exponi poſſunt. Valere autem eum aërem ad ſolvendum calculum ipſum, meis quidem experientiis non liquet. Ubicunque calculorum aut arenae excretionem promoveret, id ab aucta partium irritabilitate pendere videbatur.

3. Poteſt ſanguinem profundere. Circumſpecte propterea exhibeatur phthiſicis, protinusque vacare oportet eius uſu, ut pectoris angores procreat, cum haemoptyſis facile poſſit extimeſci.

Ubi autem ſanguinis profluvia augere opus eſt, menſtruorum et haemorrhoidum exemplo, egregie conferre ſolet. Maxime vero fructuoſus eſſe videtur in haemorrhoidali fluxu, ſi per fiſtulam, tamquam clyſmate, in rectum inteſtinum inditur.

Eodem modo adhibitus egregie etiam valet ad tollendas alvi obſtructiones pertinaciſſimas. Eo autem caſu ilico poſt ingeſtum aërem fixum alvum eluere aqua frigida opus eſt, aut lotiones ordinare ex mollientibus.

Ubi menſtrua provocanda aut molimina ad haemorrhoidum fluxum citanda ſunt, in ventriculum potius quam in alvum ingerere eum confert: non alienum quoque eſt cum alcali ſimul maſſae pilularam balſamicarum pauxillum miſcere. Generatim vero fateri oportet, ad revocanda menſtrua eam habere efficaciam haudquaquam videri quam ad alios morbos.

4. Corrigit etiam humores acres ac rancidos ventriculi. Expedit itaque adverſus ardorem ſtomachi, ſequentique ratione exhibetur.

℞. Cremoris Tartari, ſcrupulos duos, vel acidi Tartari eſſentialis, ſcrupulum unicum,
Magneſiae ſalis communis, ſcrupulum unicum,
Miſta ſignentur: pulvis quadrupla portione ſeorſim omni bihorio exhibendus.

Eo etiam niti potus Riveriani facultas vomitum ſedans videtur: mixtum nempe acidum citri cum ſale apſynthii, dum effervescit, exhibetur: agere autem videtur, mitigatos humores acres evacuando.

5. Adverſus paralyſin praeſtantiſſimo ſaepius praeſidio eſt. Mulierem pedibus reſolutam unice fere aëre fixo, intus adhibito, curavi.

6. Praeſtantiſſimi eius effectus ſunt adverſus acrimoniam ſcorbuticam. Specifici prope remedii nomen meretur.

Aethiops antimonialis.

℞. Mercurii vivi puri partem unam,
Antimonii crudi in pulverem ſubtiliſſimum contriti partes duas, miſceantur exactiſſime.

Id remedium mercuriale eximie iuvat, ubi ſolvere obſtructiones oportet, e. g. in ſcrofuloſis glandularum abdominalium infarctibus. Utiliter etiam adhibetur in venerea ſcabie ac blennorrhoea. Ultimo quidem morbo egregie conferre ſolet, dum aſelli ipſi admiſcentur, ut urinam potius ciere poſſit.

Adultioribus exhibetur ad decem vel quindecim grana: infantibus vero ita, ut paucis granis incipiatur, portio autem paullatim augeatur. Dum non mercurio tantummodo cum antimonio ſubacto, ſed ita potius id remedium paratur, ut ſulfuris antimonii lixivium, ſoluto mercurio in acido nitri

praecipitetur, multo potentius agere ſolet, minoribus igitur portiunculis exhiberi oportet. Neque tamen unquam obſervavi ſedantem eo remedio eſſe aut narcoticam vim.

Aloë, (*linguaeformis* et *perfoliata*. S.)

Pertinet ea ad potentiora praeſidia, quae alvum ducunt. Vermes etiam pellit commode ob amaram indolem. Cumque ſimul admodum irritet ac ſolvat, utiliter exhibetur adverſus viſcerum abdominalium obſtructiones.

Sanguinem etiam profundere ſolet et calefacere, ideoque exhibenda tantummodo iis, qui muco abundant ac cachexia laborant. Suspenſa itaque manu portiones ſunt devorandae, neque ultra decem grana ſimul exhibenda. Abſtinere ea penitus oportet, ubi impetu ſanguinis verſus uterum vel anum aeger periclitatur. V. *pilulae balſamicae*. Ob reſolventem vim excipere eam aquae ophthalmicae etiam ſolent.

Alumen.

Adſtringere id remedium et putredinem arcere ſolet. Opponitur igitur doloribus colicis continentibus, qui inteſtinorum ſequuntur debilitatem; incontinentiae urinae, ſanguinis profuſionibus putridisque febribus: confert praecipue puerulis, qui putridis laborant variolis, cum facile poſſit hauriri.

Grana pauca ſuccus aliquis excipiat, quem infanti ad cochlearia aliquot, quibus in theae infuſo bibendo utimur, propinare, paullatimque portionem, ad ſcrupulum usque augere licet. Audaciter autem, paullatim tamen, drachma eius exhiberi poteſt, absque damni metu, adverſus colicos dolores et urinae incontinentiam. Bene etiam lactis ſerum poteſt eam excipere medicinam. In coagulum abire lac iubeatur, dum libris duabus aluminis drachma, vinique Rhenani pauxillum additur.

Antimonium.

Magni momenti inſtar habet haec medicina, ut absque eadem nec medicus eſſe velim.

Egregie reſolvit vomitumque ciet regulus antimonii: in crudo vero antimonio regulinae partes ſulfuri adeo adhaerent, ut peculiarem ſuum effectum producere nequeant. Abſtineo itaque eo, atque, ubi ſolvere vomitumque ciere oportet, aquam adhibeo Rulandi benedictam, ubi autem calor eſt ſimul minuendus cutisque mollienda, nitrum antimoniatum per inſpiſſationem paratum ſive antimonium diaphoreticum non ablutum.

Aqua benedicta Rulandi.

℞ Croci Metallorum unciam unam,
Vini Gallici optimi uncias triginta,
Digeſta per aliquot dies exactiſſime filtrentur.

Praeſtantiſſimum id ac efficaciſſimum antimonii praeparatum tutiſſime ſolet, ad tres vel quatuor drachmas vomitum ciere, exiguisque portionibus reſolvere ſtaſes. Sputa movet in peripneumonia, optimeque expedit, ubicunque obſtructa ſunt viſcera.

Adverſus maniam exiguntur ſaepius octo vel decem unciae quotidie, priusquam aliquid excerni poſſit. Paullatim tamen augenda eſt doſis ac quotidie effectus obſervandi.

Inter *vinum Huxhami antimoniatum* et hanc medicinam id tantummodo intereſt, quod vitrum antimonii croco metallorum ſubſtitutum, ad unciam unam, cum viginti quatuor unciis vini Madeirenſis digeratur. Cum vero regulinarum partium ſolutio ſummam rei complectatur, conſtans ea atque peculiaris differentia haudquaquam eſt habenda.

Cum praeterea vitrum antimonii plus efficaciae habeat croco metallorum, exiguae etiam ſuppetunt vini Huxhamiani portiones. Id inſuper ad vomitum ciendum non imperatur, ſed reſolvendo potius agit, ad triginta vel octoginta guttas exhibitum.

Aqua calcis vivae.

Viva calx fixo aëre orbata partibusque oxygeneis impraegnata eſſe videtur, ut cauſtica fiat atque ſolvi in aqua poſſit. Hinc aqua calcis vivae non ſo-

lum adverſus viſcerum obſtructiones ordinatur, ſed creditur etiam calculum renum et veſicae ſolvere poſſe. Qui quidem effectus experientia haudquaquam probatur: potentius autem valet ad obſtructiones.

Bibitur etiam commode in hecticis febribus cum lacte. Fixus aër atmoſphaerae adiunctus facile accedit ad terram cauſticam aqua ſolutam, quam ideo iterum crudam reddit ſolvique neſciam. Praecipitat eam, unde aqua fit iners.

Circumſpiciendum itaque eſt in aquae calcis uſu, ut recens paretur e recens combuſta calce, conficiatur etiam, ſi fieri poteſt, ex teſtis oſtrearum aut ovorum.

Aqua chamomillae florum cum et ſine vino.

Quae ſine vino paratur commodiſſime excipit medicinas omnes, quae calorem minuunt ſpaſmosque mitigant. Quae vero cum vino paratur, utiliter ad ſpaſmos a debilitate, quavis hora, quantum cochlear capit, adhibetur: excipit etiam nitrum, ubi ſimul adſunt vel imbecillitas vel impetus ſanguinis vel nervorum distentiones.

Aqua cinnamomi cum et ſine vino.

Cum cinnamonum facile calefaciat, aqua eius exigitur tantummodo in inſigni ac diuturna imbecil-

litate, uſuque externo: excipere etiam poteſt extracta amara, dum vel ventriculus vel inteſtina debilitate laborant.

Aqua foeniculi.

Commodum ſiſtit vehiculum eorum remediorum, quae ſpaſmos ſedant, cum flatus ſimul propellere ſoleat.

Aqua menthae cum et ſine vino.

Perinde fere agit ac chamomillae aqua. Utramque vero hic recenſeo, cum nonnulli aegri alterutram abhorrere ſoleant. Maiorem habet efficaciam, cum e mentha piperita paratur.

Aqua mineralis.

Conveniunt omnes eiusmodi aquae in fixi aëris portione vel maiore vel minore, quae tamen promtiſſime ſub ſenſus cadit. Is aër vel purus aquae ineſt, vel terreis, ſalinis ac metallicis particulis nubitur, quod differentiam aquarum conſtituit mineralium.

Ob acidum aëreum eae aquae corpus ſine negotio penetrare atque ex eo excerni ſolent. Quodſi itaque nihil praeter acidum aëreum aqua quaedam continet; omnino tamen communi aqua praeſtat quippe quae imbecillia digeſtionis viſcera facile offendere ſoleat.

Aër etiam is terreas partes in eiusmodi aquis ſolutas tenet. Protinus ut fixus aër evolaverit, terra fundum petere, aqua autem iners fieri ſolet. Quae particulae cum aëri tantopere volatili adhaereant, aquaeque inſigni copia ſolutae ſint, quod per tenuiſſima corporis vaſa eas propellit, eam ideo acquirunt efficaciam, quam alia forma nequicquam haberent.

Ex toto vero, dum minerales aquas adhibemus, circumſpiciendum eſt, utrum corpus faveat ſanguinis profuſionibus, an iis expers ſit. Illic enim cautiſſime exhibendae ſunt, cum fixus aër ſanguinem facillime profundere ſoleat.

Noſtrates vero ſequentibus potiſſimum aquis utuntur:

1. aqua *Selterana.* Iungitur ea cum acidi aërei liberi copia, excipit etiam alcali mineralis pauxillum. Egregie expedit, dum vulgaris potus loco bibitur adverſus ſuppurationes internas.

2. Aqua *amara.* Continet ea et acidum aëreum et magneſiam. Alvum itaque ducit, eumque et meſenterium purgat. Circumſpecte autem bibenda eſt, cum ſanguini per haemorrhoides fluenti favet: nam fiſtulas ſanguinisque ex ano profuſiones generare poteſt.

3. Aqua *thermarum carolinarum.* Salem ea continet, Glauberiano affinem, cuius alcalina pars

praedominatur. Alvum ducit urinamque movet, confert itaque adverſus colluviem pituitoſam et obſtructionem viſcerum abdominalium in imbecillitate hypochondriaca.

4. *Thermae Hirſchbergenſes*, *Landeckenſes* et *Toeplitzenſes* lixivioſo - ſulfurinae ſunt. Sudorem potiſſimum movent, iisque corpus magis lavatur, poſſunt tamen etiam bibi. Adverſus ſcrofuloſam acrimoniam imprimis iuvant.

5. Aqua *Aquisgranenſis* ſiſtitur fere acido aëreo et ſulfure, utiliter ergo adhibetur adverſus ſcabioſam et ſcrofuloſam acrimoniam.

6. Aquae *Freyenwaldenſes*, *Lauchſtaedtenſes* et *Berolinenſes* acidum continent aëreum ferro nuptum, firmant itaque laxata corpora. Balnea fere ſemper ſiſtunt, poſſunt tamen etiam bibi.

7. Aqua *Spadana*. Conſiderari poteſt, tamquam compoſita ex Freyenwaldenſi atque Selterana, cum acidum habeat aëreum, ferri pauxillum et partes ſalino alcalinas. Igitur commode aperit ac firmat.

8. Aqua *Egerana* praeter acidum aëreum ferreasque quasdam particulas ſalem continet Glauberiano germanum, alvum ideo tantummodo ducit, militatque adverſus mucoſam colluviem;

9. aqua *Pyrmontana*. Differt a priori ferri copia maiore, unde etiam potentius valet ad robur au-

gendum: circumſpectius etiam adhibenda eſt, cum lymphaticum ſyſtema haud adeo facile permeet.

Utilius eae aquae ad fontem ipſum bibuntur. Transvectae enim particulas amittunt conſtanter ipſis inhaerentes, maxime acidum aëreum, iique adiunctas alias partes.

Aqua ophthalmica conſortans.

℞. Aquae Chamomillae ſine vino uncias octo,
Extracti Saturni,
Spiritus vini camforati, ſingulorum drachmas binas,
Vitrioli albi ſcrupulum unicum,
Mixta dentur.

Optime ea aqua expedit ad epiphoram et lippitudinem a laxitate.

Aqua ophthalmica reſolvens.

℞. Aquae Chamomillae ſine vino uncias ſex,
— benedictae Rulandi uncias duas,
Eſſentiae Aloës,
Liquaminis Myrrhae, ſingulorum drachmas binas,
Mixta dentur.

Confert ea aqua, quotidie aliquoties in oculum ſtillata, ad maculas corneae et ſtaphylomata. Commode etiam diluitur, ſi initio nimis irritat.

Aqua phagadaenica.

Solet parari ex mercurio ſublimato et aqua calcis vivae. Cum vero admodum differre ſoleat aqua calcis, ſaepiusque nimis vetus ſit ac iners, conſultius agunt, qui mercurium in acido nitri ſolutum, prout ceterae res id exigere videntur, deſtillata aqua diluunt ibique adhibent, ubi cacoëthea ulcera abſtergenda ſunt.

Aqua florum ſambuci.

Commodiſſime excipit ea diaphoreticas medicinas.

Aqua Thedenii ſclopetaria.

℞. Aceti vini,
Spiritus vini rectificati, ſingulorúm pondo tria,
Sacchari albi pondo unum,
Spiritus Vitrioli uncias decem,
Mixta dentur.

Cum calorem non ſolum minuere ſed putredinem etiam arcere valeat, utilis eſſe ea medicina ad ulcera ſcorbutica et inflammationes putridas ſolet. Potentius adhuc agere perhibet clariſſimus auctor, ſi ferri pauxillum, ſal praeterea ammoniacus, herbarumque vulnerariarum extracta admiſcentur. Deſtruitur vero ſalis ammoniaci mixtio acidi vitrioli

ope. Satius eſſe duco, aromaticas herbas vulnerarias cum aceto, ſpiritu vini et acido vitrioli deſtillare, eoque facto ſaccharum admiſcere.

Arſenicum.

Id diutius exul officinis, circumforaneis ſolis relictum fuit. Neque tamen negari poteſt, ſubinde utiliter adhibitum fuiſſe.

Neque corroſiva eius indoles rationem ſubminiſtrat, cur damnare eius uſum debeamus. Ex quo tempore enim cauſticis utimur mercurialibus, arſenicum ob corroſivam eius indolem improbare non licet. Manifeſto iuvare carcinomata memini; atque in adeo atroci morbo anceps omnino id remedium experiri decet. Quam Lefeburius iuſſit formula, haec eſt:

℞. Arſenici albi grana duo,
Sacchari albi drachmam unicam,
Mixta exactiſſime ſolvantur in aquae deſtillatae libris duabus,
Mixta dentur.

Protinus autem per octo continuos dies matutino tempore ieiunus aeger hauriat eius medicinae cum lacte mixtae, quantum cochlear vulgare capit, paullatimque ea portio ter quaterve per diem ſorbeatur. Extus vero qualis eſt ſolutio, talis applicatur. Sandaracha minerali, quae arſenicum eſt

ſulſuri mixtum, uti conſuerunt veteres in morbis a corrupta lympha.

Confiteri tamen oportet, me poſt prima tentamina, bonos eius effectus interdum non confirmatos vidiſſe.

Baccae Iuniperi.

Similem habent efficaciam ac terebinthina, infuſae itaque egregie expediunt, tamquam diureticum in hydrope cum laxitate. V. *ſpecies purificantes.*

Balnea.

Calida balnea aut *tepida* laxatis partibus calefactaque cute circulum ſanguinis mitigant ſpaſmosque ſedant. Conferunt igitur ad quosvis ſpaſmos, ubi opium vel non agit vel idoneum non videtur, ubi tamen irritans materies prius eliminari nequit, quam ſpaſmus ſeſe remiſerit. Nocent autem, ubi ſanguis abundans turget, ubi nimis disſoluta ſunt fluida nimisque imbecillae partes ſolidae.

Frigida balnea proxime cutem afficiunt eamque firmant. Impedito autem externae ſuperficiei circuitu, in viſcerum vitiis vel plane non, vel circumſpectiſſime adhibentur. Expeditiſſime vero iuvant eos, qui hypochondriaca et hyſterica laborant imbecillitate.

Balneum, quod *catarrhactis* ſpecie in partes

irruit

irruit (*Douche*) concutit partes, utile igitur maxime ad reſolutiones partium et contracturas.

Balſamus copaivae.

Effectus eius a terebinthina differt, quod urinam participare non ſoleat odoris violarum. Adhibere eum balſamum licet, ubi terebinthinae puritas ac bona indoles non explorata eſt: commodiſſimus vero eſt blennorrhoeis, ablata prius distentione inflammatoria. Plerumque vitello ovi ſolvitur: praeſtant tamen gummis arabica et ſaccharum. Quamdiu blennorrhoea adhuc livet, humorque effluens acrimonia omni privus non eſt, ſequentem imperare ſoleo formulam:

℞. Balſami copaivae,
Elaeoſacchari aniſi, ſingulorum drachmam unam,
Gummis arabicae,
Nitri depurati ſingulorum drachmas binas,
Aquae florum ſambuci uncias decem.
Mixta data ſignentur: omni hora capiendum, quantum cochlear unum vel alterum tenet.

Balſamus ſulfuris.

Ubi fluida forma ſulfure uti cupimus, ſolvitur in oleo vel aniſi vel terebinthinae. Qui in aniſi oleo ſolutus eſt, confert ſtaſibus rheumaticis et ſcabioſis

in pectore obviis, qui vero terebinthina mixtus eſt, militat adverſus abdominis ſtaſes. Utrobique optime nubitur naphthae vitrioli.

Borax.

Quam olim opinati ſunt efficaciam eius remedii, quod ſanguinem propellat partumque promoveat, hodienum haudquaquam probari poſſe arbitrantur. Propterea equidem eum hic recenſeo, quod poſſit tartari cremorem in aqua reddere ſolubilem, id quod alias negotium faceſſit, ac incommoda plura in uſu creare ſolet. Mixtam boracis drachmam cum unica cremoris tartari uncia ſolvimus in bulliente aqua. Expedit etiam borax adverſus aphthas.

Butyrum antimonii.

Vocatur ita regulus antimonii in acido ſalis ſolutus, validiſſimum certe cauſticum. Simul tamen optime reſolvit ac diſcutit. Utiliter itaque applicatur ad corneae maculas et ſtaphylomata, aliis remediis non ſufficientibus, ſuspe ſa tamen manu admovere opus eſt. Apicem pennae ſcriptoriae huic remedio immerſum ad locum obfuſcatum aut induratum admovere oportet. Stimulo ita excitato adliciuntur protinus lacrymae, quae ſatis diluunt inſons·que faciunt remedium.

Camſora.

Impedit ea humorum eam corruptionem, qua putreſcunt, reſolvit, cutem admodum afficit, ſudores prolicit, absque aucto calore febrili externo.

Commodiſſima igitur in omni febrium genere, ubi putredini favent humores, ubi ſtaſes reſolvendae ſunt inflammatoriae cutisque eſt mollienda.

Quamvis autem ſanguinis circuitum augere non videtur, calefacit tamen, eosque offendit, quorum nervi nimis agiles ſunt. Vacare ea itaque oportet, dum e ſenſibus acutiſſimis noxam extimeſcimus.

Commodiſſime exhibetur ſaccharo trita, ad unum vel quatuor grana omni bihorio. Id tamen habet peculiare, quod nonnullorum ventriculus ferre eam nequeat: eius igitur rei ratio eſt habenda.

Neque imperanda eſt, ubi urinam promovere cupimus, cum impedire eius curſum ſoleat. Optime ea propter expedit, dum acria exhibita ſunt diuretica, aut in urinae difficultate ex cantharidibus ſuborta. Emulgere eam tunc oportet. Copioſe autem devorata generandi vim debilitare ſolet, quod ex impedito ſanguinis curſu verſus eas partes exponi poſſe videtur.

Melancholicis ſubinde tamquam ſpecificum confert, dum auctis paullatim portionibus, ad dimidiam unciam quotidie ordinatur. Exploratu diffi-

cile eſt, utrum proxime afficiat nervos, an ita opituletur, ut obſtructiones pertinaces reſeret.

Cantharides.

Cuti admotae discutiunt et derivant. V. *emplaſtrum veſicatorium.* Intus ſumtae urinam vehementia quadam proliciunt, non adhibendae, niſi in blennorrhoeis ſecundariis pertinacibus atque urinae incontinentia cum laxitate iuncta. V. *tinctura cantharidum.* Ea vero violentia renes afficere et veſicam ſolent, ut vel unicum granum graviſſimas poſſit urinae difficultates mictumque cruentum gignere. Antidoti veri vices hic camfora gerit: effectus eiusmodi enim non ſolum aufert, ſed futuros etiam avertit.

Poſſunt vero etiam reſolventis loco adhiberi. Utiles eſſe in fungis articulorum memini.

Caſtoreum.

Iis medicinis adnumeratur, quae hyſtericos affectus mitigare valent, ſoloque ſaepius odore agere videtur. Quodſi aliis uti remediis, e. g. opio aſaque foetida prohibemur, caſtoreo uti ad decem aut viginti grana licet.

Conchae praeparatae.

Abſorbentibus accenſentur: utimur autem iis, cum lapides cancrorum ad manus non ſunt, cumque

magneſia ſalis communis, alias praeſtantior, expeditura eſſe non videtur. Per ſe quidem non adhibentur, commode vero aliis admiſcentur remediis, dum acor occupat ventriculum, e. g. radici rhei. Temperant etiam ſanguinem, ſi acido vegetabili ſaturantur. V. *mixtura refrigerans.*

Conſerva antiſcorbutica.

℞. Herbae recentis cochleariae groenlandicae,
— — naſturtii aquatici,
— — trifolii fibrini,
Succi recentis radicis armoraciae,
— — fructus aurantiorum, ſingulorum aequam portionem,
Sacchari albi, quantum ſufficit.
Miſceantur in conſervam, detur.

Commodiſſime haec medicina, ubi herbae per hiemem deficiunt, adverſus ſcorbuticam acrimoniam imperatur.

Cortex caſcarillae.

Minus cortice peruviano hic adſtringere, magis autem calefacere conſueſcit. Hinc eum praefero in febribus continuis malignisque ac in dyſenteriis, cum excretiones minus impediat ſudoremque ſimul moveat. Minore tamen portione, quam peruvianus cortex, ob vim calefacientem, exhibendus eſt.

Cortex peruvianus.

Duplici potiſſimum modo is agere videtur: reſiſtit enim putredini ac robur nervis addit. Adhibetur igitur in febribus putridis, malignis et intermittentibus, in phthiſi pituitoſa et ubicunque vires proſtratae ſunt.

Ruber autem cortex plurimum antecellit vulgarem pallidiorem.

In putridis febribus eo duntaxat tempore exhibetur, ubi febris ſeſe remiſit, aqua autem infuſum propinare oportet omni hora, quantum cochlear capit, cum maiore portione devoratus excretiones impedire humoresque aliorſum propellere poſſit.

In nervoſis febribus ea iungantur remedia, quae ſudorem movent. Infuſum ibi corticem mixturae diaphoreticae aequa portione miſcere licet.

Ex toto autem in continuis febribus ibi duntaxat imperatur, ubi nervorum vim proſtratum iri ſuspicamur.

Maxime vero circumſpicere oportet eum, qui febribus oppoſiturus eſt corticem, an cutem linguamque ſiccas faciat ſpiritusque difficiles. Tunc vero omnino eſt eo abſtinendum, aut iis miſceatur, quae nervorum distentiones tollunt ſudoremque emoliuntur. Optime expedire ſolet in imbecillitate cum ſudoribus ſymptomaticis iuncta, ubi etiam non nimia ſiti aeger cruciatur.

Adverſus intermittentes febres ita imperatur, ut, purgato prius ventriculo, tempore, quo febris ceſſat, pulveris forma ſumatur. In quartanis febribus, ubi obſtructa eſſe viſcera ſuspicamur, ſale ammoniaco prius iungitur. Imperatur autem ſcrupulus eius cum ſalis ammoniaci decem granis omni bihorio. Quodſi neque alvum comprimit neque fuſam citat, ſalem ammoniacum reiicere portionemque augere decet.

In malignis febribus intermittentibus opus eſt inter primos acceſſus drachmam integram eius omni hora exhibere.

Conſtat praeterea, febres intermittentes ſuper leviſſimis cauſſis recurrere ſolere. Recurrunt autem tertianae poſt ſeptem dies, quotidianae et quartanae interiectis quatuordecim diebus. Experientia teſte ſequenti modo ii recurſus avertuntur. Septimo die, poſtquam tertiana febre vacaverit aeger, decimo quarto vero, poſtquam quartana ſive quotidiana deſierit, denuo cortex imperatur, ac utrobique per octo dies uſus eiusdem continuatur.

Nec ambigi poteſt, corticem eum optime expediiſſe in haemoptyſi ac primordiis phthiſeos. Confert tamen ſolummodo, cum ſublatis ſpaſmis firmatisque partibus ſuppuratio vel averti vel benigna reddi poteſt. Id tamen contingit plerumque in la-

xis hominibus iisque, qui in inflammationem non vergunt.

Commodiſſimus etiam eſt in phthiſi pituitoſa, quae catarrhos excepit: tenendum tamen et hic, exhiberi oportere non niſi cum febris ſeſe remiſerit, atque ita, ut infuſum protinus adhibeamus.

Egregie etiam iuvat eos, qui imbecillitate diuturna laborant, licet et hic veniendum ſimul ſit ad alia praeſidia, maxime ad ea, quae ſpaſmos ſedant.

Nonnunquam vomitum facile oiet: opus itaque eſt, ut aliis remediis, praeſertim opio, cinnamomo et cortice aurantiorum miſceatur.

Praeſidio etiam eſſe ſolet ulceribus externis, ubi et vires deficiunt et puris proba indoles: exhibetur, uti ad gangraenam, pulveris forma, quotidie ad aliquot uncias. Utiliter externis partibus utique applicatur: excipere poteſt in gangraena ſalem ammoniacum: cum aceto vini puls tenuis inde parata ſuper exeſam partem datur.

Poſſitne ceteroquin radix *gei urbani* cortici huic ſubſtitui, quod recentibus patere videtur experimentis, mea quidem experientia me nondum docuit.

Cortex Cinnamomi.

Utimur aquis ſuper eum deſtillatis. Oleum enim nimis per ſe calefacit: cumque in aquis adſit, ſuppetere eae videntur.

Cortex Mezerei.

Cutis ſuperficiei admovetur, ut epidermidem in veſicam attollat ulcusque excitet. Nimis vero irritat, neque puris ſufficientem copiam promit, quae tamen ulceribus arte petitis bene reſpondere debet.

Utilius adhuc intus ſumitur ad venereos affectus, ubi ſolidae partes, imprimis oſſa afficiuntur, atque ubi abſtinere mercurialibus ob malam humorum indolem malumus. Coquitur uncia dimidia eius cum aequa portione radicis glycyrrhizae in libra aquae. Angli praeterea uti etiam hoc cortice cum cicuta iuncto in morbis ſcrofuloſis ſolent.

Cortex Simarubae.

Caſcarillae admodum affinis is cortex egregie expedit adverſus citam alvum, quae vires proſternit, atque dysenteriam. Compreſſa enim alvo cutim mollire ſolet: neque incaleſcere ex eius uſu corpus adeo videtur ac e caſcarillae uſu.

Commodiſſime vel coctus vel aqua infuſus, ut ex uncia dimidia octo unciae colatae aquae remaneant, exhibetur, atque omni hora, quantum cochlear capit, propinatur.

Cremor tartari.

Obrutam ſordibus bilioſis et putreſcentibus alvum egregie ſolvit. Commodiſſime potu ordinario

ſuadetur. Coquuntur eius unciae duae cum libra una et ſemiſſe in olla argillacea: quo facto effunditur id, quod ſedimento ſupereſt additurque mellis aut ſacchari ſufficiens copia.

Tartari cremor chemica arte liberatus ſale alcalino ſuo, purum praebet acidum tartari, quod ſyrupum conſtituit cum melle aut cum manna potius, facile ſervandum, qui commodiſſime calorem minuit alvumque ducit.

Crocus.

Iis remediis adnumeratur, quae dolores mitigant viresque refocillant: hinc iuvat eos, qui debilitate nervoſa ac virium proſtratione laborant. V. *laudanum liquidum Sydenhami* et *pilulae antihyſtericae.* Haemorrhoidum curſum praeterea promovet et menſtruorum. V. *pilulae balſamicae.*

Crocus metallorum.

℞. Antimonii crudi,
Nitri depurati, ſingulorum in pulverem redactorum aequam portionem.

Mixta, detonata in crucibulo ignito eluantur.

Hoc quidem modo deſtruitur antimonii ſulfur regulique pars in calcem cogitur. Continet inde lixivium ſuperſtes, poſtquam eluta fuerit mixtio, nitrum antimoniatum. Eluta maſſa, croci metallo-

rum nomine, conſtat regulinis partibus, quarum aliae in calcem coactae, aliae ſulfuris ope ligatae, aliae vero liberae ſunt. Harum poſteriores participant vinum vis emeticae. V. *aqua benedicta Rulandi.*

Electricitas.

Aër atmoſphaericus ubique abundat materiei electricae copia vel maiore vel minore, quae irrepit in corpus animale tum per cutim, tum per pulmones, ac peculiares ſuos effectus in eodem producit.

Quae in ipſo corpore animali adeſt electrica materies, ex aëre haudquaquam ſolummodo attrahitur, ſed ex ipſius partibus atque ex cibis ingeſtis elicitur.

Id vero corpus, quod citra peculiarem electricitatem foris adhuc augmentum eius attrahit, *poſitive electricum* eſſe dicitur. Quod vero alia corpora ſuae electricitatis participat, eiusque adeo privatur, *negative electricum* appellatur.

Quodſi itaque praeſidio eſſe electricitas debet, eum, qui ea abundat, orbare eadem, ii vero, qui materie electrica vacat, largiri eius copiam oportet.

Effectus autem, quos abundantia electricae materiei in corpore producit, ſequentes ſunt:

1. circulum ſanguinis quinta aut ſexta parte adauget;

2. ſecretiones etiam celeriores facilioresque reddit;

3. diluit humores corporis fere omnes;

4. irritabiles magis ſenſibusque acutiores facit partes quascunque corporis noſtri.

Ubi itaque laxae fibrae, tardior ſanguinis circuitus, ſecretiones impeditae et ſtaſes praeſentes defectum electricitatis indigitant, acervata eadem eiusmodi affectus curari poſſunt.

Poteſt itaque electricitas poſitiva ad glandulas, quae obduruerunt, discutiendas, ad ſanguinis curſus accelerandos, ad curandas denique reſolutiones inveteratosque rheumatiſmos.

Negativa vero prodeſt, ubi nimia irritabilitas nervorum distentiones doloresque excitavit.

Eum, qui totum aegri corpus implere materie electrica aut orbare cupit, decet, aegrum ἀσύνδετον collocare, adeoque torrentem electricum in corpus derivare. Quodſi vero ſingulas partes vel induratas vel reſolutas curare volueris, opus eſt, materiem in easdem partes ingerere, aut ex iisdem prolicere, citra ceterarum partium affectum.

Experientia teſtatur, commodos fere nunquam validos eſſe ſuccuſſus, ſed optimum ſequi effectum, cum ligno quodam pyriformi aut metallo electrica materies paullatim vel elicitur, vel ingeritur, ut

moleſtiam parvam vel nullam aeger ſentiat. Opus autem eſt machina maiore, ut is attingatur finis.

Elixirium antiſcorbuticum.

℞. Extracti trifolii fibrini aquoſi,
— centaurii minoris aquoſi,
— fumariae aquoſi,
— graminis aquoſi, ſingulorum unciam dimidiam,
Solvantur in aquae florum chamomillae libris quatuor.
Admiſceantur:
Spiritus cochleariae unciae duae,
Olei vitrioli albi drachmae duae.
Mixta dentur.

Optimo id praeſidio eſſe ad obſtructiones ac debilitatem viſcerum abdominis ſolet, cum ſcorbutica labe humores afficiuntur. Eius, quantum cochlear capit, ante et poſt meridiem hauriri poteſt.

Simplicius id ita paratur:

℞. Extracti apſynthii uncias duas,
ſolve in
Aquae fontanae libris quatuor,
admiſce
Spiritus cochleariae uncias duas,
Olei vitrioli albi drachmas duas.
Mixta dentur.

Elixirium reſolvens.

℞. Salis tartari depurati uncias duas,
ſaturentur cum
Aceto ſcillitico,
admiſceantur
Extracti fumariae aquoſi,
— millefolii aquoſi,
— trifolii fibrini aquoſi,
— cardui benedicti aquoſi, ſingularum unciam dimidiam,
Aquae chamomillae ſine vino libras quatuor,
Tincturae antimonii Iacobi,
— martis aperitivae, ſingulorum unciam unam.
Mixta dentur.

Opem id remedium affert iis, qui cachexia, hydrope aut viſcerum abdominalium obſtructione laborant: ſumitur autem eius, quantum cochlear dimidium capit, omni bihorio.

Simpliciori modo id ita paratur:

℞. Salis tartari uncias quatuor,
ſaturentur cum
Aceto vini,
admiſceatur
Extracti cardui benedicti,
— millefolii, ſingulorum uncia unica.
Mixta dentur.

Elixirium roborans.

℞. Extracti corticis peruviani aquoſi,
— — caſcarillae aquoſi,
— gentianae rubrae aquoſi,
— chamomillae aquoſi, ſingulorum unciam dimidiam,
ſolve in
Aquae menthae piperitae ſine vino libris quatuor,
admiſceantur
Tincturae martis adſtringentis drachmae quatuor.
Mixta dentur.

Opus eſt eo remedio in ventriculi et inteſtinorum imbecillitate, quae acutis febribus ſupereſt vel alias excipit cauſſas: imperatur autem quotidie aliquoties, quantum cochlear capit.

Simpliciori modo paratur:

℞. Extracti corticis caſcarillae,
— gentianae rubrae, ſingulorum unciam unam,
ſolve in
Aquae fontanae libris quatuor,
admiſceantur
Tincturae martis adſtringentis unciae quatuor.
Mixta dentur.

Emplaſtrum veſicatorium perpetuum.

℞. Hydrargyri vivi uncias tres,
Balſami ſulfuris ſimplicis drachmam unam;
exactiſſime mixtis paullatim adde,
Gummis ammoniacae liquatae libras duas.
Detur.

Egregie id emplaſtrum ſtaſes reſolvit, maxime venereas.

Emplaſtrum e cicuta.

℞. Succi recentis cicutae uncias ſexdecim,
Pulveris herbae cicutae recentis,
Gummis ammoniacae,
Aceti ſcillitici, ſingulorum uncias octo,
Cerae citrinae,
Olei olivarum, ſingulorum uncias quatuor.
Mixtis fiat lege artis emplaſtrum.

Optime id etiam diſcutit tumores, praeſertim ſcrofuloſos, unde et ad articulorum fungos imperatur.

Emplaſtrum reſolvens foetidum.

℞. Gummis ammoniacae libras tres,
— aſae foetidae libram unam,
Mellis puri libram dimidiam,
ſolve in
Aceti vini quantitate ſufficiente.
Leniter inſpiſſata ad emplaſtri compagem dentur.

Expedit

Expedit autem adverſus ſtaſes et tumores eiusmodi, qui ſpaſmos excipiunt. Equidem memini, conferre etiam in tumoribus articulorum, qui cauſſas externas agnoſcerent. Quem SCHMUCKERUS melli ſubſtituit, ſapo, deſtrui videtur aceto. Quodſi eum autem, ubi in inflammationem pronus eſt tumor, cum aſa foetida iungere malueris, conſultius ages, dum oleo quodam, eius exemplo, quod hyoſcyamus promit, camforaeque pauxillum addideris.

Emplaſtrum veſicatorium.

℞. Cerae flavae uncias decem,
Terebinthinae venetae,
Olei olivarum, ſingulorum uncias tres,
Pulveris cantharidum uncias octo.
Mixtis fiat lege artis emplaſtrum.
Detur.

Ubi irritabilitate nimia viget aeger, ſatius eſt emplaſtrum, priusquam admoveatur, camforae pauxillo ſubigere, ut urinae difficultas, facile alioquin ſequens, avertatur. Optime etiam confert, loca affecta continuo ita irritare, ut ſuppuratio ſervetur.

Eſſentia aloës.

Admiſcetur externis remediis, quae vulnera detergunt, aquis ophthalmicis, elixirio reſolventi et roboranti, dum alvus compreſſa eſt. V. *Aloë.*

Eſſentia Angelicae.

Alexipharmacis accenſetur.

Eſſentia aſae foetidae.

℞. Gummis aſae foetidae uncias duas,
Spiritus vini rectificati pondo unum.
Digeſta colata dentur.

Adverſus hyſtericos affectus eſſentia eiusmodi drachmae copia adhibetur. V. *pilulae antihyſtericae* et *gummis aſae foetidae.*

Eſſentia corticum aurantiorum.

Flatus propellere ſolet.

Eſſentia caſtorei.

Antihyſtericis adnumerata drachmae copia imperatur. V. *caſtoreum.*

Eſſentia pimpinellae albae.

Leniter irritat haec radix ac reſolvit. Confert itaque, gargariſmatibus admixta, ad discutiendas ſtaſes catarrhales colli. V. *radix pimpinellae.*

Eſſentia Valerianae.

Adiungitur mixturis diaphoreticis in putridis febribus et malignis: poteſt autem eius uncia dimidia per diem conſumi. V. *radix Valerianae.*

Extractum apſynthii aquoſi.

Utimur eo in verminoſis affectibus ac colluvie mucoſa primarum viarum. Solutum in aqua chamomillae ad dimidiam aut integram drachmam quotidie voratur.

Extractum ligni Campechiani aquoſi.

Adſtringit ſimul et demulcet. Confert igitur in alvo cita, quae diutius corpus exercens ſubito comprimi nequaquam debet: exhibetur quotidie ad unam vel alteram drachmam.

Raro tamen invenire id extractum probe paratum licet: multumque negotii omnino faceſſit modus, quo pars adſtringens ex eo ligno elicitur. Neceſſe eſt, ſapor eius proxime accedat ad radicis glycirrhizae ſaporem. Ibi praeprimis obtinet locum eius remedii uſus, ubi ex cortice ſimarubae nimis corpus incaleſcit.

Extractum caſcarillae aquoſum.

V. *cortex caſcarillae.* Subigitur id extractum vel temperante aliquo pulvere, vel ſolutum imperatur, ubi vires firmandae ſunt citra adſtrictionem. Protinus grana aliquot omni bihorio exhibentur, progreſſu vero quotidie portio augetur ad drachmam dimidiam. V. *elixirium roborans.*

Extractum centaurii minoris aquoſum.

Ad reſolventia pertinet, quae leniter ſimul robur adaugent. V. *elixirium reſolvens* et *antiſcorbuticum.*

Extractum florum chamomillae aquoſum.

Cum peculiari modo nervos afficiant chamomillae, utiliter id extractum ibi adhibetur, ubi cortice abſtinere oportet, aut aliis iungitur remediis. V. *elixirium roborans.*

Extractum corticis peruviani aquoſum.

Plurimum refert, id diuturna potius infuſione et inſpiſſatione, quam celeriore coctione parari. Sal ſic dictus eſſentialis mechanica frictione conficitur: eum autem modum equidem ad alia extracta paranda adhibeo.

Prodeſt praeſertim, ubi tempus non ſufficit, ut pulveris forma cortex poſſit exhiberi, ubi aegri eum ſumere vel nolunt vel nequeunt, infantum exemplo. Cum uncia una corticis extracti vix drachmam praebeat, imperari etiam poteſt ad drachmam, et quod excurrit, per diem conſumendam.

Extractum cicutae.

Paratur id e ſucco expreſſo *conii maculati*, leniter inſpiſſato, ne coctione intempeſtiva perditum eant partes potentiores.

Extractum ſumariae aquoſum.

Optime reſolvit, propterque ſalinas particulas urinam ciet. Hinc adverſus herpeticos affectus adhiberi poteſt.

Extractum gentianae rubrae aquoſum.

Ad amara pertinet et roborantia. V. *elixirium reſolvens* et *roborans*.

Extractum graminis aquoſum.

Iis accenſendum eſt, quae ſanguinem purgant. Equidem utor ſucco recens expreſſo leniterque inſpiſſato, qui et potentius agit et ſuaviori ſapore pollet. Imperavi nonnunquam, ſucci eius uncias quinque vel ſex per diem conſumi. V. *elixirium antiſcorbuticum*.

Extractum Hellebori nigri aquoſum.

Expeditiſſime id pellere humores ſolet. Neque tamen ex foliis ſed e fibrillis radicum, longa extractione lenique inſpiſſatione parari neceſſe eſt.

Extractum quaſſiae aquoſum.

Non alienum eſt, ubi irritabilitate aeger vacat, excretionesque neque impediendae neque promovendae ſunt, ubi ſimul nervi debilitate laborant; maxime conferre dicitur iis, qui in colicos dolores

vergunt. Solutum poteſt quotidie ad ſcrupulum adhiberi.

Extractum ſaturni.

Vocatur ita plumbi calx in vini aceto ſoluta, inter quam et lithargyrii acetum id intereſt, quod illa ſit magis concentrata. Aqua diluitur, prout rationes id poſtulare videntur, calorem ſimul minuit, ſtaſes discutit roburque partibus addit: confert itaque tumoribus parum inflammatis et morbis oculorum.

Extractum taraxaci.

Lacteſcentium plantarum more leviorem habet taraxacum acrimoniam, cuius vi reſolvit, ut et ſalinarum partium, quarum inſignem habet copiam. Commodiſſimum itaque eſt, ſuccum ex herba radicibusque expreſſum leni calore ad mellis usque ſpiſſitudinem digerere.

Extractum trifolii fibrini.

Amarum id ac reſolvens eſt remedium. V. *elixirium antiſcorbuticum* et *reſolvens.*

Fel tauri inſpiſſatum.

Eximium eſt reſolvens, quo in ictero, ac ubicunque bilis non rite affluit, ad drachmam quotidie uti poſſumus.

Folia belladonnae.

Praeter narcoticam facultatem ſpaſmos etiam ſedare belladonna ſudoresque movere ſolet. Utiliterque expediit adverſus morſum rabidi canis atque nervoſos morbos. Equidem memini plurimum auxilii eam afferre in reſolutionum variis ſpeciebus.

Adultis ad quinque vel decem grana, intra unum vel alterum nychthemerum exhibetur.

Flores ſalis ammoniaci martiales.

Praeſtant uſu in obſtructionibus, ubi vires ſimul firmandae ſunt, febrium quartanarum et chloroſis exemplo. Granis aliquot incipiatur, augetur autem portio ad ſcrupulum aut ad drachmam integram. V. *pulvis antifebrilis.* Potentius etiam valuerunt et externo et interno uſu, aucta paullatim ad drachmas aliquot doſi, adverſus carcinomata: cuius quidem rei ipſe haudquaquam teſtis, auctoribus id affirmantibus facile fidem habeo.

Flores arnicae verae.

Acrimoniam habent et amarorem, admodumque, aqua infuſi, reſolvere colluvies mucoſas pulmonumque obſtructiones poſſunt. Quin praedicantur etiam in haemoptyſi, ubi ſanguinem extra vaſa effuſum discutere dicuntur. Suadentur praeterea

ad morbos nervoſos febresque intermittentes diuturnas.

Cum vero acrimonia polleant vomitumque maiore portione ciere poſſint, pauxilla eorum portio inſigni aquae copia infundi, e. g. drachma unica aquae libra: augeri deinde debet, prout morbi ratio id hortatur. V. *ſpecies pectorales reſolventes.*

Flores chamomillae vulgares.

Ob antiſpaſticam et carminativam indolem optime aqua infuſi adverſus ſpaſmos expediunt. Poteſt iis aqua coctis alvus etiam perlui.

Obſervatum praeterea eſt, expedire eosdem in pulverem redactos, ad ſcrupulum unum vel alterum in febribus intermittentibus. Adminiculo ſunt hypochondriacis, maxime ſi ratio ſimul obſtructionum eſt habenda. Reſolvente enim vi eosdem gaudere, vel inde patet, quod aqua infuſi vomitum nonnunquam cieant. V. *pulvis ecphracticus.*

Flores ſambuci.

Molliunt ii, discutiunt, atque propter balſamicas partes ſudorem movent. V. *aqua florum ſambuci.*

Flores ſulfuris.

Vocatur ita ſulfur depuratum. Adhibetur potiſſimum in ſcabie, ubi ſpecifici vim exſerit. V. *hepar ſulfuris.*

Commendatur etiam, tartari cremore mixtum adverſus affectus, qui haemorrhoidum fluxum excipiunt. Egregie ceteroquin confert iis, qui obſtructiones iecinoris venaeque portarum patiuntur. Decem eius vel triginta grana quotidie exhibentur.

Flores Zinci.

Primum *luna ſixata Ludemanni* appellati, ſummas laudes tulerunt in nervorum distentionibus: multum tamen de gloria eorum nuperrima tempora detraxerunt. Neque eo minus adhiberi poſſunt, ubi peculiaria nulla ſymptomata nos hortantur ad rationalem quandam methodum, citraque emolumentum varia iam adhibita fuerunt ſpecifica. Dimidium vel integrum granum initio exhibetur, paullatimque doſis augetur. Optime agere obſervatum eſt, cum acida non efferveſcunt cum iis.

Gargariſma adſtringens.

℞. Aquae fontanae uncias decem,
Eſſentiae pimpinellae albae unciam dimidiam,
Aluminis crudi drachmas duas.
Mixta dentur.

Quodſi uvula nimis relaxata dependet, commodiſſimum id gargariſma eſſe ſolet.

Gargariſma reſolvens.

℞. Oxymellis ſimplicis uncias duas,
Nitri depurati unciam dimidiam,
Eſſentiae pimpinellae albae drachmas duas,
Aquae florum ſambuci uncias decem.
Mixta dentur.

Globuli martiales.

Ferrum in acido tartari ſolutum inſpiſſatur. Formantur e tenaci maſſa globuli ad unciam dimidiam vel unicam. Iis utimur, ut frigida balnea ferreis particulis impraegnentur. Prius enim ſolutae aliquot unciae admiſcentur aquae.

Gummis ammoniaca.

Eximie reſolvit, ſputa in pulmonum morbis promovet ibique locum obtinet, ubi ablata eſt inflammatio. V. *pilulae reſolventes* et *ſyrupus pectoralis reſolvens.* Per ſe capi poteſt ad duas usque drachmas per diem. Satius tamen eſt forma ſoluta eam exhibere. Ubi ſales obtinent, expedit ſal ammoniacus, ut ſolutio in aquis promoveatur. Praeterea ſolvitur etiam in oxymelle, vitello ovi et gummi arabica.

Gummis arabica.

Inſpiſſata eſt et blanda mucilago, quae ad tollendam inteſtinorum nimiam irritabilitatem, in al-

vo diutiſſime fuſa, et intus ſumta et clyſmatibus iniecta egregie confert. Solvi etiam eius ope mercurius poteſt. V. *mercurii ſolutio Plenkiana.*

Gummis aſae foetidae.

Eximie ſolvit ſpaſmosque ſedat: utilis itaque ad hypochondriacos et hyſtericos affectus, cum obſtructa ſimul abdominis viſcera ſunt, maxime ad oſſium morbos ab acrimonia rheumatica et ſcrofuloſa. V. *pilulae antihyſtericae.* Solvi etiam in aqua poteſt. Exhibetur ad drachmas duas per diem. Extus applicita egregie confert ad diſcutiendos tumores frigidos. V. *emplaſtrum reſolvens Schmuckeri.*

Gummis euphorbii.

Remedium acriter irritans, quo extus, tamquam epiſpaſtico, uti poſſumus. V. *emplaſtrum veſicatorium perpetuum.*

Gummis galbani.

Eius effectus apprime congruit cum gummi ammoniaca: magis tamen calefacit ſpaſmosque potentius ſedat, ob oleum adhaerens eſſentiale, quo ammoniaca gummis vacat: expedit itaque in hypochondriacis hyſtericisque affectibus. V. *pilulae antihyſtericae.*

Gummis guaiaci nativa.

Praeter gummoſas partes habet etiam reſinam acrem, optimeque reſolvit rheumaticos tumores. Emoliri ſimul humores ſolet; atque ad duas drachmas per diem exhibetur, prout rationes ceterae id poſtulant. In aqua commodiſſime ſolvitur ſalis ammoniaci ope, aut, cum is nimis irritat, gummis arabicae. Poteſt tamen etiam in pilulis exhiberi. V. *pilulae reſolventes.* Dum vero teneriuscula corporis eſt compages, conſultius agitur extracto aquoſo. V. *lignum guaiaci.*

Gummis guttae.

Ad acria pertinet draſtica, poteſt ergo in hydropibus atque taeniis duntaxat adhiberi.

Recentiora docuerunt experimenta, acrem eius indolem mannae ope poſſe mitigari. In hydropibus optime exhibetur cum aliis remediis. V. *pilulae antihydropicae.* Adverſus taenias ita imperatur, ut triginta grana, in tres portiones distributa, per diem conſumantur.

Gummis myrrhae.

Quod quidem remedium, licet laudes olim adverſus ſuppurationes internas tulerit, circumſpectiſſime tamen ordinari debet, ſicut et alia balſamica. Ubi vel aliquantulum in inflammationes aegri ver-

gunt, has ciere ea remedia poſſunt. Ad mucoſam phthiſin ſuppetunt plerumque alia remedia, quamvis et cortici peruviano decem aut triginta granis addere hanc gummin liceat. Extus applicatum abſtergit et putredini reſiſtit. V. *liquamen myrrhae.*

Hepar ſulfuris.

Sulfur ſiſtit ſicca via in fixo alcali ſolutum. Eo modo magis volatile ac penetrans fit ſulfur, egregieque expedit adverſus ſcabies inveteratas. Solvitur eius drachma unica in aqua, omnique hora ſumitur, quantum cochlear capit. Paullatim augetur portio ad dimidiam usque unciam, dumne vomitum citet. Poteſt etiam balneum excipere hepatis eius unciam.

Proſpiciatur tamen ubique, ut recens ſemper paretur, cum ſulfur, ob maiorem volatilitatem dispergi in aëra ſolumque alcali relinquere ſoleat, quod officit magis quam prodeſt in acrimonia ſanguinis ſcabioſa.

Egregie etiam ſulfuris hepar confert, cum venena cauſtica, arſenici et mercurii ſublimati exemplo, ſumta ſunt, cum ad ea accedere eaque mitigare ſoleat. Cauſtica ſua indole privatur arſenicum, dum hepati nubitur, ſublimatusque mercurius ſalibus alcalinis deſtruitur.

Experiri praeterea liceret, an ſaluti etiam ſit in ſtrumis incipientibus. Quas ſaepius praedicarunt,

ovorum teſtae hanc vim ob hepar duntaxat ſulfuris ipſis adhaerens, quod manifeſto odore percipitur, exſerere mihi videntur.

Herba ariſtolochiae rotundae.

Folia recentia utiliter adhibentur ad ulcera externa et exanthemata. Molliunt enim et ſiccant.

Herba boni Henrici.

Recens herba commodiſſime applicatur ad exanthemata, quorum bonam ſuppurationem promovet.

Herba centaurii minoris.

Ad amaras pertinet, quae reſolventibus gaudent et roborantibus facultatibus. Extracto utimur, quod e florentibus ſummitatibus paratur. V. *extractum centaurii minoris.*

Herba cicutae.

Eſt ea conii maculati proprie herba, quae ad carcinoma ſcrofuloſamque duritiem laudatur: neque ambigi poteſt, ſubinde adminiculo fuiſſe, licet ſaepius labores noſtros fruſtretur. Plurimum ſane referret certius definire eos caſus, ubi efficax fuit.

Commodiſſime pilulae parantur ex herba recenti in pulverem redacto atque ex extracto, aequis portionibus: incipi poteſt grano uno vel altero, au-

genda tamen paullatim doſis. Equidem ſine damno ad centum per diem grana vorare hoc modo iuſſi ac nonnunquam egregios inde effectus obſervavi. Neque tamen eo minus, nervis affectis vertiginem pertinacem ciet, quam vegetabilium acidorum copioſo hauſtu auferre ſatagendum eſt.

Interdum puſtulas excitat eryſipelaceas in facie partibusque affectis: certoque explorari poſſe non videtur, eiicianturne eae puſtulae acrimonia ſcrofuloſa, quam cicuta emoliatur, an ipſo remedio producantur. Adlevamentum ſaltem inſigne inde nunquam animadverti.

Herba cochleariae.

Praeſtantiſſima eſt omnium plantarum, quae adverſus ſcorbutum adhibentur. Groenlandica ſpecies, in hortis noſtris culta, communem antecellit: oportet tamen recenti ea uti. V. *conſerva antiſcorbutica.*

Herba malvae.

Eximium molliens, quod pectorales ſpecies ingreditur atque externe etiam ad inflammatorias ſtaſes adhibetur.

Herba meliloti.

Pertinet quoque ad mollientes et diſcutientes plantas. V. *ſpecies pro cataplaſmate.*

Herba menthae.

Praedita eſt imprimis antiſpaſtica et carminativa facultate. Praeferenda mentha piperita vulgari, cum debilitate ventriculus laborat. Vid. *aqua menthae.*

Herba milleſolii.

Aqua infuſa auxilio ſaepius fuit in moleſtiis haemorrhoidalibus: ſpaſmos praeterea potentius ſedat, quam chamomilla.

Herba nicotianae.

Cocta ea aut fumus eiusdem ad alvi lotiones adhibetur. Ubicunque validius irritare cupimus, fumo: ubi vero vulgaria remedia ad alvum ſolvendam non ſufficiunt, cocta nicotiana uti licet.

Herba ſabinae.

Pellentibus potioribus ea adnumeratur, ibi adhibenda, ubi alia remedia ſatis agere non videntur. Circumſpecte tamen portio distribuenda, paucisque ubique granis incipienda curatio. Externe etiam commendatur ad condylomata venerea: ſatius tamen eſt mercurio uti nitroſo.

Herba trifolii fibrini.

Amara eſt et reſolvens herba. V. *extractum trifolii fibrini.*

Herba

Herba uvae urſi.

Adminiculo eſſe iis, qui calculorum doloribus torquentur, dimidia drachma per diem conſumta, obſervatum eſt. Videtur tamen urinae quoddam vitium adeſſe in calculo, quod iis omnibus remediis corrigitur, quae adverſus dolores calculorum utilia fuerunt, neque calculus ipſe inde ſolutionem patitur.

Kermes minerale.

Cocto antimonio cum alcali fixo, deinde colato frigorique commiſſo rubicundus pulvis fundum petit, qui hepar ſulfuris cum partibus regulinis conſtituit. Elutus is pulvis et ſiccatus minerale kermes exhibet, quod parum tantummodo differt ab hepate antimonii, cum alcalinae partes omnes elutae ſunt. Quodſi autem pulvis non eluitur, ſed a lixivio ſuo ſeparatus ſiccatur, remedium nanciſcimur, quod plerumque, ni ſemper, praeferendum eſſe ſulfuri antimonii videtur.

Non ablutus is pulvis expeditiſſime iuvat morbos inveteratos ex acrimonia ſcabioſa, herpetica et ſcrofuloſa, dum auctis paullatim doſibus ſumitur. Cum propter alcali vegetabile facile madeſcat, ſatius eſt ex ſale ſodae id parare. Debiliori ceteroquin modo vomitum ciere kermes ſolet, quam pri-

mum ſulfuris antimonii praecipitatum, potentiori vero quam tertium.

Lapides cancrorum.

Egregie ii abſorbent: ſubſtitui poſſunt oſtrearum teſtis et magneſiae ſalis communis, quamvis ceteris fere omnibus haec palmam praeripere ſoleat, cum omnibus fere acidis nupta ſalem efformet ſolubilem.

Laudanum liquidum Sydenhami.

℞. Opii thebaici uncias duas,
Croci orientalis unciam unam,
Pulveris cinnamomi,
— caryophyllorum, ſingulorum drachmam unciam,
Vini hiſpanici libram unam.
Digeſta colata dentur.

Quamvis conſultius agitur opio per ſe, pulveris forma adhibito, hoc tamen praeparatum in vulgus adeo pervulgatum eſt, ut cognoſcere id neceſſarium ſit. Secundum formulam hic ordinatam, ſex circiter guttulae unicum opii granum continere debent. Cum vero vinum non penitus ſolvere poſſit opium, atque ſaepius deinde aliquid iterum excernatur, decem ſolummodo aut quindecim guttae uni-

cum opii granum continere videntur. Ibi praeprimis haec medicina confert, ubi debilitatae ſimul partes ſunt.

Lichen caninus.

Laudibus id remedium MEADIUS praeprimis adverſus rabiem caninam extulit. Duabus eius partibus Angli ſolent piper admiſcere, *pulveris*que *antilyſſi* nomine inſignire. Ratiocinio quidem facultas nulla eius algae detegi poteſt: piperique forte maxima pars efficaciae merito tribuitur. Neque tamen in eiusmodi atrociſſimo morbo decet, aliquid ratiocinio ſolo decernere.

Lichen islandicus.

Maxime nutrientem mucum cum amari inſigni portione ea alga continet. Proprietates eae ratione auxilium iam praeſtolantur: eaque coniectura ſtabilitur experientia.

In febribus hecticis, ubi vires ex toto deficiunt fibrarumque cohaerentia, deinde etiam in dyſenteria, cum inteſtinorum mucus reſtituendus fibraeque eorum firmandae ſunt, ſuaderi poteſt uſus eiusdem remedii: coquitur autem uncia eiusdem unica lactis libra: colata mixtura paullatim per diem conſumitur. In dysenteria vero aqua ſola coquitur.

Lignum campechenſe.

Recentiores experientiae probarunt adſtringentem atque demulcentem eius ligni facultatem. Differt autem a proximis, quod neque irritet neque calefaciat.

Lignum iuniperi.

Sanguinem purgat movetque urinam. V. *ſpecies purificantes.*

Lignum guaiaci.

Dicitur etiam ſanctum. Utrumque quidem disterminatur in hiſtoria naturali, negligi tamen ea differentia a medico debet, cum ſeplaſiario fidem habere hoc potiſſimum nomine neceſſe ſit. Verum guaiaci lignum gravius eſſe ac magis reſinoſum dicitur ſancto. Egregie autem reſolvit, atque ad luem veneream curandam in India adhibetur. Noſtrates utuntur cocto eo, dum morbus venereus admodum iam adolevit, maxime adverſus dolores articulorum venereos.

Cum ptiſanarum copioſi hauſtus ſtomachum infirmare ſoleant, conſultiſſimum eſt uncias eius ligni quatuor in duabus aquae libris coquere, ut dimidia pars ſuperſit: calida ea aqua propinatur ad uncias aliquot matutino tempore et veſpertino, ut cutis ſimul molliatur. Videtur enim in calidis regioni-

bus iccirco tantopere iuvare, quod calore verſus cutim pellatur.

Conſtat etiam, alvum id facile liquare, cum diaphoreſis negligitur: neque tamen ea excretio adeo proficua ac tranſpiratio eſſe videtur. Quod supereſt, circumſpecte exhibetur lignum id irritans aridis et teneritate laborantibus.

Lignum quaſſiae.

Putredinem arcet, reſolvit partesque firmat. Hinc utiliter exhibetur iis, qui putridis febribus et arthriticis affectibus laborant, cum reſolvat, nervorum robur adaugeat, excretionem nullam offendat, neque calefaciat, cum oleo aethereo vacet. Commodiſſime infuſum aqua propinatur. Drachmae aliquot aquae libra coquuntur, omnique hora eius hauritur, quantum cochlear aut vas capit, quo ad theae infuſum bibendum utimur.

Limatura martis.

Optime ferrum firmat partes, ac acorem primarum viarum aufert. Decem granis aut drachma unica quotidie imperatur. Quodſi crudum id ferre ventriculus nequit, vini genus, aegro eiusque conſtitutioni idoneum, digerere cum limatura martis oportet.

Linimentum antiſpaſticum.

℞. Unguenti althaeae uncias duas,
Camforae,
Laudani liquidi Sydenhami, ſingulorum drachmam unicam.
Mixta dentur.

Expeditiſſime id iuvat motus inteſtinorum ſpaſticos, avertique inflammatio eorum eo poteſt. Inungitur abdomen aliquot drachmis, ſuperligatur autem linamentum laneum calefactum.

Liquamen myrrhae.

℞. Gummis myrrhae drachmam unicam,
Cum vitelli ovorum quantitate ſufficiente,
Solvatur in aquae florum Sambuci unciis ſex.
Detur.

Vetus quoddam praeceptum iubet myrrham albumine ovi cocto ſubactam in cella ſuspendere. Abſonum id praeceptum anceps reddit ac incertum eius remedii nomen.

In ulceribus, quorum ſolidae partes nimis laxatae ſunt, ut et in morbis oculorum egregie id remedium ſaepius iuvat.

Liquor anodynus.

Spiritus vini maxime rectificatus oleo vitrioli albo mixtus remedium exhibet, quod Halleri

auctoritate adverſus ſpaſticos affectus commendatum, ipſius nomen fert. Ad decem vel viginti guttas in vaſe aqua repleto dilutum, quotidie aliquoties propinatur. Multis tamen infeſtum eſt ob vomitum aut ventriculi dolores, quos excitat.

Deſtillata ea mixtione aethereum oleum naſcitur, quod *naphtha vitrioli* dictum, guttatim ſacchаro inſtillatur. Quae naphtha ſpiritu vini diluta *liquorem* ſiſtit *anodynum*, qui ad decem vel quindecim guttas exhibitus, ſpaſmos ſedare ſolet.

Impraegnato eo ferri particulis, *liquorem* naniſcimur *anodynum marte imbutum*, cuius effectus affines ſunt *guttis* Bestucheffii famigeratiſſimis: expedit ille in nervorum diſtentionibus cum ſtomachi imbecillitate, ad octo vel decem guttas exhibitus.

Paratur autem ſequenti modo. Purum ferrum ſolvitur ad ſaturationem usque in acido ſalis rectificato: abſtrahitur ea ſolutio ad ſiccitatem usque; tunc vero ignis augetur, donec ſal omnis ſublimatus fuerit. Is ſublimatus ſal iubetur tunc liqueſcere; pars autem eius duabus partibus naphthae vitrioli admixta, exacte ſubigitur, ut naphtha ferrum recipiat, acidum vero ſalis in fundo ſuperſit, quo facto naphtha effuſa uſui ſervatur. Ea, particulis ferreis nupta, aureum habet colorem, evaneſcentem, dum ſolis radiis exponitur; ex toto enim tunc albeſcere,

neque prius aureum adipiſci colorem ſolet, quam umbrae expoſita fuerit.

Non aliena eſt, ad octo vel decem guttas, adverſus ſpaſmos ex imbecillitate primarum viarum ortos. Neque tamen, mea quidem experientia, id praeſtitit, quod primi inventores polliciti ſunt.

Liquor cornu cervi ſuccinatus.

Sal ille neuter componitur ex alcali cornu cervi volatili, cum acido ſuccini ſaturato: poteſt autem ad arthriticas nervorum distentiones, octo vel decem guttis imperatus.

Cum ſudorem admodum ciere ſoleat, obtinet etiam in febribus malignis.

Liquor terrae foliatae tartari.

Conficitur ex alcali vegetabili fixo ac aceto. Cum ſaturata ea mixtio inſpiſſatur, ſuperſunt plurimae partes empyreumaticae, quae facile calefaciunt. Quodſi ſalem oleoſis iis particulis privare volueris, nimium acidum ſaepius diſpergitur, ut alcali non penitus ſaturetur.

Conſultius itaque agimus, cum ſemper, quantum ſufficit, alcali aceto ſaturatum, aliis remediis, prout rationes aliae id hortantur, miſcemus, quo facto certiores eſſe poſſumus, perfectum nos ſalem

neutrum accepiſſe, ipſumque remedium minoris pretii eſſe ſolet.

Egregie reſolvit, maxime glandulas meſaraicas infantum, obſtructione laborantes. Mihi vero ſequens potiſſimum formula eximie contuliſſe ſemper viſa eſt.

℞. Salis tartari depurati drachmam unicam,
ſaturetur cum
Aceto vini,
admiſce
Tincturae rhei aquoſae unciam unam,
Aquae benedictae Rulandi drachmam unam.
Mixta dentur.

Incipiendum eſt infantibus annos aliquot natis, ita ut viginti guttas ter quotidie ſumant, aucta paullatim doſi. Adultioribus etiam, quibus alia remedia non conferunt, cum vel nimis irritent vel nimis calefaciant, idonea eſt haec mixtio, dum ſatis eius hauritur, diutiusque adhibetur. Saturatum acido citri alcali egregium praebet temperans in bilioſis febribus, expedit praeterea, ut bilis ſolvatur eiusque turgor promoveatur. Hoc autem caſu ſequentem formulam ordinare ſoleo.

℞. Salis tartari drachmas tres,
ſaturentur cum
Succo citri,
admiſce

Syrupi ex acido citri unciam unam,
Aquae benedictae Rulandi drachmam unam.
Mixta data ſignentur: quavis hora, quantum cochlear vulgare capit, hauriendum.

Magiſterium ſaturni.

Paratur id ex extracto ſaturni aqua praecipitato èt diligentiſſime eluto. Quamquam pronius ſit ad ſidem, eodem modo ſaturni extractum acturum eſſe, experientia tamen eam coniecturam haudquaquam confirmavit.

Videtur autem acidum offendere peculiarem plumbi actionem. Calx plumbi eluta commodiſſima eſt, extus applicita, ad herpetes aliaque cutis vitia: utimur autem ea, vel diluta vel ovorum oleo mixta.

Magneſia ſalis ſedlizenſis.

Aptius nomen terrae eſſet muriaticae aut magneſiae muriaticae, cum acido ſalis frequenter nupta, parato etiam ſale culinarum elici ſoleat: aptius id nomen eſſet, ad diſtinguendum id remedium a nitri magneſia obſoleta.

Eſt autem terra quaedam abſorbens, quae facillime ſolvitur, atque cum acidis format ſales neutras ſolubiles, quod omnino alienum eſt ab aliis terris abſorbentibus. Circumſpiciendum tamen, ne uſta

ſit, cum in calcem mutata minus ſolubilis eſſe ſoleat.

Exhibetur ad decem vel viginti grana. Maiore copia leniter alvum liquare ſolet. Plerumque aliis additur remediis. V. *mixtura refrigerans* et *pulvis ecphracticus*.

Manna.

Leniter alvum ducit caloremque minuit, idonea maxime infantibus aut iis, qui teneritate et ſiccitate laborant. Infantibus propinanda ad unciam, adultioribus ad plures.

Mel.

Reſolvere, propter olei autem plurimam partem ſimul calefacere ſolet. Tutiſſime expedit in mucoſa colluvie. Pectus ſputis elicitis adlevat, alvumque liquat. In febribus aptiſſime aceto miſcetur. V. *oxymel.*

Extus maxime confert, ut abſceſſus et ulcera bonum pus acquirant facileque ſaneſcant.

Mercurius currens.

Ut uſui aptus ſit, ſolvere mercurium prius oportet. Olim quidem vivum exhibebatur hydrargyrum adverſus alvum pertinaciter adſtrictam. Anceps tamen ſucceſſus noxas adhuc ſaepe plures minitatur.

In plenum autem peculiari et ſpecifico modo mercurius iuvat affectus venereos: emolitur virus venereum, ſalivae ope. Salibus ſolutus egregie ſimul reſolvere vermesque propellere ſolet.

Mercurius dulcis.

Sublimatus proprie eſt, vivo mercurio ſaturatus. Quae ſaturatio dum perfecte, repetita admixtione, et ſublimatione, inſtituitur, *calomelanos* aut *panaceae mercurialis* nomine venit.

Intereſt itaque inter calomelas et dulcem mercurium, hunc acrimonia exſuperare magisque penetrare, cum acres particulae non perfecte ſaturatae ſint, calomelas autem eo blandius fiat, quo ſaepius ſublimatus eſt, ut peculiarem denique vim fere amittat, ſolaque eius facultas diaphoretica ſuperſit.

Multo valentius agit mercurius dulcis calomelane in pertinacibus morbis venereis, ubi praeſertim reſolvere opus eſt, ubi autem acriora mercurialia incongrua eſſe ob pectoris imbecillitatem humorumque acrimoniam videntur.

Proſpiciendum tamen ii, qui adhibere id remedium cupit, ne alvum fundat. Alio autem modo ſe habet, cum alvum ducere opus eſt. V. *pilulae purgantes mercuriales.* Aptiſſime eo caſu ſaccharo miſcetur, aut cum Hiſpanico ſapone in pilularum maſſam redigitur.

Noſtris demum temporibus curatio commendata eſt, qua frictis mercurio genis ad interiorem faciem ſalivam ciere ſatagunt. Subinde ea confert, cum mercurialia iam adhibita nullum provocarunt ſalivae curſum. Totam autem eo modo curationem perficere, anceps certe eſſet: mercurio enim tempus non ſuppetit, ut viro miſceatur venereo, eiiceretur itaque e corpore, citra veneni excretionem.

Optime etiam dulcis mercurius conferre ſolet ad articulorum dolores et glandularum obſtructiones. Utiliter autem aliis tunc additur remediis.

Cum potentius reſolvere mercurius conſueſcat, praeceptum eſt, abſtinere eodem in putridis morbis. Neque tamen febrili putredini humorum alienus eſſe videtur, cum calomelanos ſaltem uſus in angina gangraenoſa conſtet: ubique enim iuvit, ſi ſalivam cieret. Cuius rationis quamquam ego teſtis non ſum, magni tamen momenti eam inſtar habere exiſtimo.

Commoda etiam frictio ad oris ſuperficiem ibi eſſe videtur, cum, quam primum fieri poteſt, ſalivae profluvium excitare neceſſe ſit. Expeditiſſime ſaepius quartanas febres eam ſuſtuliſſe, ipſe obſervavi.

Mercurius gummoſus.

Dicitur id remedium etiam ſolutio Plenkiana. Tantum autem abeſt, ut hydrargyri proprietates

mutatae ſint, ut in partes potius homogeneas ſolutus eſſe videatur. Cum ſales inimici eſſe ſummae teneritati ac ſenſui acutiſſimo videntur, id remedium egregie confert, ſicut et adverſus oculorum affectus venereos.

Ex hydrargyri parte una, tribusque partibus gummis arabicae ita paratur, ut, dum invicem teruntur, paullatim admiſceatur ſyrupi pauxillum ex rheo et cichoreo, donec omnis mercurius in mucilagine ſolutus ſit.

Imperatur autem ea ſolutio, vel per ſe, vel aqua diluta, vel panis micae ope in pilularum maſſam redacta: proſpiciatur autem, ut decem grana eius, mane et veſperi ingerantur, paullatimque portio augeatur, ſi ſalivae curſus proliciendus eſſe videtur. Excipere poteſt eam ſolutionem lac tepidum, ſi gargariſmate aut oculorum fomentis opus eſt.

Mercurius nitroſus.

Cauſticam et reſolventem ſuam facultatem in pervicacibus, maxime oſſium, affectibus venereis, ut et in impuris ulceribus venereis exſerit.

Diutiſſime iamiam in uſum venit. Conſtituit enim CHARASII *eſſentiam mercurialem*, *mercurium liquidum* diſpenſatorii Pariſienſis, *aquam griſeam* GOHLII, (diſpenſatoriorum veterum Brandenburgenſium,) *liquorem* BELLOSTII, *unguen-*

tum citrinum Pariſienſe ac *ſyrupum mercurialem* Belleti.

Internum eius uſum ubique ancipitem, ni periculoſum, duxerunt. Equidem vero ſatis id remedium expertus ſum, ibique mihi ſuppetere videtur, ubi alia remedia inutilia ſunt. Cum damnum id proferre nunquam animadverterim, praeferendum mercurio ſublimato eſſe videtur.

Opus tamen eſt, ut perfecto acidum nitri mercurio ſaturetur: cumque eandem habere vim haudquaquam ſoleat, neceſſe etiam eſt ſcire, quanta mercurii copia in ſolutionis data quantitate contenta ſit. Duae enim drachmae et duo ſcrupuli mercurii in uncia una ſpiritus nitri contentae rationem eam indicant, quod ſolutionis tres partes unam teneant mercurii. Eo autem caſu duabus guttis, ſufficiente aquae quantitate ſolutis, matutino tempore et veſpertino exhibitis incipiendum eſt.

Aquam puram eſſe atque deſtillatam oportet, cum ſolutio alias deſtruatur. Quodſi alvus inde aut vomitus cietur, pauxillum detrahendum eſt, ut unica tantum guttula propinetur, iterumque portio ad quatuor vel quinque guttas augeatur. Salutem neutiquam praeſtolatur, dum urinam nequaquam, ſed alvum tantummodo ciet; tunc vero opus eſt, ad blandiorem praeparationem confugere.

Sufficiente aquae copia dilutus optimam etiam exhibet aquam phagadaenicam; cumque adeps eam excipit, egregium ſiſtit unguentum ad ſcabiem.

Mercurius praecipitatus albus.

Affuſo acido ſalis ad mercurium in nitri acido ſolutum, calx praecipitatur, e mercurio et ſalis acido compoſita. Leviter tamen mercurio id acidum adhaeret, ideoque minime ſatis corroſivus eſſe videtur. Extus duntaxat applicatur, aptiſſimus ad herpetes, ulcera atque ſcabiem, ex acrimonia ſcrofuloſa ortam. V. *unguentum mercuriale album.*

Mercurius praecipitatus ruber.

Abſtracto acido nitri ex mercurii ſolutione in eodem, ſupereſt calx rubicunda, praecipitati nomine ſatis indigna. Utimur ea extus tantummodo, ad detergenda ulcera ſcrofuloſa et venerea. V. *unguentum mercuriale rubrum.*

Mercurius ſublimatus.

Componitur is mercurio ac acido ſalis. Eius autem ſolutio in ſpiritu vini tenui, Swietenii nomen fert. Eandem vim habet mercurius ſublimatus ac nitroſus. Cumque ſaepius debilius agat, hunc praeferre ſoleo.

Mercu-

Mercurius tartariſatus.

Saepiuscule confert venereis morbis, dum humores ſcorbutica acrimonia laborant. Conficitur e mercurii parte una, cremoriſque tartari duabus intime tritis; imperatur ad quinque vel decem grana. Maiore pollet efficacia, cum mercurius per ſe in calcem mutatus ſolvitur in tartari acido. Conſtituit enim, manna iunctus, *pilulas* celebres Kaiseri.

Millepedes.

Leniter urinam provocat, quo uti licet ad decem grana, ſi citra irritationem urinae curſum prolicere cupiveris. Aptiſſimus ſuccus e vermibus recens expreſſus ſiccatis animalculis ſaltem praeferendus eſt.

Mixtura acida.

℞. Olei vitrioli albi drachmam unam,
Aquae deſtillatae uncias viginti,
Oxymellis ſimplicis uncias quatuor.
Mixta dentur.

Qui putridis febribus laborant, commode iubentur quavis hora eius mixturae bibere, quantum vas dimidium capit, quo theae infuſum haurimus. Ad ſcabiem minore portione incipere, omnique bihorio aequam portionem ſumere oportet.

Mixtura diaphoretica.

℞. Nitri antimoniati per inſpiſſationem parati drachmas duas,
Spiritus Mindereri uncias quatuor,
Aquae florum ſambuci uncias octo.
Mixta dentur.

Commodiſſima eſt in febris ardentis omni genere, ubi cutim mollire caloremque ſimul minuere decet. Quavis hora haurire opus eſt, quantum vas, quo ad infuſum theae bibendum utimur, capit.

Cum ſtaſes ſimul adſunt inflammatoriae, camforam addere, aut ſpiritu vini ſolutam admiſcere confert.

Simpliciori modo ita paratur:

℞. Nitri antimoniati per inſpiſſationem parati unciam unam,
ſolve in
Aquae fontanae libris duabus,
admiſce
Camforae cum ſacchari quantitate ſufficiente ſcrupulum unicum.
Mixta dentur.

Mixtura refrigerans.

℞. Concharum, ſ. lapidum concrorum, ſ. magneſiae muriatae unciam dimidiam,

ſaturetur cum
Succo citri,
addantur
Aquae menthae ſine vino unciae ſex,
Syrupi ex acido citri uncia una.
Mixta dentur.

Quodſi impetum ſanguinis in iis hominibus, qui, ſenſibus acutioribus praediti, in ſpaſmos vergunt, citra irritationem minuere volueris, eius mixturae bibendum, quantum vas dimidium eius, quam ſupra indicavi, molis, capit, omni hora. Lapides autem cancrorum eligantur, ſi ſtimulo quovis ac excretione omni vacare oportet: magneſia vero praeferatur, ſi alvum ſimul lenire neceſſe eſt, quippe quae, acidis nupta, alvum ſolvere ſoleat.

Mixtura reſolvens.

℞. Salis ammoniaci depurati,
Aquae benedictae Rulandi, ſingulorum drachmas binas,
Oxymellis ſimplicis uncias duas,
Aquae florum chamomillae uncias decem.
Mixta dentur.

In febribus, ubi debellare pervicaces ſtaſes oportet, quavis hora eius mixturae, quantum dimidium vaſculum indicatae molis capit, iubetur.

Simpliciori modo ita conficitur:

℞. Salis ammoniaci depurati unciam dimidiam,
ſolve in
Aquae fontanae unciis ſexdecim,
admiſce
Aquae benedictae Rulandi unciam dimidiam.
Mixta dentur.

Mixtura ſolvens.

℞. Salis mirabilis Glauberi unciam unam,
Nitri depurati drachmam unam,
Aquae florum chamomillae ſine vino uncias
ſex,
Oxymellis ſimplicis unciam unam,
Aquae benedictae Rulandi drachmam unam.
Mixta dentur.

Omni hora, quantum cochlear capit, eius mixturae hauſtum egregie confert, ut mobiles fiant ſordes ventriculi ac excretioni idoneae.

Simplicius ita paratur:

℞. Salis mirabilis Glauberi,
Nitri depurati, ſingulorum unciam unam,
ſolve in
Aquae fontanae unciis ſexdecim,
admiſce
Aquae benedictae Rulandi unciam dimidiam.
Mixta dentur.

Mixtura temperans.

℞. Nitri depurati unciam dimidiam,
Oxymellis ſimplicis unciam unam,
Aquae florum chamomillae ſine vino uncias octo.
Mixta dentur.

Aequa eius portio hauſta confert iis, qui ſimplicibus febribus inflammatoriis laborant.

Simplicius:

℞. Nitri depurati unciam unam,
ſolve in
Aquae fontanae unciis duodecim.
Mixta data ſignentur: quantum cochlear capit, quavis hora ſumendum.

Moſchus.

Spaſmos ille mitigat nervosque firmat, ideoque expedit adverſus eos affectus, qui debilitatum ſequuntur nervorum ſyſtema. Solet tamen ſimul calefacere, atque nocere, ſi ſanguis turget, teneritateque partes laborant.

Ingenue praeterea confiteor, ea emolumenta praeſtare eum in nervoſis febribus mihi quidem non videri, quae alii medici praedicarunt. Aptiſſimus eſſe ad imbecillitatem hyſtericam videtur, ni ſingulari modo aegrae eum abhorreant. Paucis granis

incipere, paullatimque portionem augere ad decem usque grana licet.

Nitrum antimoniatum.

Solet ita vulgo confici, ut lixivium poſt elutum antimonium diaphoreticum ſuperſtes, particulis volatilibus in vaporem diſperſis, cryſtallos formare iubeatur. Eo quidem modo nitrum tartarusque vitriolatus naſcuntur, citra antimoniales partes, quae in lixivio remanent. Quodſi vero totum inſpiſſatur lixivium, materies ſupereſt perlata, quae eo magis efficax eſt, quo maiorem alcalini ſalis copiam tenet.

Hinc id quoque duntaxat commendo, quod inſpiſſato lixivio paratur. Potentius id reſolvit vulgari nitro, ſudores movet, unde praeferendum ipſi nitro in inflammationibus eſſe videtur. V. *mixtura diaphoretica.*

Vomitus quem antimonii particulae non raro cient, impediri poteſt, ſi exiguis portiunculis incipitur, aucta paullatim doſi. Solvi poſſunt duae drachmae in aquae unciis ſex vel octo, cuius protinus ſumendum, quantum cochlear capit, omni hora.

Quod remedium ſi ad manus non eſt, ſubſtituere licet antimonium diaphoreticum non ablutum, quod ab illo maiore tantummodo calcis antimonii copia differt, minore itaque portione exhibendum.

Neque acidis addi debet vegetabilibus, quibus facile deſtrui poteſt.

Nitrum depuratum.

Cum crudum ſemper fere ſalem contineat culinarem, eo privari oportet, ſi intus ſumere illum iuſſeris. Solutione ſola in cryſtallos abiens culinari ſale orbatur. Primi qui formantur cryſtalli puriſſimum ſiſtunt nitrum, cum ſal culinaris in lixivio ſuperſtes, ultimo loco formari ſoleat.

Solutum in aqua nitrum depuratum frigus excitare ſolet. Cum itaque non ſolutum ſumitur, ventriculo frigus conciliat, eoque reſpectu temperantis remedii nomen meretur.

Ex illo autem partis cuiusdam frigore cum facile tardari poſſit ſanguis in minimis vaſculis, faſtidiumque et vomitus cieri in ventriculi ſenſu acutiori, conſultius prius ſolvitur. V. *mixtura temperans.*

Praeter eam facultatem reſolvit ſimul et penetrat, maxime dum fluidi copia plurima diluitur. Confert igitur, potu vulgari id exhibere.

Quia in febribus inflammatoriis aeſtus excipere ſtimulum eoque ortas ſtaſes ſolet, nitrum ita aeſtui ii minuendo par eſt, ut ſtaſes auferat, id per ſudorem ac urinam emoliatur, quod irritavit, eoque potiſſimum nomine temperans appellari poteſt. Hinc

etiam, eodem modo imperatum, eximie prodeſt in rheumatiſmis acutis.

Ubi imbecillum corpus ſanguinis impetuoſo circuitu exercetur, aut diuturnis eius profuſionibus, expedit nitrum ſpiritu vini aut aqua quadam aromatica ſolutum.

Ubi ſenſu acuto ventriculus pollet, drachmam conſumere per duodecim horarum ſpatium licet, augenda tamen, prout rationes ceterae id exigunt, portio ad unciam usque, praecipue in inflammationibus, ubi diluendi ſimul humores potibus copioſis.

Oleum animale Dippelii.

Leniter deſtillatum oleum cornu cervi foetidum protinus praebet ſpiritum cornu cervi, deinde albidum oleum, quod maxime volatile eſt ac penetrans, ſaepiusque egregie prodeſt in nervorum affectibus.

Guttulis aliquot incipiendum, paullatimque portio augenda ad triginta vel quadraginta guttas.

Oleum aniſi.

Purgantia remedia irritabilibus inteſtinis exhibenda aptiſſime oleo eo miſcentur, cum ſpaſmos mitiget ſtimulumque praepotentem minuat neque tamen efficaciam purgantium offendat. Movere ſimul ſudorem ſolet.

Ex utraque autem ratione adverſus acria venena ſpecifico agere modo creditur. Triginta autem guttae ſimul exhibentur.

Oleum caieput.

Comburitur, ac ex toto, camforae ad inſtar, diſpergitur, ſine ulla ſuperſtite particula. Subſtitui igitur camforae poteſt, cum aegri eam peculiari modo abhorrent, neceſſarium autem videtur, motus humorum internos augere citra calorem. Guttis quinque, maxima doſi, voratur.

Oleum caryophyllorum.

Quandoque opem ferre adverſus dentium dolores ſolet, ſi goſſypio inſtillatum denti exeſo inditur.

Oleum chamomillae deſtillatum.

Spaſmos egregie ſedare flatusque propellere ſolet elaeoſaccharum chamomillae. Paratur autem tritis aliquot guttulis olei cum ſaccharo. Miſceri etiam aliis remediis poteſt.

Oleum foeniculi.

Cum ſaccharo tritum flatus etiam emoliri ſolet. V. *pulvis ecphracticus.*

Oleum baccarum iuniperi.

Extus prodeſt adverſus nervorum reſolutiones. V. *unguentum nervinum.*

Utiliter etiam additur aliis remediis, quae urinam cient in hydrope.

Oleum baccarum lauri deſtillatum.

Iamdudum obſervata eſt baccarum earum vis adverſus ſcabiem. Admiſceri itaque id oleum poteſt unguentis ad ſcabiem.

Oleum lini.

Id, ubi recens eſt, optime mollit, adhibetur itaque, aliorum oleorum loco, ad alvi lotiones.

Oleum menthae deſtillatum.

Optime firmat partes, quibus admovetur. V. *unguentum nervinum.*

Oleum millefolii.

Aliquot eius guttas utiliter adhiberi ad moleſtias haemorrhoidales ſoleo. Ubi ſanguis nimio curſu ex ani venis profluit, acidum tartari eſſentiale cum millefolii elaeoſaccharo iucundum eſſe ac egregium remedium ſolet.

Oleum petrae.

Confert id extus admotum in pernionibus.

Oleum ricini.

Nomine olei de palma Chriſti etiam inſignitur, commode autem expedit ad colicam ſaturninam at-

que ad aſthma ex vaporibus plumbi, cum ad drachmas aut uncias aliquot ordinatum lenire ſoleat alvum, neque tamen nimio ſtimulo novos gignere ſpaſmos.

Exploratum tamen habere oportet, oleum id ex aliis ac acrioribus ſeminibus, granorum *Crotonis tigli* exemplo, expreſſum non fuiſſe: ſolent enim eo caſu aliquot guttulae nimis purgare, maiorque doſis inſignes producere noxas.

Tutiſſime adhibetur oleum in America expreſſum, quod externa ſpecie distinguitur ab eo, quod a noſtratibus conficitur. Certo ſaltem conſtare opus eſt, ſemina, e quibus oleum expreſſum fuit, cortice acri fuiſſe privata.

Oleum terebinthinae.

Valide ſolet urinam ciere, confert itaque in rheumatiſmis diuturnis, ſubinde etiam in hydrope. Guttulis paucis, in ſufficiente fluidi copia ſolutis incipitur, augetur portio, prout rationes reliquae id poſtulare videntur.

Oleo vini nuptum interdum iuvare ſolet nervorum reſolutiones, quemadmodum profuiſſe etiam in calculis biliariis obſervatum eſt. Ad internum uſum praeſtat *oleum templinum* ſeu id, quod e *Pinu montana* paratur.

Opium.

Praeſtantiſſimum eorum remediorum, quae ſpaſmos mitigant, ibi praeſertim opem ferre ſolet, ubi nervi teneritate inſigni ac irritabilitate laborant, unde ſpecifico modo hyſtericos affectus vincere ſolet. Confert etiam, ubi irritans materia prius eliminari nequit, quam ſpaſmus ſeſe remiſerit.

Hinc reſolvit ſimul et temperat, cum, minuta irritabilitate inflammationis metum debilitet, humorumque circuitum offenſum reſtituat. Neque tamen eo minus calefacere ſolet, aucto ſanguinis motu interno, eoque nomine robur partibus nonnunquam addit.

Neque credibile eſt, venereum virus ſpecifico modo adgredi, ſicut recentiores experientiae id docere viſae ſunt.

Ad ſcrofuloſas ſtaſes eosque affectus, qui e viro blennorrhoico oriuntur, ita conferre poteſt, ut vaſa laxet eoque acrimoniae diſcuſſionem promoveat.

Eum autem, qui hoc uti remedio voluerit, ſequentia tenere praecepta oportet:

1. ne nimis frequenter neque quibusvis leviſſimis affectibus opponatur; agit enim tantummodo ad tempus, imbecillitatem praeterea relinquit, ſaepiusque natura ii aſſueſcit. Mulier quaedam, in no-

ſodochio noſtro degens, quotidie uncias fere duas laudani poſtulat, ut ſervetur.

2. Ubi nec roboris nec caloris augmento corpus indiget, purum deſideratur opium, maiore potius quam minore portione, e. g. adverſus ſpaſmos ex inflammatoriis ſtaſibus.

3. Quodſi vergit aeger in inflammationem, methodo prius opus eſt, quae ex toto calorem minuit, decet etiam alvum apertam ſervare. Maxime vero prodeſt opium duntaxat adverſus inflammationes conſenſuales, quae ex ſpaſmis fere ubique oriuntur.

4. Doſis autem eius remedii varia eſſe debet pro varia aegri conſtitutione ac pro conſuetudine. In ardentibus febribus quartam grani partem aliquoties per diem imperare, in diuturnis vero nervorum affectibus, paullatim decem aut duodecim grana per diem conſumere decet. Aptiſſime pulveris forma ordinatur, cui, prout rationes reliquae id exigunt, ſacchari pauxillum ſive nitri addere licet.

5. Nervorum distentionibus vehementibus protinus ubique ſufficiente copia opponitur: ſpaſmos enim tum demum mitigare ſolet, cum calefaciens ipſius et irritans effectus transierit.

6. Omnino autem abſtinere eo opus eſt, ſi excretionem bonis naturae viribus productam morbus exigit, quae opio quidem impeditur, cum imbecillitas ipſius uſui ſupereſſe ſoleat. Neque exhiberi

debet, ubi in ſpaſticis febrium affectibus ſumma curationis complectitur cutis mollitionem.

Oxymel ſimplex.

Eſt id acetum melle mixtum. Reſolvere ſolet ac putredini reſiſtere, ſudorem et urinam ciere, unde in febribus inflammatoriis, bilioſis et putridis locum obtinet. Ad duas aut quatuor uncias potu dilutum quotidie exhibetur. Quodſi alvus ſimul compreſſa eſt, uncias tres vel quatuor alvi lotionibus iniicere licet.

Oxymel ſcilliticum.

Reſolvit ac urinam provocat. Quoniam vomitum facile citat, portio ad eam rationem distribui debet. Dimidia uncia adultioribus vomitum ciere poteſt. V. *ſyrupus pectoralis reſolvens.*

Quodſi ex acido noxas metuimus, additur oleum tartari per deliquium aut ſpiritus ſalis ammoniaci aniſatus.

Pilulae antihyſtericae.

℞. Gummis galbani,
— aſae foetidae,
Extracti angelicae, ſingulorum unciam dimidiam,
Caſtorei,

Croci, ſingulorum drachmam unam,
Opii thebaici drachmam dimidiam.

Mixta redigantur in pilulas cum eſſentia caſtorei ponderis granorum duorum: conſpergantur pulvere glycyrrhizae, dentur.

Senae eiusmodi pilulae dimidium continent opii granum: exhiberi itaque in hyſtericis ſpaſmis quinque aut octo pilulae matutino ac veſpertino tempore poſſunt.

Pilulae balſamicae.

℞. Extracti radicis Hellebori nigri,
Aloës depuratae,
Florum ſalis ammoniaci martialium, ſingulorum unciam dimidiam,
Croci orientalis, drachmas duas,
Opii thebaici ſcrupulum unum.

Mixta redigantur in pilulas cum eſſentia rhei ponderis granorum duorum: conſperſae pulvere glycyrrhizae dentur.

Octo vel duodecim earum imperantur, conferunt tamen, ubicunque citra noxam ſanguis per menſtrua aut haemorrhoides provocatur. Quodſi non ſufficiunt, fixo aëre ſubveniendum eſt.

Pilulae hydragogae Ianini.

℞. Foliorum ſennae uncias ſex,
Cremoris tartari unciam unam,

Coquantur in
Aquae pluvialis menſuris duabus, usque dum dimidia eius pars ſuperſit,
Cui colatae bullienti admiſceantur,
Agarici,
Scammonei,
Radicum mechoacannae,
— rhei,
— bryoniae,
— hermodactylorum, ſingularum uncias tres,
Radicis turpethi,
Gummis guttae,
Trochiſcorum alhandal,
Mercurii dulcis,
Tartari emetici, ſingulorum unciam unam,
Croci martis aperitivi,
Nitri depurati, ſingulorum uncias quatuor,
Aethiopis mineralis uncias duas,
Aloës,
Radicis ialappae, ſingularum uncias ſex.
Evaporentur ad maſſae pilularum cohaerentiam.

Conferre eas pilulas eximie in hydropibus thoracis memini, utiliterque quotidie eas ordinare ſoleo. Neque audeo, aliquid mutare in compoſitione adeo abſona.

Pilu-

Pilulae purgantes.

℞. Reſinae ialappae,
Mercurii dulcis praeparati,
Saponis hiſpanici, ſingulorum unciam dimidiam.

Mixta fiant pilulae cum eſſentia rhei, ponderis granorum duorum: conſperſae pulvere glycyrrhizae dentur.

Novem earum imperantur. Egregie autem conferunt, cum in diuturnis morbis alvus ducenda eſt.

Pilulae purgantes anthelminthicae.

℞. Aloës hepaticae,
Reſinae ialappae,
Mercurii dulcis praeparati, ſingulorum unciam dimidiam.

Mixta fiant pilulae cum eſſentia rhei, ponderis granorum duorum: conſperſae pulvere glycyrrhizae dentur.

Egregie profunt ad lumbricos et aſcarides, ſi pulvis anthelminthicus antea imperatus fuit. Octo autem earum pilularum ordinantur.

Pilulae reſolventes.

℞. Gummis guaiaci nativae, unciam unam,
Saponis hiſpanici, unciam dimidiam,
Mercurii dulcis praeparati,

Sulfuris antimonii, tertium praecipitati,
Pulveris radicis ſenegae,
Camforae, ſingulorum drachmam unam.
Mixta fiant pilulae cum aceto ſcillitico, pondere granorum duorum: conſperſae pulvevere glycyrrhizae dentur.

Septenae aut octonae earum unicum continent mercurii granum, cuius ratio itaque habenda eſt. Optime conferunt in articulorum doloribus inveteratis et glandularum obſtructionibus: maxime cum mane veſperique lignum guaiaci coctum ſimul ſumitur.

Potio alexipharmaca prima.

℞. Radicum angelicae,
— valerianae, ſingularum drachmas binas,
coquantur in vaſe operto cum
Aquae florum ſambuci unciis octo,
colatis addantur
Mixturae diaphoreticae unciae quatuor.
Dentur.

Quodſi in febribus inflammationum ac nervorum affectorum ratio eſt habenda, ſudoresque et exanthemata prolicere confert, quavis hora potionis eius calidae, quantum vas capit, quo ad theae infuſum uti ſolemus, imperatur.

Potio alexipharmaca ſecunda.

℞. Eſſentiarum angelicae,
— valerianae,
Spiritus vini camforati,
Liquoris cornu cervi ſuccinati, ſingulorum drachmam unam,
Vini gallici optimi uncias ſex.
Mixta dentur.

In febribus nervoſis, ubi vires deficiunt ac malignum contagium corripuiſſe nervos videtur, prodeſt is hauſtus, quavis hora, quantum cochlear capit, exhibitus, ut ſudor moveatur et vires refocillentur.

Loco eſſentiarum acetum recipi poteſt bezoardicum, ſequenti quidem ratione:

℞. Salis tartari depurati, drachmas duas,
ſaturentur cum
Aceto bezoardico,
admiſce
Vini gallici optimi uncias ſex.
Dentur.

Potio alexipharmaca communis.

℞. Radicum angelicae,
— valerianae,
Corticis peruviani rubri, ſingulorum unciam dimidiam,

coquantur cum
Aquae fontanae unciis duodecim,
colatis adde
Camforae cum ſacchari albi quantitate ſufficiente grana duodecim.
Dentur.

Potio antilyſſa.

℞. Scarabaeos maiales octo,
Theriacae Andromachi, unciam dimidiam,
Salis volatilis cornu cervi drachmas duas,
Camforae drachmam unam,
Spiritus Mindereri uncias octo.
Mixta dentur.

Expeditiſſime id remedium iuviſſe in hydrophobia recordor. Iam vero generatim eo uti ſoleo, ſi lotium ac ſudor vehementer prolici debent.

Potio laxans.

℞. Pulpae tamarindorum uncias tres,
Mannae calabrinae unciam unam,
ſolvantur in
Aquae florum chamomillae unciis novem.
Colata dentur.

Simplicius:
℞. Cremoris tartari uncias quatuor,
Mannae calabrinae uncias duas,

Coquantur cum
Aquae fontanae unciis octodecim.
Colata dentur.

Pulpa tamarindorum.

Alvum commodiſſime lenit minuitque calorem. Cavendum tamen eſt, ne ſales admiſceantur, qui acidum continent vegetabile, deſtruuntur enim, tartari tartariſati exemplo. Cocta enim utraque ſubſtantia ac filtrata ſedimentum praecipitat, quod nil niſi reſtitutus eſt tartari cremor. Quod ſi neſcitur, lites medicorum cum ſeplaſiariis citare poteſt.

Pulvis anthelminthicus.

℞. Seminum ſantonici uncias duas,
Extracti corticis peruviani aquoſi,
Vitrioli martis puri, ſingulorum drachmam unam.
Mixta in pulverem redigantur.

Adultis aliquoties per diem unus duove ſcrupuli exhibentur. Infantibus electuarii forma ingeri poteſt. Interiecto tempore, pilulis purgantibus anthelminthicis alvus ſolvenda eſt, quae ſucco quodam dilutae, aut cum paſſulis et prunis infantibus imperantur.

Pulvis antifebrilis.

℞. Corticis peruviani ſcrupulum unum,
Florum ſalis ammoniaci martialium grana duo.

Mixta redigantur in pulverem.

Ubi in febribus quotidianis ſeu quartanis pertinacibus ſulfur antimonii per tempus aliquot adhibitum fuit, hoc pulvere uti quater vel quinquies per diem licet, ſi ex alvo compreſſa aut nimia teneritate noxas metuimus.

Pulvis ecphracticus.

℞. Magneſiae muriatae,
Cremoris tartari,
Florum ſulfuris,
Radicis rhei,
Florum chamomillae vulgaris,
Elaeoſacchari foeniculi, ſingulorum unciam dimidiam.

Mixta in pulverem redacta dentur.

Confert is pulvis, aliquoties per diem, quantum cochlear minus, quo ad theae infuſum bibendum utimur, capit, exhibitum, adverſus viſcerum abdominalium obſtructionem ac imbecillitatem, maxime cum ſanguinis curſus per abdominis vaſa offenſus eſt. Sanguinem enim per haemorrhoides prolicit.

Pulvis pectoralis.

℞. Florum arnicae,
Nitri antimoniati per inſpiſſationem parati, ſingulorum unciam unam,
Opii thebaici grana quatuor,
Camforae grana decem.

Mixta in pulverem redacta dentur.

Egregie confert in phthiſis primordiis, ſi in inflammationem pectoris aegri vergunt. Per diem aliquoties ſumitur, quantum cochlear capit, quo ad theae infuſum utimur. Ubi vomitum ciet, radicem glycyrrhizae addere decet.

Radix althaeae.

Mucum continet, qui extus admotus egregie mollit.

Radix angelicae.

Lapponibus veſca, alexipharmacis ceteris fere praeſtat. Pulveris forma decem vel viginti granis aliquoties per diem iubetur.

Radix apii.

Eam herbam nec ſteriliſſimis regionibus ſubtraxit numen benignum: rarioribus enim plantis acceſetur, quae inventae ſunt in terra auſtrali, cui ab igne nomen, (ubi *neque ullae aut herbae campo*

apparent aut arbore frondes; ſed iacet aggeribus niveis informis, de qua cum Homero dici poſſet:

Ἀλλ᾽ ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι. S.)

Cibis addita ſcorbutum arcet movetque urinam.

Radix armoraciae.

Eximie ſcorbuto reſiſtit, cibisque admiſceri poteſt, dum labe ſcorbutica humores affecti ſunt.

Radix belladonnae.

Potentius herba agens minoribus portionibus exhibetur, ita tamen, ut ſudor proliciatur.

Radix colombo.

Praeſtantiſſimum amarum, aromatis adhuc plus quaſſia continet, neque calorem augere ſolet.

Coqui initio poteſt dimidia eius uncia in aquae decem unciis, donec colatae aquae ſex unciae ſuperſint. Eius autem quavis hora ſumendum, quantum cochlear capit.

Expedit enim commode in imbecillitate ventriculi et inteſtinorum, obſtructionibus inſanabilibus viſcerum producta. In dysenteriis vero nimis irritare mihi videtur.

Radix conſolidae maioris.

Recens continet mucum, ſaepius proficuum in ulceribus externis.

Radix gentianae rubrae.

Amara et roborans.

Radix graminis.

Perinde agit ac ſarſaparila: eſt praeterea minoris pretii. Purgant egregie ſanguinem decoctum eius et extractum.

Radix hellebori nigri.

Confert ad promovenda ſanguinis profluvia. Maximam etiam partem conſtituit pilularum BACHERI adverſus hydropem. Opio nuptum Doverianum pulverem aequat.

Radix ialappae.

Vulgare id remedium alvum ducit optime in diuturnis abdominis morbis. Egregie ſimul vermes propellit, iisque febribus aptiſſime opponitur, ubi ſordes deorſum turgent tenacisque indolis ſunt. Exhibetur ad unum vel duos ſcrupulos.

Radix ipecacuanhae.

Quemadmodum quaevis emetica minore portione reſolvunt, ita et ipecacuanha eodem modo agere ſolet. Cum praeterea ſpaſmos mitiget, utiliter adhibetur in aſthmate convulſivo aliisque morbis ſpaſticis, quibus adiunctae ſunt obſtructiones.

Primum innotuit, ut ſpecificum remedium adverſus dysenteriam: tempus tamen in eodem morbo ad reſolutionem non ſufficiens emeticam ſolam vim eius remedii exhibet.

In morbis nervoſis, ubi vomitus ciendus eſt, finis is attingi poteſt neque ipecacuanha neque tartaro emetico neque aqua Rulandi benedicta. Satius eſt eo caſu, tartarum emeticum ipecacuanhae nuptum, quam quodvis remedium per ſe ordinare. Iunctis aequis portionibus ipecacuanhae, opii et ſalis neutri, naſcitur pulvis Doveri, qui leniter ſudorem movet ac prodeſt in diuturnis et pertinacibus diarrhoeis. Formula haec eſt:

℞. Nitri depurati,
Tartari vitriolati, ſingulorum partes quatuor,
Opii,
Radicis ipecacuanhae,
— glycyrrhizae, ſingularum partem unam,
Mixta dentur.

Radix glycyrrhizae.

Eximie demulcet. V. *ſpecies pectorales.*

Radix raphani nigri.

Adverſus ſcorbutum militat urinamque ciet, hinc cachecticis hominibus inter cibos exhiberi poteſt.

Radix rhei.

Praeſtantiſſima ea radice utimur maxime in affectibus abdominis. Ubi ſanguis impetu quodam in pectus fertur, ubi ſputa promovenda, ſaltem non impedienda ſunt, abſtinere ea oportet.

Alias frequenter adhibebatur ad dysenteriam: negari tamen nequit, magnis portionibus nimis calefacere, exiguisque alvum facile adſtringere: hinc conſultius agitur, dum verſus finem potius dysenteriae, ubi e laxitate ſordes adſunt, eam adhibemus. Quod ſupereſt, reſolvere ſimul et urinam ciere ſolet.

Radix rubiae tinctorum.

Vim habet oſſa rubro tingere colore eademque firmare, unde aptiſſime commendatur ad rachitidem. Sequenti formula commodiſſime ordinatur:

℞. Radicis rubiae tinctorum, unciam unam,
Aquae chamomillae, libras duas,
Coquantur ſimul, donec colatae ſuperſint
unciae duodeviginti,
admiſce
Mellis deſpumati uncias duas.
Data ſignentur: quavis hora ſumendum, quantum cochlear capit.

Fertur etiam, menſtrua revocare poſſe. Equidem vero incaſſum eam quater vel quinquies, pul-

veris forma quotidie ad unciam dimidiam, adhibui.

Radix ſarſaparilae.

Cocta ea optime ſanguinem purgat. In venereis etiam morbis humores aptiſſime diluit.

Radix ſenegae.

Reſolventis loco inſervit, cum et lotium et ſudores proliciat, illud vero potentius ipſa ſerpentaria. Maxime vero commendanda adverſus pectoris morbos et hydropes.

Exhibetur vel cocta, ut drachmas duas cum octo unciis aquae coquantur, donec quinque unciae ſuperſint: quavis autem hora hauriendum, quantum cochlear capit, aut pulveris forma ad decem vel quindecim grana omni bi- vel trihorio.

Radix ſcillae.

Acre ſiſtit remedium, reſolvens, diureticum et emeticum. Commodiſſima eſt mucoſis ac hydropicis.

Cum pectus praeſertim afficiat, efficaciſſima eſſe in mucoſa eius colluvie ſolet. Ex toto vero glandularum potius infarctus ſolvit, quam mucum ventriculi et inteſtinorum. Neque tamen ad ſenegae inſtar ſudores ciet: rarius itaque expedit iis, qui

proni ſunt ad ſudores, cum agere nequeat in urinam, ſi ſudores prolicit.

Grana ſex vel ſeptem eius facile vomitum movent: rarius tamen eo fine adhibetur, cum eiusmodi effectus neque praedici neque finiri poſſit.

Quodſi reſolvere et urinam ciere debet, paucis granis incipere, paullatimque portionem augere decet.

Recens radix vomitum non facile ciet, ſed urinam potius movet. Ubi itaque eius copia eſt, praeferenda omnino ſiccatae. Cum pulvere glycyrrhizae aliisque congruis remediis pilulae inde formari poſſunt. Maiorem etiam portionem imperare licet ob aquearum partium maiorem copiam.

Radix taraxaci.

Egregie ſolvit ſanguinemque purgat. V. *Species purificantes* et *extractum taraxaci.*

Radix valerianae.

Praeſtantiſſimum ſiſtit alexipharmacum, maxime, ſi angelica optima ad manus eſt.

Cocta aut ſpiritu deſtillata in putridis febribus ac malignis, pulveris vero forma, protinus ad decem grana, aucta paullatim portione ad drachmas aliquot, in epilepſia atque rheumaticis pertinacibus affectibus imperatur.

Anglica radix eius plantae eſt, quae tenuioribus foliis differt a vulgari.

Reſina ialappae.

Optime alvum ducit; uti ea commode, amygdalis trita, infantes poſſunt, ad grana nonnulla.

Roob iuniperi.

Urinam pellit, optimeque excipit remedia congrua in hydropibus et mucoſa colluvie.

Roob ſambuci.

Commodum ſiſtit vehiculum electuariorum, febrifugorum praeſertim, ſi cutis ſimul mollienda eſt.

Roob ſorborum.

Id ſaepius urinam potentius adhuc movet quam iuniperi roob, ubique praecipue confert, ubi hoc nimis calefacere videtur.

Sal ammoniacus.

Egregie reſolvit eoque exſuperat alios, quod alvum potius contineat quam ducat, utilis itaque in febribus, quibus cita alvus adiungitur. Admodum prodeſt etiam ad minuendos ſudores, qui corpus conficiunt.

Omni bihorio quinque vel decem eius grana exhibentur: in quartanis vero febribus ad ſcrupulum

uſque doſis augeri poteſt. Eximie etiam convenit viſcerum obſtructionibus; unde praeſentiſſima exſpectantur commoda ex eius uſu in febribus quartanis.

Sal cornu cervi.

Volatile ſiſtit alcali, quod ſubinde ad febres malignas uſurpatur. Satius tamen eſt, cum per ſe calefaciat, ſaturare id acido volatili, quo facto blandius fit.

Sal mirabilis Glauberi.

Egregie confert ad ſolvendas ſordes primarum viarum ac eliminandas. Exhibetur per ſe ad unciam dimidiam per diem, aut aliis miſcetur remediis. V. *mixtura reſolvens.*

Sal ſodae et ſal tartari.

Simpliciter quidem alcalia non adhibentur, cum humores facile ſolvant: quodſi vero cum oleis ſapo inde conficitur, aut neuter ſal cum acidis vegetabilibus, optime expediunt, tamquam reſolventia. V. *liquor terrae foliatae tartari* et *elixirium reſolvens.*

Ubicunque fixus aër intus ſumi debet, aptiſſime ſal tartari aut ſodae adhibetur. Hic quidem alcali eſt minerale, quod cum acido vitrioli ſalem facit mirabilem, eoque nomine antecellit tartari ſalem,

qui cum eodem acido tartarum ſiſtit vitriolatum, multo minore efficacia praeditum.

Sapo hiſpanicus.

Praeferendus ad internum uſum, ob maiorem puritatem ac efficaciam, veneto. Egregie reſolvit, neque tamen dari poteſt, calculos urinae eum reſolvere. Raro per ſe exhibetur: plerumque aliis admiſcetur remediis. V. *pilulae purgantes* et *reſolventes.*

Scarabaei maiales.

Diuretica facultate affines ſunt cantharidibus. Intereſt tamen, ſudorem hos ſaepius propellere. Eaque proprietate efficacia niti videtur, quam adverſus rabiem caninam exſerunt.

Nec ratio mihi conſtat, praeterea eos modo aliquo ſpecifico agere, aut antidotum veneni ſiſtere poſſe. Conferre etiam in aliis morbis, ubi pertinaces ſtaſes reſolvendae ac lympha valide propellenda erat, memini.

Scarabaeorum vis contineri videtur ſucco praecipue melleo, qui veſiculas occupat in abdomine reperiundas, quemque facile eiaculantur. Hinc circumſpecte, nec manibus ſed chartae folio, capi debent, deinde autem in mel coniici. Quotidie vero dimidium animalculum conſumitur.

Semen

Semen cynae aut ſantonici.

Bene vermes expellit, ac infantibus lacte coctum exhiberi poteſt. Miſcetur etiam cum aliis anthelminthicis neque admodum antecellit hoc remedium conferva ea, quam *helminthochorti* nomine nuperis temporibus tantopere praedicarunt: ſaepius enim omnino inutile illam obſervavi.

Semen foeniculi.

V. *aqua et oleum foeniculi.*

Semen foeni graeci.

Plurimis mucoſis et balſamicis ſcatet partibus, unde, extus applicitum, egregie emollit et reſolvit. V. *ſpecies pro cataplaſmate.*

Semen lini.

Iisdem, minori tamen gradu, pollet viribus.

Semen ſabadilli.

Confert praeſertim ad enecandos pediculos. Adverſus taeniam mihi quidem multum praeſtare non videtur, ſed eo maiores ciere moleſtias.

Semen ſinapis.

Antiſcorbuticis accenſendum eſculentis eſt, neque remedii loco intus ſumitur, ſed extus potius applicitum cuticulam rubefacere ſolet.

Sinapiſmus.

℞. Fermenti panis acidi, drachmas tres,
Raſae radicis armoraciae recentis,
Seminum ſinapis contuſorum et
Aceto maceratorum, ſingulorum ſesqui unciam,
Salis ammoniaci unciam dimidiam,
miſceantur cum
Vini aceto, ut cataplaſma inde fiat.

Ubi citra ſtimulum excitare cupiveris, noxasque ex reſorptis cantharidibus metueris, eiusmodi ſinapiſmi conferre ſolent. Raro vel nunquam, reſolventium loco, ſed potius tamquam excitantia ac derivantia adhibentur.

Species pro cataplaſmate.

℞. Herbarum malvae,
— althaeae, ſingularum uncias tres,
Florum chamomillae vulgaris,
— meliloti,
— ſambuci, ſingulorum uncias binas,
Radicis althaeae, uncias quatuor,
Seminum foeni graeci, uncias decem,
— lini pondo unum,
Mixta fiant pulvis: detur.

Coctus is pulvis lacte fomentum egregium exhibet, quod tam discutere inflammationes ordientes, quam maturare abſceſſus valet.

Species pectorales demulcentes.

℞. Herbarum malvae,
— tuſſilaginis,
Radicum althaeae,
— glycyrrhizae, ſingularum uncias quatuor,
Seminum aniſi ſtellati unciam dimidiam.
Mixta ſiſtunt ſpecies, quae aqua infuſae bibuntur.

Conferunt autem phthiſicis, qui nullum tolerant ſtimulum, neque tamen matutino tempore potu quodam theaeformi vacare volunt. Quodſi ratio ſimul ſtaſium, praeſertim mucoſarum, habenda eſt, ſequens convenit remedium:

Species pectorales reſolventes.

℞. Florum chamomillae vulgaris, uncias quatuor,
Florum arnicae,
Herbae millefolii,
Radicis glycyrrhizae, ſingularum uncias binas,
Seminum aniſi ſtellati drachmam.
Mixta dentur.

Species purificantes.

℞. Ligni iuniperi,
Radicum graminis,

Radicum taraxaci,
— cichorei, ſingularum uncias quatuor,
Radicum ſenegae,
Seminum foeniculi,
— petroſelini,
Baccarum iuniperi, ſingulorum unciam dimidiam.
Mixta dentur.

Eorum remediorum uncia coquitur cum menſura aquae, qui potus ubivis obtinet, cum guaiaci lignum nimis irritat et ſarſaparila cari nimis videtur pretii.

Sive:

℞. Guaiaci ligni raſi,
Radicis glycyrrhizae,
Baccarum iuniperi, ſingularum pondo unum,
Radicum graminis pondo tria.
Mixta dentur.

Spiritus cornu cervi.

Sudorem is egregie pellit: exhibetur autem per ſe ad decem vel viginti guttas. V. *mixtura diaphoretica.*

Spiritus Mindereri.

Conficitur ſaturato ſpiritu ſalis ammoniaci cum alcali parato, aceti vini ope.

Circumſpiciendum autem, ut rite ſaturetur, neque vetus iam ſit, cum alias volatile alcali plerumque diſpergatur. Optime ſudorem movet.

Neque portio eius certo finiri poteſt, quod plurimum refert, quanta vis inſit et alcali et aceto. Solet autem aliis potiſſimum addi remediis. V. *mixtura diaphoretica.*

Spiritus ſalis ammoniaci.

Volatile eſt alcali ex ammoniaco ſale elicitum atque aqua ſolutum: hinc ſpiritus nomen proprie non meretur. Cum ſimpliciter intus non ſumatur, ſed acidis potius ſaturatus, nunquam calcis ope, ſed alcali potius parari debet: namque calx illum vi privat effervefcendi, unde ſaturatio plurimum negotii faceſſit.

Nimis etiam cauſticus eſſe ſolet, qui calcis ope conficitur. Is tamen extus optimum ſaepe ſtimulum praebet ſubmerſis, ſuffocatis aut frigore confectis. Linamenta enim aut pittacia e charta eo conſperſa in nares conduntur. Neque alienum eſt fauces penicillo, qui eum ſpiritum excipit, permulcere.

Spiritus ſulfuris.

Acidum ſulfuris concremati elicitum materiei inflammabilis partem retinet, eoque maxime volatile redditur. Hinc expedit id acidum adverſus ſca

biem ac febres putridas, ubi vires deficiunt cutisque arida eſt, citra pectoris affectus.

Spiritus vini camforatus.

℞. Spiritus vini rectificatiſſimi, uncias octo,
Camforae, drachmam unam,
Soluta dentur.

Intus autem diaphoreticis admiſcetur remediis.

Spiritus vitrioli.

Eſt acidum vitrioli aqua dilutum.

Spongia marina.

Dicitur ea plurimum poſſe ad ſtrumam. Exhibetur ad decem vel viginti grana.

Succus citri.

Ubicunque acetum nimis calefacit, ſuccum citri in uſum vocamus.

Succus glycyrrhizae.

Vocatur ita extractum glycyrrhizae aquoſum, quod optime demulcet in pectoris morbis.

Sulfur antimonii.

Differt a communi ſulfure, quod regulinae adhuc partes in eo ſolutae ſint, quarum vi potenter reſolvit.

Expeditiſſime juvat tum viſcerum obſtructiones, tum colluvies pectoris mucoſas: commodiſſimum itaque in febribus intermittentibus pertinacibus et hydropibus.

Granis aliquot incipiendum, paullatimque doſis augenda ad drachmam usque per diem conſumendam. Colluviei mucoſae ſal ammoniacus ad octo vel decem grana admiſtus opponitur. Rheum autem, cum plus laxitatis adeſt.

Per ſe iam urinam ciet: poteſt tamen ea facultas augeri additis ſenegae granis decem. Cum diaphoreſis potiſſimum ratio habenda eſt, pilulae inſerviunt reſolventes.

Tertio plerumque utimur praecipitato, quod primum nimia copia regulinarum partium ſcatet, unde facile vomitus citatur. Id tamen adeo incertum eſt, ut ſatius eſſet, exacte miſcere praecipitata omnia, deinde vero efficaciam explorare, ut communis ſulfuris tanta addi ad vomitum avertendum copia poſſet, quanta exigitur. Minoris ſimul pretii vendi poſſet id remedium eo modo paratum.

Syrupus ex acido citri.

Additur temperantibus potionibus; adhibetur etiam ad potum vulgarem.

Syrupus ex althaea.

℞. Radicis recentis althaeae, pondo unum,
coque cum
Aquae pluvialis copia ſufficiente,
colatae adde
Sacchari albi pondo quatuor,
coque in
Syrupi maſſam.

Optime demulcet, ſaluti itaque eſt in pectoris morbis atque inteſtinorum teneritate.

Syrupus pectoralis demulcens.

℞. Succi glycyrrhizae, unciam unam,
ſolve in
Aquae florum chamomillae ſine vino, libris duabus,
admiſce
Syrupi ex althaea uncias octo.

Ubi acutiſſimo ſenſu partes colli internae in phthiſi laborant, utilis eſt is ſuccus, ut partes lubricae fiant, ſputaque promoveantur.

Syrupus pectoralis reſolvens.

℞. Gummis ammoniacae depuratae,
Salis ammoniaci depurati, ſingulorum drachmas binas,
ſolve in

Oxymellis ſcillitici uncia una,
adde
Aquae benedictae Rulandi drachmas duas,
Syrupi pectoralis demulcentis uncias octo.
Detur.

In phthiſibus, ubi tuſſi male habente nihil emoliri aeger poteſt, pure in ſanguinem abeunte, febremque validam excitante, alvo denique fuſa, commodiſſime is ſuccus cochleari ligneo hauritur.

Tartarus emeticus.

Regulinae antimonii partes in tartari acido ſolutae ſunt: neque differt omnino ea paratio ab aqua Rulandi benedicta. Cryſtalli, in quos iterum abit, nonnunquam minorem regulinarum partium continent copiam, unde incertus ſit effectus, niſi tota maſſa, quae in cryſtallos abierat, exactiſſime ſubigatur.

Quoniam deinde tartarus aegerrime in aqua ſolvitur, facile iterum ſecedens, neque certo conſtat, utrum ex nitro an ex hepate antimonii confectus ſit tartarus emeticus, quod quidem discrimen complectitur etiam vis tartari emetici, inde iterum anceps redditur ambiguumque remedium.

Arbitror itaque, aquam Rulandi benedictam optimum eſſe tutiſſimumque remedium, ſive emeticum, ſive reſolvens exhibere cupiveris.

Tartarus tartariſatus.

Egregie is reſolvit, ſecundus etiam iis, qui ſenſibus acutiſſimis laborant. Vices eius et ſal Glauberi et aqua Rulandi benedicta facile gerunt. Ubi ea autem remedia nihil efficiunt, is etiam raro aliquid pollicetur.

Terebinthina veneta.

Balſamicum ſiſtit et diureticum remedium. Odorem violarum poſt eius uſum ſpirare ſolet urina. Cum vero calefaciat, inimica eſſe inflammationibus ſolet. Iubetur etiam adverſus blennorrhoeas, albuminis ope in aqua ſoluta. Circumſpecte tamen portiones distribuantur, cum ſtimulo, quo partes adfectas excitat, facile poſſit teſtium tumores producere. Scrupulo incipitur, paullatimque doſis augetur ad drachmam usque.

℞. Terebinthinae venetae drachmam dimidiam, ſolve cum
Vitello ovi, quantum ſufficit, in
Aquae florum chamomillae unciis ſex.
Data ſignentur: omni hora hauriendum, quantum cochlear capit.

Alias terebinthina adhibetur etiam ad ſolvendum mercurium. Vid. *unguentum neapolitanum.*

Cocta in aqua terebinthina dura fit et fragilis,

cum oleum ſubtilius inter coquendum evolet, tunc vero citra calorem tutius imperari poteſt.

Tinctura antimonii Iacobi.

Lixivium forte ex antimonii reguli ſimplicis ſcoriis recentibus cum oleo recens expreſſo in ſaponis maſſam coquitur, ut ſulfur antimonii in eo ſapone ſolvatur, atque remedium efficiatur duplici ratione efficax.

Qui vero ſapo cum facile corrumpatur, ſatius eſt eum in ſpiritu ſolvere vini: qui cauſticus omnino eſſe debet. Inde commodiſſima eſt tinctura antimonii acris vulgaris, vacans regulinis antimonii partibus, cauſticum ſolum continens alcali: ea vero ſolutio ſaponis in tinctura antimonii acri *ſulſur* dicitur a quibusdam *antimonii liquidum.* Intereſt autem inter eam et Thedenii tincturam, quod haec terram contineat foliatam tartari loco ſaponis.

Optime ea tinctura reſolvit, optimeque urinam pellit. Satis definiri doſis nequit, cum ſumma complectatur parandi modum, aegerrime terminandum.

Paucis guttulis incipiendum, pro ratione vero aliarum rerum atque effectuum augenda portio.

Optime expedit adverſus blennorrhoeas diuturnas ac viſcerum abdominalium obſtructiones.

Tinctura cantharidum.

℞. Cantharidum in pulverem redactarum drachmas duas,

Spiritus vini rectificatiſſimi pondo unum.

Digeſtae colatae dentur.

Utiliter ſubinde id remedium extus applicatum fuit adverſus verrucas atque condylomata: ſuperflua autem ſit vincturis et ſolutione mercurii diluta in acido nitri. Intus exhibetur tinctura commode tanquam diureticum ac tonicum contra blennorrhoeam ſecundariam ac hydropes.

Incipiendum autem paucis guttis aqua dilutis, paullatimque ſumendis.

Extus etiam prodeſt reſolutis membris. Vid. *unguentum nervinum.*

Tinctura guaiaci volatilis.

℞. Gummis guaiaci nativae uncias quatuor,

Spiritus ſalis ammoniaci vinoſi ſesqui pondo.

Digeſta ſine calore in vaſe clauſo, colataque dentur.

Ad arthritidem atque diuturnos rheumatiſmos multum poteſt. Paullatim conſumi poſſunt drachmae duae per diem, ac prout aliae rationes id iubent, augenda portio.

Tinctura martis adſtringens Ludovici.

℞. Vitrioli martis puri,

Cremoris tartari, ſingulorum libram dimidiam,

Aquae pluvialis libras ſex,

Coctis et inſpiſſatis ad mellis molem affunde

Spiritus vini rectificati libras ſex.

Digeſta, filtrata dentur.

Quinquaginta eius tincturae aut octoginta guttae in debilitate totius corporis atque cachectico eius habitu exhibentur.

Tinctura martis aperitiva.

℞. Florum ſalis ammoniaci martialium uncias quatuor,

Spiritus vini rectificati libram unam.

Digeſta filtrata dentur.

Quodſi in imbecillitate totius corporis ſimul obſtructorum viſcerum abdominalium ratio eſt habenda, optime expedit ea tinctura ad triginta vel quadraginta guttas quotidie aliquoties exhibita.

Tinctura rhei aquoſa.

Aqua tantummodo coquitur rhei radix, ut ad unciam unam radicis libra una aquae ſumatur, addito plerumque alcali pauxillo.

Utiliter imperatur in colluvie ventriculi et inteſtinorum mucoſa.

Unguentum ex althaea.

℞. Radicis althaeae recentis pondo unum,
Seminum ſoeni graeci,
— lini, ſingulorum uncias ſex,
Radicis curcumae unciam dimidiam,
Butyri maialis recentis non ſaliti pondo decem.

Leni igne cocta, donec humor conſumtus fuerit, colata dentur.

Commodiſſimum molliens remedium. V. *linimentum antiſpaſticum.*

Unguentum mercuriale rubrum.

℞. Mercurii praecipitati rubri drachmam unam,
Axungiae porcinae unciam unam.

Mixta ſiant unguentum, dentur.

Inſervit ulceribus venereis impuris.

Unguentum neapolitanum.

℞. Mercurii vivi uncias quatuor,
Terebinthinae venetae uncias duas,
Exacte mixtis adde
Axungiae porcinae uncias decem.

Mixta ſiant unguentum.

Reſolvit id unguentum tumores venereos, utileque ex toto eſt, ſi mercurium per cutim ingeri opus eſt.

Unguentum nervinum.

℞. Unguenti ex althaea uncias octo,
Liquoris cornu cervi ſuccinati,
Tincturae cantharidum, ſingularum unciam unam,
Olei deſtillati chamomillae,
— — menthae,
— — baccarum lauri,
— — — iuniperi, ſingulorum drachmam unicam.
Miſce, confice unguentum.

Commodiſſime adhibetur ad reſoluta membra.

Simplicius vero ita paratur:

℞. Unguenti nervini officinarum uncias quatuor,
Tincturae cantharidum unciam dimidiam,
Camforae drachmam dimidiam,
Mixta dentur.

Unguentum ophthalmicum.

℞. Mercurii praecipitati rubri drachmas duas cum ſemiſſe,
Tutiae ſubtiliſſime praeparatae drachmam unam,
Camforae grana quindecim,

Olei ovorum drachmam dimidiam,
Butyri maialis recentis ſine ſale uncias tres.
Mixta fiant unguentum.

Expedit adverſus maculas corneae ac ſtaphylomata, dum veſperi, lentis mole, in oculi canthum internum, eius inditur.

Unguentum ad ſcabiem.

℞. Mercurii praecipitati albi,
Sulfuris antimonii primum praecipitati, ſingulorum unciam dimidiam,
Axungiae porcinae uncias octo,
Olei deſtillati baccarum lauri drachmas duas.
Mixta fiant unguentum.

Imperatur id unguentum, cum internis remediis ſcabies nequit debellari.

Opus tamen, ut probe cutis eo fricta, iterum abluatur, ne perſpiratio detrimenti aliquid capiat. Interdum ſuppetit, internam manuum faciem eo fricari.

Simpliciori modo ita paratur:

℞. Mercurii praecipitati albi,
Florum ſulfuris, ſingulorum unciam unam,
Axungiae porcinae uncias octo.
Mixta dentur.

Vinum.

Vinum.

Praeſtantiſſimo eo remedio nulla vacare officina deberet. Opus autem eſt eo, quod nec muſti aliquid contineat, ſed magnae eſt vetuſtatis: tunc autem expeditiſſime confert in febribus malignis ac putridis, varioque distentionum genere. Antimonii inſuper regulum optime ſolvit.

Pervetus autem gallicum vinum malim ceteris omnibus praeferre medico uſu.

Vitriolum album.

Zincum eſt in acido vitrioli ſolutum, quod oculis ſecundum eſſe conſueſcit. V. *aqua ophthalmica.*

Vitriolum martis.

Iis adnumeratur, quae firmant corpus atque vermes propellunt. V. *pulvis anthelminthicus* et *tinctura martis adſtringens.*

Vitriolum veneris.

Id quandoque ſaluti fuit in epilepticis motibus, maxime cum cuprum ope alcali volatilis ſolutum eſt, ubi ſalis potius ammoniacalis veneris nomen meretur.

Adhibendum autem eſt, ſi alia remedia vel non conferunt, vel iubenda eſſe non videntur. Salem

autem ammoniacum veneris praeferre maluerim ad internum uſum. Paucis guttulis ſoluti incipiendum, augendaque portio, prout ceterae rationes id hortantur.

Solutio vero ſequenti modo conficitur:

℞. Limaturae cupri ſcrupulum unicum,
Spiritus ſalis ammoniaci cum alcali parati, uncias duas.

Digeſta filtrata dentur.

Scoti eo remedio utuntur ad curandum morbum, *Sibbens* dictum, hic quidem venereae germanum, eo tamen differentem, quod nec contagio propagetur nec mercurio cedat.

7|26 07